From Rev. C. A. Ziegler

CONCILII

Plenarii Baltimorensis II.,

In Ecclesia Metropolitana Baltimorensi,

A DIE VII. AD DIEM XXI. OCTOBRIS, A. D., MDCCCLXVI.,

HABITI, ET A SEDE APOSTOLICA RECOGNITI,

ACTA ET DECRETA.

PRÆSIDE, ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

MARTINO JOANNE SPALDING,

ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI, ET DELEGATO APOSTOLICO.

EXCUDEBAT JOANNES MURPHY,

SUMMI PONTIFICIS, ATQUE ARCHIEPISCOPI BALTIMORENSIS TYPOGRAPHUS.

BALTIMORÆ.

MDCCCLXVIII.

PROŒMIUM.

Quod diu in votis fuit, datur tandem, Dei ope, ACTA ET DECRETA Plenarii Concilii Baltimorensis Secundi in lucem proferre, ut per omnium, quorum præsertim interest, manus circumferantur. ACTA quidem tribus omnino partibus continentur; quorum prima quæ Concilio viam sternunt, altera quæ in eo gesta, tertia demum quæ ipsum Concilium subsecuta sunt, complectitur. In hisce Literae Romanæ omnes, quæ tum a Summo Pontifice, tum a Sancta Congregatione de Propaganda Fide datæ, ad nos vel ante vel post habitum Concilium pervenerunt. DECRETA vero ex Concilii Patrum sententia, et ad Sanctæ Congregationis mentem mordicus exacta publicantur. Huc accedit Appendix satis locuples, quæ amplius triginta documentis coalescit, unde ACTA et DECRETA lucem mutuari, et ad Nostrorum hominum usum insigne commodum oriri videbatur. Verum cum hæc Romam allata, et Romano judicio subjecta fuerint, quo tempore solemnia Sæcularia Martyrii SS. Apostolorum Petri et Pauli ibidem incredibili populorum omnium concursu obirentur, præclare vobiscum actum iri existimavimus, si præcipua quædam, quæ ad perpetuam tanti Festi recordationem faciunt instrumenta, ad calcem attexeremus.

Quæ omnia quâ consuestis benevolentia, Lectores, æqui bonique facite, iisque, ut par est, utimini.

N. B. — Notandum est, Decretorum *numeros*, tam in Concilii Actis quam in Instructionibus S. C. de Prop. Fide, eos esse qui in Libello pro usu Patrum concinnato inveniebantur; horum vero quamplurimos in alios esse mutatos in Libro nunc typis exarato, quò et Patrum votis et S. Congregationis Instructionibus fieret satis.

CONSPECTUS

MATERIARUM ET CAPITUM.

ACTA.

I. Acta Concilio Prævia.

II. Acta in Concilio.

ACTA POST CONCILIUM.

DECRETA.

TITULUS I.

DE FIDE ORTHODOXA, DEQUE ERRORIBUS SERPENTIBUS.

TITULUS II.

DE HIERARCHIA ET REGIMINE ECCLESIÆ.

Titulus III.

De Personis Ecclesiasticis.

Titulus IV.

De Ecclesiis Bonisque Ecclesiasticis tenendis tutandisque.

Titulus V.

De Sacramentis.

Titulus VI.

De Cultu Divino.

Titulus VII.

De Disciplinæ Uniformitate Promovenda.

Titulus VIII.

De Regularibus et Monialibus.

Titulus IX.

De Juventute Instituenda, Pieque Erudienda.

Titulus X.

De Salute Animarum Efficacius Promovenda.

Titulus XI.

De Libris et Ephemeridibus.

Titulus XII.

De Societatibus Secretis.

Titulus XIII.

De novarum Sedium Episcopalium erectione, deque Candidatorum Præsentatione.

Titulus XIV.

De Efficaciori Decretorum Baltimorensium Executione promovenda.

APPENDIX.

DECRETUM PROMULGATIONIS.

LITERÆ ILL^{MI} ET REV^{MI} DELEGATI APOSTOLICI, ACTA ET DECRETA PLENARII CONCILII BALTIMORENSIS II. PROMULGANTIS.



MARTINUS JOANNES SPALDING,

ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS, ET DELEGATUS APOSTOLICUS; OMNIBUS METROPOLITIS, EPISCOPIS, VICARIIS APOSTOLICIS, ABBATIBUS, CÆTERISQUE SYNODALIBUS, SIVE QUI ADFUERINT PLENARIO CONCILIO BALTIMORENSIS II., SIVE QUI LEGITIME ABFUERINT;

SALUTEM IN DOMINO!

Quod Pontificiis Constitutionibus cautum est, et perpetua consuetudine obtinuit, ut Provincialium Conciliorum Acta et Decreta Romani Pontificis judicio subjiciantur, hoc unanimi Vestrûm omnium suffragio factum fuisse nostis, cum Romam misimus quæcumque aut gesta aut constituta sunt in Concilio Nostro Plenario Baltimorensi II., Sanctæ Sedis auctoritate recognoscenda, et si quid forte minus recte subrepserit, corrigenda. Itaque "diligenti inquisitione adhibita, paucisque exceptis correctionibus et animadversionibus," S. Congregatio de Prop. Fide, Sapientissimi Pontificis nomine, tandem rescribit, se eadem ACTA et DECRETA, "ut ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur, libentissime recognovisse." Hoc vero ut præstent, operæ pretium est, ut quæ Vestro consilio sapienter sancita ac statuta sunt, et suprema deinceps auctoritate recognita, legitima promulgatione omnibus innotescant.

Quamobrem Nostras esse partes sentimus, pro eo munere quod Nobis est demandatum, ut ACTA et DECRETA Concilii, ad mentem

Patrum et ad tramitem Instructionis S. Congregationis expolita atque accurate emendata, in vulgus prodeant: quod nunc fit, uti authentica testantur documenta in Archivo nostro asservata. Officio igitur satis facturi, ea quâ pollemus auctoritate leges, quas Patres in Concilio coacti sanxerunt, et S. Romana Sedes recognovit, quæ in Libro nunc vulgato, cui titulus "CONCILII PLENARII BALTIMORENSIS II. ACTA ET DECRETA," etc., recensentur, legitime promulgamus, et ut legitime promulgatas ab omnibus, quorum interest, haberi jubemus. Atque hoc eo lætiores alacrioresque perficimus, quo certiorem spem animo fovemus fore, ut hisce fidei disciplinæque præceptis institutisque imbuta vitæ ratio, rei Catholicæ in hac regione, quâ late patet, provehendæ magnopere conferat.

Verum, præter has Synodales sanctiones, quo ab omnibus serventur, promulgandas, ea quoque quæ quatuor capitibus continet Specialis quædam a S. Congregatione Instructio enixe Venerabilibus in Ecclesiarum cura Fratribus commendare diserte a S. C. monemur. Quæ autem ea sint, Instructio eadem, quam ACTIS inseruimus, fuse docebit.[1] Ea vero est Vestrûm omnium in Sanctam Sedem observantia, ut nec minimum ambigendi locum faciat, quin gravissimis S. Congregationis mandatis unusquisque pro virili parte morem gerere conetur.

Insuper hanc peropportunam nacti occasionem, pro munere Nostro ea Venerabilibus Fratribus in mentem etiam revocamus, quæ S. Congregatio Instructione quadam Generali statuit,[2] de Collegio Americano Romæ Pii IX. P. M. humanitate et munificentia excitato; eosque in Domino obtestamur, ut tanto operi juvando collata stipe ne deficiant: et sicubi forte nondum Collationes a fidelibus fuerint corrogatæ, quod inter Concilii Patres convenit, eas quamprimum indicere ne graventur, et de pecunia hac ope redacta ad Illus^mum^ ac Rev^mum^ Antistitem Philadelphiensem e vestigio referre, qui Congregationi Episcoporum huic negotio administrando, una cum Metropolitis, juxta Patrum vota præpositorum præest.[3]

Quæ cum ita sint, illud superest, ut leges a Patribus in Concilio latas diligenter custodiamus, et naviter urgeamus, illisque plane imbui curemus adolescentes, qui in Seminariis præcipue ad Ecclesiæ ministeria

[1] Vide in Actis, p. CLII.

[2] Confer Articulum 20. in Actis, p. CXLI.

[3] Congregatio ista, quæ *Executiva* venit, ex Episcopis Philadelphiensi, Novarcensi, Carolopolitano, Hartfordensi, et Electo Columbensi coalescit.

instituuntur. Quas enim animo tenent, et moribus exprimunt leges, facili ratione alios docebunt ad Sacerdotium evecti, et Catholicum nomen nova laude cumulabunt. Utinam et in hac re ecclesiarum Præsules strenuam navent operam: nullum enim magis quam legum latores earum et custodes et ultores esse decet. Hoc jam lege ipsa provisum est, ut nimirum eadem Plenarii Concilii scita et Provincialibus Conciliis, et Diœcesanis Synodis promulgentur; et in Diœcesium Visitatione caveatur ne eorum vis umquam labefactetur.

Interea Omnipotenti Deo, Patri Luminum, qui Nostrûm omnium consiliis, conatibus, laboribus, Ejus gloriæ amplificandæ, adeo felicem exitum Bonus indulsit, quam maximas agamus, immortalesque habeamus gratias, Eique ex imo cordis affectu non impares omnino referre studeamus. Nec sua desit grati animi significatio Mariæ Virgini ab origine Immaculatæ, quam sibi Americana Ecclesia principem Patronam jamdiu læta ascivit. Ipsa enim effusis precibus exorata Filium, fidei nostræ Auctorem et Consummatorem Jesum Nobis Nostroque operi conciliavit; et Mater suavissima, adjutrixque potentissima omni ope semper adfuit.

Datum ex ædibus nostris, Baltimoræ, in festo Ascensionis Domini, Anno Domini MDCCCLXVIII.

MARTINUS JOANNES
Archiepiscopus Baltimorensis,
Delegatus Apostolicus.

THOMAS FOLEY, *Cancellarius.*

Concilii Plenarii Baltimorensis II.

ACTA.

Concilii Plenarii Baltimorensis II.

ACTA.

I.

ACTA CONCILIO PRÆVIA.

I. LITERÆ EMINEN$^{MI.}$ CARDINALIS BARNABO.

Illustrissime et Reverendissime Domine!

Cum de negotiis in proximo Concilio pertractandis ad A. T. literas dedissem, huic S. C. relatum est, Chicagi, finitimisque regionibus adeo exiguo numero Theutonicos sacerdotes commorari, ut impossibile prorsus sit, eos de Catholicis nationis suæ, quorum in dies frequentia augetur, necessariam in spiritualibus curam gerere. Ita quoque ex parte hominis fide digni, qui in Statu de Montana versatus est, nunciatur regionem illam tanto naturalibus præsidiis præstare, quanto moralibus ac religiosis destituitur. Magnus enim Catholicorum numerus in eo Statu, præsertim in Civitate Virginiæ, ejusque viciniis commorari perhibetur, cui nulla Ecclesia sit, nullus Pastor; quin raro admodum a sacerdotibus visitentur. Altera vero ex parte, ut asseritur, materialia subsidia pro sacerdotum sustentatione non desunt, quin etiam enixe ab Apostolica Sede petitur, ut nova apud illos Episcopalis Cathedra erigatur. Qua quidem de re et ad Apost$^{m.}$ Vicarium Nebraskæ scripsi. Itaque cum de ceteris omnibus superiori Epistola contentis, tum etiam de hoc agi in Concilio, opportuneque

provideri, ea quâ par est diligentia cures, ne propter pastorum absentiam, Christianus grex mercenariorum incursibus, ac luporum vexationibus obnoxius evadat. Interea Deum precor ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romæ, ex Aæd. S. C. de P. F. die 5. Martii, 1866.

P. S.—Hac occasione transmitto A. Tuæ Literas Apostolicas, quibus potestatem Tibi facit Sanctissimus Dominus Noster præsidendi Concilio proxime habendo.

Amplitud[s.] Tuæ,

Ad officia paratissimus,

ALEX. CARD. BARNABO, *Præf[s.]*

H. CAPALTI, *Secret[s.]*

Reverendissimo Domino,

MARTINO JOANNI SPALDING,

Archiepiscopo Baltimorensi,

Baltimoram.

II. LITERÆ APOSTOLICÆ.

PIUS PP. IX.

VENERABILIS FRATER,

SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM!

Apostolici Ministerii munus humilitati Nostræ divinitus commendatum efflagitat, ut Ecclesiæ universæ sedulam geramus curam, atque ea inprimis præstemus, quæ in regionibus ab hoc Catholicæ Fidei centro longo terræ marisque tractu sejunctis Christiano nomini benevertant. Cum itaque admotæ Nobis sint preces, ut omnibus VV. FF. Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis Episcopis, impetrata a Nobis venia, liceat plenum Concilium habere, in quo ea conlatis consiliis proponantur, quæ ad disciplinæ uniformitatem inducendam, Diœcesium statum ordinandum, Fidei denique incre-

mentum obtinendum opportuna fore videantur; Nos tam salubre, ac frugiferum studium commendantes, votis hujusmodi obsecundare voluimus. Quamobrem cum VV. FF. S. R. E. Cardinalibus negotiis Fidei Propagandæ præpositis, sedulo re perpensa, in eam sententiam venimus, ut Tibi, Venerabilis Frater, cujus pietas, doctrina, et summa erga Sedem Apostolicam observantia apprime Nobis comperta est, Concilium istud convocandi, eique præsidendi officium delegaremus. Quæ cum ita sint, Te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Tibi, Venerabilis Frater, hisce Litteris, de eorundem S. R. E. Cardinalium consilio, eas partes auctoritate Nostrâ Apostolica committimus, ut Plenarium cogas omnium Antistitum Fœderatorum Americæ Septentrionalis Statuum Concilium, in quo præsis; atque idcirco Tibi omnes et singulas facultates necessarias et opportunas concedimus, tribuimus, atque impertimus. Mandamus propterea omnes et singulos Venerabiles Fratres Fœderatorum eorumdem Statuum Episcopos, ut Te, quem ad Concilium istud convocandum deputavimus, in ejusdem Præsidem, et Moderatorem excipiant, admittant, Tibique pareant, faveant, præsto sint; Tibique jubemus, ut acta, atque decreta Concilii ejusdem ad sanctam hanc Apostolicam Sedem, pro eorum revisione et recognitione, quamprimum cures transmittenda. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI. Februarii, MDCCCLXVI, Pontificatus Nostri anno vigesimo.

N. CARD^IS. PARACCIANI CLARELLI.

SIGILLUM.

III. LITERÆ INDICTIONIS CONCILII.



NOS, MARTINUS JOANNES SPALDING,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS, ET DELEGATUS APOSTOLICUS;

Omnibus Illustrissimis ac Reverendissimis Metropolitis et Episcopis, ac Rev$^{mis.}$ Vicariis Apostolicis, sub ditione horum Statuum Fœderatorum Americæ Septentrionalis vitam degentibus, necnon et Rev$^{mis.}$ Abbatibus ac Admodum Rev$^{dis.}$ Ordinum seu Congregationum Religionis Præpositis, cæterisque omnibus qui de jure vel de consuetudine Conciliis Provincialibus, sive Plenariis, interesse debent:

Pacem et Salutem in Domino!

Quatuordecim jam sunt anni elapsi, ex quo Fœderatorum horum Statuum Antistites in Plenarium Primum, quod fuit Baltimorense Octavum, convenerunt Concilium. Cum enim publicis perturbationibus a Plenario Secundo habendo anno 1862 fuerint impediti, pacata modo tempestate, Summus Pontifex, Pius Papa IX. feliciter regnans, ex augusta Petri Cathedra omnis sibi crediti gregis per totum terrarum orbem dispersi paterne providens saluti, clementer veniam indulsit ut illud hoc anno celebremus. Nam Literis datis die 31. Januarii anni currentis, Eminentissimus Alexander Cardinalis Barnabó, S. Congregationis de Propaganda Fide Præfectus, Nobis indicavit, Summum Pontificem Nos, licet indignos, Delegatum Apostolicum designasse, cum plena potestate, nomine Suo, convocandi Cœtum hunc perillustrem omnium Metropolitarum ac Episcoporum sub ditione horum Statuum constitutorum, eique præsidendi simulque, in Literis sermone Italico Nobis conscriptis, Apostolicum communi-

cavit mandatum, Nos in omnibus debere conformare Instructioni a Sacra Congregatione datæ—cujus exemplar hisce Literis adjectum habetur—eâque cum Concilii Patribus ratione agere, quatenus solerter considerent diligenterque observent quæ in prædicta Instructione, pro abusuum reformatione et disciplinæ confirmatione, sapientissime suggeruntur. (1)

Quare, invocato Nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, et implorato potenti auxilio Beatissimæ semperque Immaculatæ Virginis Mariæ, horum Statuum primariæ electæ Patronæ, Nos, auctoritate Nobis hac in parte commissa, hisce præsentibus Literis INDICIMUS AC CONVOCAMUS SECUNDUM CONCILIUM PLENARIUM BALTIMORENSE, in Metropolitana Nostra Ecclesia inchoandum Dominica prima Octobris anni currentis, in quam incidit Festum SS. Rosarii Solemnitatis; atque ut tempore ac loco a Nobis hic statutis conveniant omnes horum Statuum Metropolitæ, Episcopi, Abbates, cæterique omnes qui de jure vel de consuetudine ejusmodi Concilio interesse debent, in Domino hortamur, et, in quantum opus est, præcipimus ac mandamus.

Quod si qui Antistites fuerint legitime impediti, Procuratores, instrumento procurationis authentico ac legitime confecto munitos, mittere poterunt, qui votum habeant decisivum; at Nostrorum Patrumque Concilii erit, judicare et de impedimenti legitimitate et de procurationis validitate. Ex adjectis autem documentis, videre facile erit, qua ratione omnia sint agenda. Demum, in Schemate Materiarum et Quæstionum, jam typis edito, omnibus erit perspicuum, quo ordine sint discutiendæ ac dirimendæ.

Quum autem pro tanto opere rite consummando vires Nobis omnino deficiant, enixe in Domino rogamus Venerabiles ac dilectissimos Confratres Nostros, Metropolitas ac Episcopos, quatenus sapientibus monitis et suggestionibus, atque etiam formulis Decretorum et Fidei expositionis scripto exaratis, Nobis ante celebratum Concilium, et quidem, in quantum commode fieri poterit, ante tertium diem Maii proximi, in succursum Nobis veniant; ut co-operantibus omnibus, opus Dei haud negligenter, sed bene ac solerter, ad majorem Ejus gloriam salutemque animarum, perficiatur, et ad finem desideratum feliciter perducatur.

(1) "Perchè poi il Concilio riesca di vero vantaggio nelle circostanze presenti di cotesti Stati, Le ordina Nostro Signore che Ella debba conformarsi all' Istruzione che qui se Le aggiunge, operando che i Padri abbiano in considerazione quanto in essa si suggerisce, a riforma degli abusi ed a rassodamento della disciplina."

Cum autem nihil nobis insit luminis, nisi a Patre Luminum in nos descendat, nihil virium, nisi ab Eo veniat qui virtutem in infirmitate perficit, in quo omnia possumus, in Domino suggerimus ac rogamus, ut, mandantibus locorum Ordinariis, a die Assumptæ in cœlum Beatissimæ Virginis Mariæ usque ad finem Concilii, preces publicæ, ab iisdem Ordinariis præscribendæ, in omnibus horum Statuum ecclesiis singulis Dominicis pie fundantur, utque die Veneris Concilii inchoationem præcedenti jejunium solemne proclametur; atque ita esse faciendum intra Nostræ Diœceseos limites in Domino præcipimus ac mandamus. Instantes igitur orationi cum jejunio, unanimes ac toto corde coram Deo prostrati supplicantes, imploremus Principem Pastorum ut gregem Suum, pro cujus salute Sanguinem Suum pretiosissimum fudit, misericorditer visitet, pastoresque Suos in terris constitutos, quos Ipse elegit ac posuit, ut fructum afferrent et fructus eorum permaneret, illuminare ac confortare dignetur, quatenus possint oves pascere sibi creditas, aliasque errantes in ovile reducere, ut sit Ovile Unum et Pastor Unus.

Datum ex ædibus Nostris, Baltimoræ, in Festo Sti Joseph, Sponsi Beatissimæ Virginis Mariæ, Anno Reparatæ Salutis millesimo octingentesimo Sexagesimo Sexto.

Ex mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi;

THOMAS FOLEY,
Cancellarius.

IV. INSTRUCTIO SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE!

Cum Fœderatorum Statuum Præsules publicis perturbationibus a Plenario Concilio anno 1862 habendo impediti, a Sanctissimo Domino Nostro veniam ad id conveniendi obtinuerint, eo vel magis quod civilis belli tempestate sedata, non modo æquum sit ut ea proponantur ac in disceptationem revocentur, quæ ad inducendam, quoad fieri possit, disciplinæ uniformitatem, Diœcesium statum ordinandum, majus denique rei Catholicæ incrementum assequendum pertinent, sed potissimum ut damnis tanto tumultu veluti necessario

exortis occurratur, atque aptiores modi excogitentur, quibus emancipatorum Nigrorum bono provideri valeat; placuit Eidem SSmo. Domino Nostro ut, quoniam Cœtum convocandi ac præsidendi munus Amplitudini Tuæ demandatum fuit, Tibi nonnulla per hanc Sacram Congregationem demonstrentur, quæ inter cætera ab Episcopis maturè considerari, vel hujus S. Consilii instituta, vel superiorum Synodorum Decreta postulant.

I. Itaque vel in primis operæ pretium erit Patribus in memoriam revocare Epistolam Encyclicam ad universos Borealis Americæ Præsules missam die 21. Januarii, anno 1861, quâ præter antiquas regulas ab anteactis etiam Conciliis expostulatas, novæ quædam eæque aptissimæ normæ præscribebantur, ut commendationes sacerdotum ad vacantes Episcopatus omni planè exceptione majores evaderent. Equidem hujus Sac. Cong. Patres postremis hisce annis animadverterunt saluberrimas illarum Literarum præscriptiones, præsertim in iis quæ respiciunt Notulas Sacerdotum præ aliis commendabilium tertio quoque anno Sac. Cong. exhibendas, celebrationem conventuum ad Candidatorum merita discutienda, propositum denique quæstionum modum pro eorum qualitatibus enucleandis, non semper fuisse servatas: nihilominus, temporum acerbitatem spectantes, non id Præsulum voluntati, bene vero publicis perturbationibus tribuerunt. At nunc, placatis rebus, S. hoc Consilium confidit Episcopos Apostolicæ sedis studio obsequentes, singulis ejus Epistolæ articulis sese plenè conformaturos.

II. Nec minori diligentia præcedentium Plenariorum Conventuum Decreta consideranda: ut si quæ adhuc in communem observantiam adducta non fuerint, confirmentur; si quæ vero novi aliquid addi vel commutari, attentis præcipuè Sac. Cong. monitis, exigant, reformentur.

III. Qua in re illud omnino gravissimum videtur, quod Clericorum vagorum receptionem spectat. Siquidem non omnes sacerdotes, præsertim qui ex Europa in Americam migrant, animarum lucrum spectant, at non pauci temporalis quæstus aviditate ducuntur; ut proinde mirum non sit, si ex his nonnulli vestimentis ovium contecti se sistant, intrinsecus autem rapaces lupi Christiano gregi haud parcentes esse dignoscantur. Quod quidem optimè Patres superioris Baltimorensis Synodi, anno 1852 habitæ, animadvertentes, Can. IX. decrevere: "Ne Sacerdotes vagi et ignoti nimis facilè admittantur ad sacra munera obeunda cum animarum periculo, nolumus sacerdotes ex Europâ advenientes in clerum nostrum cooptari, nisi literis suorum Episcoporum prius missis, consensum Episcopi in cujus Diœcesim

transire desiderent obtinuerint." Imo Patres 7mæ Synodi Baltimorensis, ut omnem vagandi viam clericis præcluderent, jam Can. V. statuerant: "Nullum harum Provinciarum sacerdotem ad aliam Diœcesim transire volentem a proprio Episcopo dimittendum, nisi certo constet eum ab alio Episcopo esse recipiendum. Si qui autem in posterum aliter dimissi fuerint, non recipiantur." Porro licet hæc tam sanctè prudenterque statuta sint, dolere tamen debuit Sac. Cong., ex iis quæ sibi sæpius nunciata sunt, alicubi nimiam hâc in re indulgentiam adhibitam fuisse. Cavendum itaque Episcopis, ut si quando, necessitate cogente, ad admissionem hujusmodi sacerdotum devenire opus fuerit, nonnisi habitis de eorum probitate ac doctrinâ indubiis testimoniis recipiantur.

IV. Quandoquidem vero ex defectu Cleri unuiscujusque Ecclesiæ proprii hæc necessitas enascitur advenas sacerdotes admittendi, ne Christianus populus absque Pastoribus relinquatur, in id quisque omne studium atque operam impendat, ut, cum primum fieri poterit, Ecclesiastica Seminaria ubi adhuc desunt, erigantur, in quibus Clerici educari, sacrisque disciplinis institui valeant. Quod quidem superiore Concilio peculiariter constitutum, cum Can. XIV. decretum est: "Consulendum Episcopis qui propria Seminaria non habent, ut collatis consiliis cum aliis Episcopis ejusdem provinciæ, unum saltem Seminarium in unaquaque provincia constituant." Adhuc tamen, temporum injuriâ, multi Præsules prohibiti sunt ne id perficere possent. Verum modo, armis positis, dum regiones istæ pace fruuntur, tanta bona suis Ecclesiis provisuros minimè dubitandum. Et quoniam hujusmodi Collegia ideo institui Tridentini Patres voluerunt, uti essent perpetua Seminaria Ministrorum Dei, qui sanctitate vitæ in populi ædificationem deinde elucerent, ad id Episcoporum studium convertendum erit, ut Clerici Alumni nedum in literis scientiisque proficiant, sed quod maximè interest, ad sinceram pietatem morumque integritatem formentur.

V. Aliud etiam non exigui ponderis negotium absolvere curabunt Patres, quod respicit festorum ac jejuniorum observantiam. Neque enim S. Cong$^{m.}$ latet, adhuc inter aliquos istarum provinciarum Præsules nonnullas de his controversias agitari, aliis antiquam Diœcesium disciplinam, aliis necessitatem fidelium, aliis denique superioris Concilii regulas a Sac. Cong$^{e.}$ sancitas obtendentibus.

Provideant itaque Episcopi, quantum in ipsis erit, varias circa festorum jejuniorumque numerum quæstiones componi. Si vero eam in sententiam venerint, ut placeat majorem uniformitatem inter varias

Ecclesias quoad hoc negotium induci, rationem habeant eorum quæ ab hac Sac. Cong^e. de iisdem rebus in Instructione super Concilio Plenario Baltim. anno 1852 habito præscribuntur. Cum enim Episcopi Decreto XXV. Sanctissimo supplicare statuissent, festa quidem reduci ad majora quatuor, Natalis scilicet, Ascensionis, Assumptionis, et Omnium Sanctorum; jejunia vero et abstinentias, ad eos dies quibus in Meridionalibus Diœcesibus præceptum servatur, abolito insuper jejunio Feriæ VI. Adventus, S. hoc Consilium addendum festis censuit diem Circumcisionis et Immaculatæ Conceptionis B. V.; monuit vero Episcopos, ne in inducendâ disciplinæ uniformitate quoad festa et jejunia Ecclesiæ, omnes iis conformarentur, quæ pauca servarent; nec studium Patrum in eo collocandum, ut disciplinam in iis quæ ab universali abhorrerent observantia redderent uniformem, quo nationalis Ecclesiæ species ingereretur, verum in eo, ut quod per indulgentiam fuerat relaxatum, paulatim ad universalis disciplinæ tramites restitui valeat.

VI. Cum autem plurimum intersit, ut securitati bonorum Ecclesiasticorum sedulo prospiciatur, hinc attentâ Fœderatorum Statuum conditione, Patres antecedentium Synodorum Americæ omni studio curarunt, ut Præsules ad eorumdem bonorum custodiam diligenter incumberent, atque ad id auctoritatis civilis, ubicumque haberi posset, præsidium quærerent. Potissimum Canone IV. Concilii VII. Baltimoren. decernebant, "Ecclesias omnes, cæteraque bona Ecclesiastica, quæ vel dono, vel fidelium oblationibus acquisita, in charitatis ac religionis operibus sunt impendenda, ad Ordinarium pertinere, nisi appareat, scriptoque constet illa ordini alicui Regulari, vel sacerdotum Congregationi in ipsorum usum tradita fuisse." Istæ tamen normæ, sæpius licet a Sacr. Cong^e. commemoratæ, minime impedire potuerunt, quin non paucæ controversiæ inter Episcopos præsertim ac Regulares super constituta bonorum inscriptione excitarentur. Videant itaque Patres, ut contentiones hujusmodi penitus extinguantur, ac neque Ecclesiæ bonis, nec Regularium juribus detrimentum afferatur.

VII. Gratissimum etiam Sac. Cong^i. accidet, si in proximo conventu, quæ ad ordinandum aliquarum Diœcesium statum pertinent accuratè ad examen revocentur. Siquidem licet ad supplicationem Plenarii Concilii Baltimorensis, anno 1852, plures Episcopales sedes de novo erigi curatum sit, tamen aucto in dies fidelium numero in regionibus adeo inter se dissitis, iterum de ejusdem generis negotiis quærere opportunum videtur. Sane relatum Sac. huic Cong^i. est, latissima regionum extensione Dubuquensem Diœcesim contineri, ut

prorsus difficile evadat Episcopum super gregem suum vigilare, potissimum vero, debitam Cleri curam gerere, atque adeo expedire ut de ea dividenda cogitetur. Supplicarunt præterea nonnulli, ut erectioni novi Vicariatus in vastissimo territorio, *Montana* nuncupato, prope Montes Saxosos provideretur, cujus maxima pars Vicariatui Nebraskæ adhuc subjicitur. Innumeros enim Catholicos per eas plagas habitare fertur, quin ullos unquam sacerdotes viderint, ullas Ecclesias ædificaverint, ipsum Vicarium Apostolicum neque finitimos Episcopos præ nimiâ distantia illorum fidelium necessitatibus occurrere non posse. Insuper et de Columbiæ Britanicæ Vicariatu controversiam extare Sac. Cong. accepit, de quo nimirum ambigitur, cujus Metropolitani jurisdictioni subsit, et cujus Ecclesiæ disciplinam sequi debeat. Quamobrem Tuæ erunt partes, ut de his et similibus negotiis quæ in medium producuntur, Patrum sententiam roges.

VIII. Demum ea est mens Sac. hujus Cong^is.^, uti Fœderatorum Statuum Præsules, pro concredito sibi pascendi Dominici gregis munere, consilia sua conferant ad salutem et Christianam educationem emancipatorum Nigrorum uniformi ratione procurandam. De ea enim re agitur, quæ summæ prorsus necessitatis est; cui nisi statim provideant, tantam messem in horrea Christi colligendo, inimicorum hominum fraudibus ac cupiditate irreparabili plane damno objicient.

Hæc quidem, ut inter cætera quæ Episcopi proponent, diligentur considerentur, ac de iis opportunæ in Concilio edantur normæ, satagendum pro viribus est. Ubi vero Concilium absolutum fuerit, Acta et Decreta ejusdem ad Sac. Cong^m.^ pro eorum revisione ac recognitione quamprimum transmittere cures.

Post hæc Deum precor, ut Te diu sospitem atque incolumem servet.

Romæ, ex Ædibus. Sac. Congregationis de Propaganda Fide, die 31. Januarii, 1866.

Amplitud^s.^ Tuæ,

Ad officia paratissimus,

ALEX. CARD. BARNABO, *Præf^s.^*

H. CAPALTI, *Secret^s^*

Reverendissimo Domino

MARTINO JOANNI SPALDING,

Archiepiscopo Baltimorensi.

V. ORDO AGENDORUM.

I. Edictum Valvis Ecclesiæ Metropolitanæ affixum.

Quod. felix. faustumque. sit. Religioni. ac. Rei Catholicæ. Bene. Vertat

Concilium. Plenarium. Baltimorense. Secundum. per. Rd^{mum} D$^{num.}$ Martinum. Joannem. Spalding. Antistitem. Baltimorensem Delegatum. Apostolicum. decreto. facto. sancito. promulgato. indictum. et. convocatum. festo. B. Mariæ. Virginis. die. Nonis Octobribus. Deo. propitio. Auspice. Virgine. Dei. Matre in. Æde Metropolitana. Baltimorensi. inchoabitur. habebitur. celebrabitur

Ex Mandato Ill^{mi} ac Rev^{mi} Archiepiscopi Baltimorensis, Delegati Apostolici.

THOMAS FOLEY,
Cancellarius.

Baltimoræ, 8^{a} Septembris, A. R. S., 1866.

II. Oratio.

Deliberationes omnes Oratio et præcedat et subsequatur. Ante Congregationes Episcoporum particulares publicasque Synodalium recitabitur Oratio *Adsumus*, ut in Pontificali; ante Theologorum vero conventus dicentur Orationes *Actiones nostras*, et *Veni Sancte Spiritus:* in omnium demum fine, *Sub tuum præsidium.*

III. Deliberandi methodus.

Ut omnia secundum ordinem fiant, quæ sequuntur regulæ in omnibus Congregationibus servabuntur:

1. Privatæ Theologorum Congregationes per Notarium ad Episcopos in scriptis referent, suamque de Titulis ipsorum examini sub-

jectis sententiam Latino sermone exponent. In hac expositione, quæ brevis sit, neque extra rem vagetur oportet, omnia quæ addenda, omittenda, corrigenda videntur clare significentur: in dubiis suffragiorum hinc inde numerus patefiat; et rationum momenta utrinque allata compendiaria ratione exhibeantur.

2. In privatis Episcoporum Congregationibus nulla de re deliberetur de qua non antea relatio, ut modo dictum est, per theologos facta fuerit, iis tantum exceptis, de quibus sermo est in Titulis XIII. ac XIV.

3. Quæcumque in Congregationibus Episcoporum geruntur, notis excipiant Secretarii, et in tumultuariis tabulis perscribant. Hæc deinde, melius digesta et in commentariolos relata, in proxima Congregatione palam recitabuntur, ut probari aut corrigi possint. Idem dicendum de Epistolis ad Romanum Pontificem aut Sacram Congregationem exarandis, et de quibus parandis in cœtu proxime præterito actum est.

4. Regulæ quædam ex iis depromptæ, quæ apud nostros homines in Senatu et publicis civium comitiis ac cœtibus servari solent, quæque vulgato nomine *Parliamentary Rules* appellantur, accurate servandæ sunt, maxime in Congregationibus Episcoporum. Hasce autem hic breviter commemorabimus:

Quæ cuique proponere placet, in scriptis tantum, et Latino sermone proponantur. Quæ tamen neque in deliberationem cadere, neque suffragiis committi possint, nisi proponenti accedat alter, qui ipsi in deliberatione postulanda suffragetur;

Nihil proponere liceat, quod ad Titulos, de quibus agitur, haud pertineat;

Brevitas, quam tamen lucidus ordo comitetur, in proponendo, exponendo, ac disputando servari debet. Nequis inutili et vago sermone tempus terat, sedulo caveatur;

Concedendum omnibus, immo suadendum, ut liberrime quæ sentiant loquantur, intra eos tamen, qui deceant, limites. Si quis nimium temporis insumi aut longius aberrari in disceptando arbitretur, jus habet quilibet palam conquerendi postulandique ut ad propositum redeatur;

Promotoris erit ad has, quas commemoravimus, leges provocare, easque servandas urgere, quoties necesse erit, quo facilius atque expeditius res pertractentur: quod si dubium ortum fuerit, utrum in eas peccetur, necne, penes Præsidem esto judicium.

5. Antequam Decreta in publica Sessione promulgentur, Congre-

gationum publicarum examini et deliberationi subjicientur, in quibus unicuique theologo mentem suam libere aperire licebit, ea tamen lege, ut theologi specialium Congregationum, quæ Titulos de quibus agitur examinandos antea acceperint, priores audiantur.

IV. Congregationes.

1. Singulis diebus hora nona antemeridiana, vel alia opportuniori a Rd^{mo} uniuscujusque Præside designanda, habebuntur Congregationes Theologorum particulares, usque dum cuncta sibi proposita examinaverint, deque iis ad cœtum Episcoporum retulerint.

2. Congregationes Publicæ bis in hebdomada tantum, diebus sc. Martis et Veneris, hora quarta cum dimidio promeridiana habebuntur.

3. In prima seu præliminari Publica Congregatione, Cancellarius, annuente Præside, decretum de silentio servando ac statutis restituendis, promulgat, rogatque Patres et Synodales his verbis: "Promittitisne, silentium vos omnes sancte servaturos, et tradita vobis Decretorum exemplaria fideliter restituturos?" Singuli deinde, stantes et ad Præsidem conversi, fidem dabunt hac formula, "Promitto sub fide sacerdotali."

4. Congregationes Episcoporum privatæ singulis diebus hora decima antemeridiana convenient.

5. Pro novarum Sedium sive Vicariatuum postulatione, candidatorumque ad Sanctam Sedem præsentatione, ordo deliberandi erit qui sequitur: 1°. Singularum Provinciarum Episcopi convenient cum Metropolita, et quæstionem pro suis limitibus hinc inde discutient; 2°. Deinde Congregationi Metropolitarum referent; 3°. Demum, in privata Episcoporum Congregatione, collatis consiliis, scrutinio secreto res dirimetur.

6. Sessiones demum, numero quinque, diebus sc. Dominicis et Jovis, celebrabuntur.

V. In Sessione Prima.

1. Absoluta Solemni Supplicatione, cantatur Missa Pontificalis de Spiritu Sancto. Post Psalmum ac preces, Delegatus Apostolicus, Concilii Præses, sedens in faldistorio, Concionem ad Patres et Conciliares habet, de Conciliis.

2. Instat promotor ut aperiatur Concilium: "Illustrissime ac

Reverendissime in Christo Pater! Quoniam dies faustissima in Literis Indictionis hujus Concilii Plenarii aperiendi præsignata jam illuxit, quumque omnes qui de jure vel de consuetudine ei interesse debebant, hic in Domino præsentes conspiciamus; ego, N. N., hujus Concilii Promotor designatus, rogo ut Decretum Amplitudinis Vestræ, de hoc Concilio Plenario Secundo aperiendo, legatur."

3. Præses: "Mandamus ut Decretum nostrum de Concilio Aperiendo promulgetur."

4. Cancellarius accipit Decretum a Præside, cujus annulum osculatur, idque Lectori tradit promulgandum.

5. Post decreti lectionem, quam Episcopi sedentes cum mitris, cæteri autem stantes, audiunt, Cancellarius dicit: "Placetne Vobis, Ill^{mi} ac Rd^{mi} Patres, Decretum, modo lectum?" Illis respondentibus, "Placet," idem refert Præsidi, "Patribus placuit Decretum."

6. Præses: "Consentientibus Patribus, Concilium hoc Plenarium Secundum Baltimorense nunc aperiendum, jamque apertum esse, declaramus ac decernimus."

7. Instat Promotor pro lectione Decreti de Fidei Professione emittenda: "Ego, N. N., hujus Concilii Promotor insto, ut promulgetur Decretum de Fidei Professione emittenda."

8. Præses: "Ita decernimus ac mandamus."

9. Prelecto Præsidis Decreto, necnon et Concilii Tridentini Constitutionibus de Professione Fidei et de Residentia, emittetur Professio Fidei ordine designato, singulis librum Evangeliorum supra genua Præsidis apertum tangentibus ac dicentibus: "Ego hanc eamdem Fidem profiteor, juxta formulam modo lectam, atque idem spondeo, voveo, et juro." Fidei Professio cum Actis evulgabitur, postquam fuerint a Sancta Sede recognita.

10. Promotor: "Juxta antiquam Conciliorum disciplinam, ego, N. N., hujus Concilii Plenarii Promotor, rogo ut modo legantur Decreta ab Amplitudine Vestra lata de Præjudicio non Afferendo, de Modo Vivendi in Concilio, de Concilii Officialibus, et de Non Discedendo."

11. Præses: "Ita decernimus ac mandamus."

12. Cancellarius accipit, ac Lectori tradit Decreta; quibus perlectis dicit: "Ill^{mi} ac Rev^{mi} Patres, placentne vobis hæc Decreta?" Quibus respondentibus, "Placet," refert Præsidi.

13. Præses: "Decreta Patribus placuerunt; ideo Deo agendæ sunt gratiæ." Respondent Patres, "Deo Gratias!"

14. Promotor: "Ill^{me} ac Rev^{me} Præses! Quum hodie, auspicante

Deo, feliciter apertum sit hoc Plenarium Concilium, ut Sacrorum Canonum præscripto fiat satis, ego, N. N., Concilii Promotor, rogo ut omnes tam Patres quam Presbyteri, qui ad Concilium sunt vocati, quique eidem jure vel consuetudine interesse debent, nominatim vocentur, absentes notentur, procurationisque instrumenta Amplitudini Tuæ examinanda tradantur."

15. Præses: "Ita decernimus ac mandamus."

16. Dum nomina perleguntur, singuli surgentes respondent, "Adsum!" Absentium vero nomina notantur, ac procurationum sive excusationum instrumenta Cancellario traduntur; hic vero, mandante Præside, ea Judicibus Excusationum tradit examinanda, qui quid de iis sentiant opportuno tempore Concilio significent.

17. Promotor: "Juxta Conciliorum usum, ego, N. N., hujus Concilii Promotor, rogo ab Amplitudine Tua, ut dies, hora, ac locus pro secunda hujus Concilii Sessione determinentur."

18. Præses: "Exquiratur Patrum sententia."

19. Cancellarius: "Placetne Patribus ut hujus Concilii Sessio secunda, die undecima hujus mensis Octobris, quæ erit dies Jovis, in Ecclesia hac Metropolitana, hora nona antemeridiana habeatur?" Quibus respondentibus, "Placet," Cancellarius refert Præsidi, qui dicit; "Ita indicimus ac mandamus."

20. Promotor: "Ego, N. N., hujus Concilii Promotor rogo ejusdem Notarium, ut Acta hujus Sessionis (primæ, vel secundæ, etc.) accurate conficiat."

21. Notarius: "Conficiam."

☞ Atque hoc modo fiet in fine singularum Sessionum, nec non et publicarum Congregationum.

22. Denique surgens Præses, omnibus solemnem impertitur Benedictionem, Episcopis sine mitra stantibus, cæteris autem genuflectentibus; omnesque in pace recedunt.

☞ Ex speciali Summi Pontificis concessione, omnes Synodales Indulgentiam Plenariam in solita Ecclesiæ forma per hanc Benedictionem, quæ erit Papalis, sibi lucrari poterunt, tam in prima quam in ultima Concilii Sessione.

VI. In Sessione Secunda.

1. Nulla habetur solemnis Supplicatio. Absoluta Missa de Requiem pro Præsulibus defunctis, inchoatur Sessio more solito; omnibusque in locis suis considentibus, habetur Concio secunda ad

Conciliares, De Sacerdotii Dignitate, ab Illmo ac Rd^{mo} Sancti Francisci Metropolita.

2. Instat Promotor pro Decretorum lectione: "Quum post debitam deliberationem, ac in Congregationibus tam privatis quam publicis discussionem ac consultationem, Patres nonnulla jam sanciverint Decreta, ego, N. N., hujus Concilii Promotor, rogo ut eadem legantur, ac, si Patribus videatur, solemniter promulgentur."

3. Præses: "Ita decernimus ac mandamus."

4. Cancellarius accipiens a Præside Decreta tradit Lectori; quibus perlectis, quærit: "Placentne Patribus Ill^{mis} ac Rev^{mis} Decreta modo perlecta?" Quibus respondentibus, "Placet," refert Præsidi, qui dicit: "Decreta placuerunt omnibus Patribus; ideo agendæ sunt Deo gratiæ." Respondent omnes: "Deo Gratias!"

5. Promotor, more solito, instat pro indictione tertiæ Sessionis, quæ pro die Dominica sequenti, 14 Octobris, hora decima, determinatur.

6. Instat Promotor pro Actorum confectione, ut supra.

7. Demum, Benedictio Præsidis, omniumque in pace discessus.

VII. In Sessione Tertia.

1. Cantata Missa Pontificali de Beatissima Virgine Maria, omnia ut in Pontificali peraguntur.

2. Instat Promotor pro promulgatione Decretorum, quæ leguntur et, si placeant, probantur, ut supra.

3. Indicitur quarta Sessio Concilii pro die Jovis, 18va. Octobris, hora nona antemeridiana.

4. Benedictio Præsidis, et omnium discessus.

VIII. In Sessione Quarta.

1. Decantatur Missa Pontificalis de SS. Apostolis Petro et Paulo.

2. Inchoatur Sessio, et fit Concio tertia ad Conciliares, de zelo animarum, ab Illmo ac Rd^{mo} Neo-Aureliæ Metropolita.

3. Promulgantur Decreta, et indicitur quinta et ultima Sessio, ad Dominicam sequentem, diem Octobris vigesimam primam, hora decima antemeridiana.

4. Benedictio Præsidis.

IX. In Sessione Quinta et Ultima.

1. Fit Solemnis Supplicatio, ut ante primam Sessionem, et cantatur Missa Pontificalis de SS^{ma} Trinitate pro Gratiarum Actione.

2. Inchoata Sessione, instat Promotor pro Decretorum, quæ supererunt, promulgatione, ut supra.

3. Quibus promulgatis, dicit Promotor: "Ill^{me} ac Rd^{me} Præses, ac Delegate Apostolice! Quum opitulante Deo, et Auspice Maria, harum Provinciarum Patrona Primaria, plura jam sint a Concilii hujus Plenarii Patribus sancita Decreta, quæ, uti sperandum, valde reipublicæ Catholicæ hisce in Statibus utilitati erunt atque decori, ego, N. N., hujus Concilii Promotor, rogo ut Amplitudo Vestra ab omnibus Patribus Decreta hæc subscribenda, antequam discedant, jubeat ac decernat."

4. Præses: "Ita decernimus ac mandamus."

5. Cancellarius Decreta super altare ponit, quibus primum Præses, deinde Archiepiscopi, demum Episcopi, omnes, juxta ordinem suæ promotionis, subscribunt.

6. Promotor instat pro fine Concilio imponendo: "Ill^{me} ac Rev^{me} Præses! Cum omnia quæ erant Patribus deliberanda ac dirimenda, nunc, adjuvante Deo, ad finem sint feliciter deducta, ut Patres possint ad greges sibi a Domino concreditos reverti, ego, hujus Concilii Promotor, rogo ut huic Secundo Concilio Plenario Baltimorensi finis imponatur."

7. Præses: "Ita præcipimus ac mandamus, si sic Ill^{mis} ac Rev^{mis} Patribus placeat."

8. Cancellarius: "Placetne Vobis, Patres, ad Dei Omnipotentis gloriam, ut huic Plenario Concilio finis imponatur." Respondentibus omnibus, "Placet," Præses pronunciat: "Placuit omnibus Patribus; ita decernimus huic Secundo Concilio Plenario Baltimorensi imponendum, et jam factum esse finem."

9. Fiunt Acclamationes per Archidiaconum, Patribus cum mitra stantibus, ac cum cæteris Synodalibus ad singulas respondentibus.

10. Omnes Patres, ordine promotionis, accedunt ad Præsidem, osculum pacis recepturi, quod et sibi mutuo dant.

11. Præses dicit Orationem in Pontificali: "*Nulla est,*" etc.

12. Præses solemnem benedictionem impertitur, cum Plenario omnibus Synodalibus Indulgentia.

13. Canit Archidiaconus: "Recedamus in pace!" Omnes respondent: "In nomine Christi; Amen."

14. Præses intonat hymnum, *Te Deum.*

15. Pulsantur organa et campanæ, omnesque in pace ad sua recedunt.

X. Acclamationes.

☞ Sequentes Acclamationes tum ab Archidiacono, tum a Choro cantandæ sunt, ad normam versiculorum, *i. e.* deprimendo vocem per tertiam, a *Fa* ad *Re.*

Archidiaconus. Sanctissimæ et Individuæ Trinitati, æterna gloria et gratiarum actio!

Chorus. Charitas Pater, Gratia Filius, Communicatio Spiritus Sanctus, O Beata Trinitas!

Arch. Beatissimæ Mariæ, ob prævisa Filii sui merita ab Originali Labe præservatæ, harum Fœderatarum Provinciarum almæ Patronæ, laus et veneratio!

Chor. Benedicta sit Virgo Deipara, sine Labe Originali Concepta, quæ est Turris Eburnea ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium!

Arch. Beatissimo Pontifici Pio Papæ IX., feliciter regnanti, totius Ecclesiæ Capiti, ac vero Christi in terris Vicario, illibata prosperitas, æterna memoria!

Chor. Impleat Dominus petitiones Sanctissimi Patris, et ita omne consilium ipsius adversus inimicos dilectissimæ Christi Sponsæ confirmet, et ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, et sicut deficit fumus deficiant!

Arch. Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Baltimorensi, Apostolicæ Sedis Delegato, cujus officio et opera hoc Concilium Plenarium coadunatum, directum, et ad felicem finem est perductum, cum multis annis magnæ gratiæ!

Chor. Cum multis annis magnæ gratiæ! Dominus retribuat operum ejus mercedem; immarcescibilem gloriæ coronam percipiat!

Arch. Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis, qui hoc Concilium Plenarium doctrina prudentiâque sua illustrarunt, felicem ad eorum greges reditum, vitam, et in Deo omnia fausta!

Chor. Pax sempiterna, uberrima Omnipotentis benedictio, et laborum beata retributio!

Arch. Rev^{mis} Abbatibus, ac Admodum Rev^{dis} Religiosarum Communitatum Superioribus, necnon et Theologis, qui sua doctrina suoque opere Patres in tractandis negotiis juvarunt, incrementum gratiæ, æterna felicitas!

Chor. Det eis Deus, secundum Suam bonitatem, omne donum perfectum! Deus scientiarum et veri luminis fons indeficiens, mentes eorum supernæ claritatis lumine illustret, gratia foveat, virtuteque corroboret!

Arch. Clero istarum Provinciarum, et universo Christi gregi, salus et benedictio a Domino!

Chor. Vias tuas, Domine, demonstra illis, et dirige eos in veritate tua, ut non obliviscantur opera Altissimi, et mandata ejus exquirant!

Arch. Almæ nostræ Reipublicæ, pax summa, prosperitas plena, ac Dei Omnipotentis supereffluens benedictio!

Chor. Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi Tu Deus Noster!

Arch. Universo harum Provinciarum Fœderatarum populo, pax indeficiens, indissolubilis concordia!

Chor. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, ut, qualibet perturbatione submota, corde uno et anima una libere Tibi deserviant!

Arch. Omnibus fidelibus defunctis, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis!

Chor. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis!

Arch. Nos vero, ut jubet Apostolus, Præpositis nostris obediamus, eorumque mandatis pareamus, ut cum gaudio nobis invigilent, quasi rationem pro animabus nostris redditturi.

Chor. Fiat! Fiat! Amen! Amen!

VI. DECRETA PRÆLIMINARIA.

MARTINUS JOANNES SPALDING,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS, ATQUE DELEGATUS APOSTOLICUS, HUIC PLENARIO CONCILIO BALTIMORENSI SECUNDO PRÆSIDENS;

Quo omnia secundum ordinem, et juxta laudabilem ac probatam in hujusmodi Conciliis consuetudinem, fiant atque peragantur, de consensu Patrum, Decreta quæ sequuntur, vel ab ipso Concilii initio, tulit ac promulgavit:

I. DE APERIENDO CONCILIO.

Quum in die Festo S. Joseph, Sponsi Beatæ ac semper Immaculatæ Virginis Mariæ, juxta sanctiones canonicas, Literas pro Concilio hoc Plenario convocando ediderimus, quibus obtemperantes, Illustrissimi ac Reverendissimi Metropolitæ, Episcopi, cæterique omnes intra horum Statuum Fœderatorum limites degentes, qui de jure vel de consuetudine adesse debebant, huc rite convenerunt: ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, et in honorem ejusdem Immaculatæ Virginis Mariæ, horum omnium Statuum Primariæ Patronæ, omniumque Sanctorum; ad augmentum Catholicæ Fidei, atque ad disciplinæ sanctæ decorem promovendum; decernimus Concilium hoc Plenarium Baltimorense Secundum hac die septima Octobris, Anno Salutis Reparatæ 1866, in quam incidit Festum Solemnitatis SS. Rosarii BB. Virginis Mariæ, esse aperiendum, atque illud jam esse rite apertum, in Domino declaramus. "Qui cæpit opus bonum in nobis, Ipse perficiat, usque in diem Christi Jesu!"

II. DE FIDEI PROFESSIONE EMITTENDA.

Tridentini Concilii Decretis,[1] ac Pontificiis Constitutionibus,[2] libenter ac reverenter obedientes, omnibus Patribus hujus Concilii, qui

[1] Sess. xxv., c. 2, de Reform. bis,—Cogit; Sess. vi., c. 1, de Reform.,—Eadem S. Synodus; et Sess. xxiii., c. 1, de Reform.,—Cum Præcepto.

[2] Pius IV. in Bulla, Injunctum Nobis, et S. Pius V. in Bulla, In Sacrosancta.

id nondum canonice præstiterint, in Domino injungimus, ut Fidei Professionem juxta formulam a Pio Papa IV. concinnatam emittant; quod similiter præstabunt omnes sequioris sacerdotii ordinis Synodales, qui vel curam habeant animarum, vel in aliqua sint dignitate constituti, vel instructionis munere in Collegiis aut Seminariis fungantur. Patres quidem bini ac bini, cæteri vero Synodales terni accedent. Injungimus etiam, ut juxta ejusdem Concilii præscriptum,[1] prius legantur Decreta de Fidei Professione et de Residentia.

III. De præjudicio non afferendo.

Normæ a Sacrosancto Concilio Tridentino sancitæ (Sess. II.) morem gerentes, decernimus, "quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam proferre, Congregationibus aut Sessionibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præjudicium generari, nullique novum jus acquiri;" adeo ut, post conclusum Concilium omnia circa præcedentiæ quæstionem in eodem loco ac ante permaneant.

IV. De Methodo Vitæ in Concilio Servanda.

Cum Episcopi et Sacerdotes sint Lux mundi ac Sal terræ a Domino designati, profecto deberent cum toto vitæ decursu, tum vero præsertim quando in unum, afflante Spiritu Sancto, sint congregati, lucere tanquam lucernæ in domo Dei, et exemplo sancto, tanquam sale, corda inspectantium fidelium condire, ut videntes eorum opera bona, glorificent Patrem nostrum qui est in cœlis. Quapropter memores verborum Psalmistæ, "Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant illam," studeant omnes hujus Concilii Patres ac Synodales, precibus assiduis ad Patrem Luminum effusis, ab eo efflagitare divinam illam sapientiam quam omnibus corde humili ac fide plena rogantibus dat affluenter, et non improperat; Ipse enim "pro bona voluntate operatur in nobis et velle et perficere."

Concilio igitur durante, omnes singulis diebus sacris vacent meditationibus, Sacrosanctum Sacrificium vel offerant, vel saltem eidem devote adsistant; in tota vitæ ratione ita se gerant, ut omnibus sint ædificationi, bonumque Christi odorem circumquaque diffundant: quo omnes ad pietatem eorum aspectu moveantur.

[1] Locis citatis.

Quumque magno Nobis in hoc Concilio imposito operi imparibus omnino simus viribus, Confratres Nostros in Domino rogamus, quatenus sapientissimis suis consiliis Nos adjuvent, ut nobiscum cooperante Spiritu Sancto, quæ ecclesiis nostris sint majori bono, vel ad Religionem sanctam amplificandam ornandamque, vel ad corrigendos abusus qui ex fragilitate humana forte irrepserint, atque ad disciplinam sanam roborandam, et Nobis ipsis clare innotescant, et sapientibus firmentur decretis. De rebus in Concilio pertractandis omnes igitur mentes suas plena libertate pandant, ea tamen ratione, ut "fraternam charitatem invicem diligentes," "omnia nostra in charitate fiant." Uti enim monet, post Toletanum Concilium, Sacrosancta Tridentina Synodus: "In sententiis dicendis, in loco benedictionis considentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare; nullus etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere: sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur."[1]

"Et quoniam," monente eodem Concilio, "oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos, hortamur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum: deinde cum in eo loco sæpe otiosi sermones fieri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur."[2] Singulis igitur diebus in mensa, præter Sacararum Literarum selectum caput, Martyrologium etiam perlegetur Romanum. Demum, quo abundantius in Nos quæ bono sint Ecclesiæ deliberantes Spiritus Sancti dona descendant, enixe in Domino omnes fideles in Metropolitana Nostra degentes urbe rogamus, ut die noctuque instent orationibus, ecclesias frequentent, peccata sua animo contrito confiteantur, sacrâque communione digne reficiantur; ut placato Domino, peccata nostra vel parentum nostrorum non amplius reminiscatur, sed tam Sacerdotibus quam concreditis ipsis gregibus omnia elargiatur bona.

V. De Officialibus eorumque muneribus.

Quoniam ad negotia in Conciliis expeditius pertractanda opus sit, ut ministri quidam, sive Officiales, designentur, qui Patribus variis in fungendis officiis præsto sint, valdeque intersit ut horum munera claro definiantur; ideo, de Patrum consensu, decernimus pro hoc

[1] Sess. ii. [2] Ibid.

Concilio Plenario Secundo Baltimorensi deligendos esse Officiales qui sequuntur:

I. *Cancellarium*, qui et Archidiaconus erit, juxta normam in Conciliis Mediolanensibus constitutam.[1] Hujus erit, omnia Concilii documenta caute custodire, sive sint typis impressa sive scripto exarata; eorundem exemplaria tempore opportuno Patribus tradere, ac Synodalibus prout opus erit distribuere, iis iterum, finitis delibationibus, accurate collectis ac receptis; Decretorum in publicis Sessionibus promulgationi præsidere, delectis ex Secretariorum ac Notariorum numero Lectoribus qui ea clara voce proclament; una cum Secretariis interesse privatis Episcoporum Congregationibus, eisque in muneribus suis exequendis adjutor esse; in omnibus Concilii Præsidi præsto esse; demum, Acta et Decreta una cum Notario firmare;

II. *Secretarium*, cui duo vel tres adsignabuntur coadjutores. Horum erit: Acta omnia Episcoporum, in privatis eorum præsertim Congregationibus, accurate describere; quæ a Patribus suggeruntur in formam, si opus fuerit, conciliarem redigere, eademque Concilio perlegere discutienda; Sessionum, et Congregationum tam particularium quam generalium Acta, a Notariis accepta, una cum Cancellario, recognoscere, trutinæ submittere, ac ut decet emendare; demum, omnia in unum collecta, adjuvantibus Cancellario et Notario, præparare, quæ ad Sanctam Sedem transmittantur;

III. *Notarium*, cui tot adsignabuntur adsistentes quot erunt particulares Theologorum Congregationes, quarum hi erunt secretarii. Notarii vero primi erit: Notariorum adsistentium relationes recipere, recognoscere, ac Cancellario tradere; quæ acta fuerint in publicis Sessionibus ac Congregationibus describere, eaque ad Cancellarium referre; quocum demum, Acta firmat et Decreta;

IV. *Promotores* duos; quorum unus, juxta Baltimorensium Conciliorum praxim, erit Episcopus, alter Sacerdos in dignitate constitutus. Horum erit, actionem Patrum tam in privatis quam in publicis Episcoporum et Synodalium Congregationibus et Sessionibus instando dirigere atque urgere, quo omnia ordinate ac expedite gerantur;

V. *Judices Excusationum et Querelarum* quatuor, quorum duo erunt Episcopi, duo vero ex Sacerdotibus digniores. Judicum Excusationum erit, eorum in prima instantia causam judicare, qui cum Concilio jure interesse debuerint, tamen abfuerunt; procurationum

[1] Acta Ecclesiæ Mediol., Tom. ii., folio. Edit. Lugdun., 1683. Conc. Prov. vi., p. 1272, seqq.

instrumenta ab absentibus confecta examini submittere, omniaque ad Concilium demum referre. Querelarum autem Judices "accusationes et querelas ipsis delatas audiant diligenter, et ad Nos in Concilio referant; controversias autem, antequam hoc ipsum Concilium de more dimittatur, vel componere studeant, vel ex compromisso ad arbitros rejiciant, vel ad Nos in Concilio referant."[1] Iidem porro Judices pro Excusationibus ac pro Querelis constituentur, quo majori in agendo simplicitati et expeditioni consulatur;

VI. Demum, *Magistros Cæremoniarum*, *Præfectos Hospitiorum*, *Cantores*, aliosque, quorum obvia sunt munera.

Collatis vero cum Patribus consiliis, Officiales singulos suo tempore designabimus.

VI. De non discedendo.

Ut consentientibus omnibus ad finem feliciter perducantur nostræ in Domino deliberationes, districte ne quis Synodalium discedat, nisi finito Concilio et subscriptis ejusdem Actis atque Decretis, absque gravi ac justa causa, a Nobis, post relationem Excusationum Judicum in Concilio probandam, prohibemus. Quod si hujusmodi obtinuerit licentiam, si fuerit Episcopus, non prius discedat, quam Procuratorem rite constituat qui ejus gerat vices. Quod si quis, quod absit, secus egerit, pœnas a sacris canonibus sancitas incurrere se sciat.

[1] Conc. vi. Prov. Mediol., Acta Mediol. Eccles., p. 1271, col. 2, sup. cit.

II.

ACTA IN CONCILIO.

I. CONGREGATIONES PRÆLIMINARES.

Feria V. die 4. Octobris.

Habita est Congregatio privata Metropolitarum præliminaris.

Horum singulis Reverendissimus et Illustrissimus Delegatus Apostolicus Libellum Decretorum ab ipso Theologisque ipsius juxta eorum vota paratum ac confectum tradidit; omnibusque clare et ingenue scopum ac finem, necnon difficultates ac labores suscepti operis explicavit. Quibus auditis, omnes consilium ejus maximopere probarunt. Deinde Rev^mus Præses mentem suam aperuit de Officialibus Concilii designandis; quæque Patribus suggerere placuit, libenter excepit. Demum, cum de omnibus convenisset, significavit, se iterum crastina die hæc Patribus omnibus congregatis expositurum, eorumque auditis sententiis, quid agendum esset definiturum.

Feria VI. die 5. Octobris.

Convenerunt Patres in aula majori domus Archiepiscopalis, tam Metropolitæ quam Episcopi. Quibus Rev^mus Delegatus Apostolicus totam Libelli rationem ac scopum proposuit clarisque et apertis verbis explicavit, singulisque ejusdem exemplar tradidit. Deinde nomina Officialium, quos designandos cum Metropolitis conventum erat, significavit.

Omnibus, si quid contra haberent, liberam dedit dicendi facultatem. Omnes, nemine contradicente, ab ipso exposita, et designatorum nomina probarunt.

SABBATO DIE 6. OCTOBRIS.

Congregatio Publica Præliminaris.

Hora nona ante-meridiem convenere in Ecclesiam Metropolitanam Illustrissimi et Reverendissimi Præsules, cæterique quotquot adve-

nerant Synodales, quos Illus^mus^ ac Rev^mus^ Baltimorensis, ex auctoritate ac mandato Sedis Apostolicæ, ad Concilium Plenarium Baltimoræ habendum convocaverat.

Consessui Patrum præfuit ipsemet Antistes Baltimorensis, quippe qui per Breve Apostolicum die 16. Februarii MDCCCXLVI., expeditum constitutus fuerat Delegatus Apostolicus, ad Concilium hoc Plenarium convocandum atque habendum.

Invocato per recitationem orationis *Adsumus* Spiritus Sancti adjutorio, Illus^mus^ ac Rev^mus^ Præses omnes præsentes allocutus est. Libelli typis impressi naturam ac scopum denuo explicavit, et de rerum agendarum numero et magnitudine opportuno et gravi sermone disseruit. Monuit, unicuique liberum esse animi sui sensa debito tempore ac modo pandere. Deinde nomina Officialium Concilii, quos ab ipso constitutos præviæ Metropolitarum et Episcoporum congregationes probaverant, per unum ex Secretariis publicanda jussit.

Recitatus quoque est per eundem Elenchus Archiepiscoporum, Episcoporum, Vicariorum Generalium, Abbatum cæterorumque Superiorum Religiosorum, Rectorum Seminariorum majorum, et Synodalium reliquorum.

Demum lectus est catalogus Theologorum privatarum Congregationum, quarum unicuique præfectus est Episcopus cum suo Vicesgerente, addito insuper Notario qui ejusdem Congregationis gesta referret. Singulis Congregationibus unus aut plures Tituli, de quibus deliberarent, attributi fuerunt.

Congregatio Prima.

Pro Titulis I., *De Fide Orthodoxa, deque Erroribus Serpentibus;* et VI., *De Cultu Divino.*

Præses: Rd^mus^ Hartfordensis.
Vices-Gerens: Adm. Rev. F. Burlando, C. M.
Notarius: P. Gulielmus Wayrich, C. SS. R.

Theologi:

Rev^mus^ Benedictus Abbas O. C. Gethsemani.
Adm. Rev. J. B. A. Brouillet, V. G.
" " Martinus Marty, O. S. B.
" " Kilianus Schlosser, O. S. F.
" " Antonius Varrina, C. M.
Rev. Nicolaus D. Young, O. P.
" Joannes W. Norris, S. T. D.

Rev. Jo. Albertus Bokel, O. P.
" Augustinus J. McConomy.
" Josephus Beehan.
" Petrus Defraine.
" Julius Brent.
" Jacobus B. Donelan.
" Joannes Hickey.

Congregatio Secunda.

Pro Titulis II., *De Hierarchia et Regimine Ecclesiæ;* et IX., *De Juventute Instituenda, Pieque Erudienda.*

Præses: RD^MUS Milwauchiensis.
Vices-Gerens: Adm. Rev. Isaac T. Hecker.
Notarius: Adm. Rev. Michael Heiss.

Theologi:

Adm. Rev. Petrus Jos. Baltes, V. G.
" " Gulielmus Gleason, V. G.
" " Zephyrinus Drouon, V. G.
" " Dionysius Abarth, O. S. F.
" " Jo. Nepomuc. Reinbolt, Prov. F. M.
Rev. J. Alizeri, C. M.
" Joannes F. Brazil.
" Beda O'Connor, O. S B.
" Antonius Langlois, O. P.
" Isidorus Daubresse, S. J.
" R. Holaind, S. J.
" Thomas Daly.
" Matthaeus Hart.
" Kieranus O'Brannigan.

Congregatio Tertia.

Pro Titulo III., *De Personis Ecclesiasticis.*

Præses: RD^MUS Vancouverensis.
Vices-Gerens: Adm. Rev. Ignatius Paoli, Cong. SS. Pass.
Notarius: Rev. Joannes S. Foley, S. T. D.

Theologi:

Adm. Rev. Josephus Melcher, V. G.
" " Eugenius Mueller, V. G.

Adm. Rev. A. M. Pelamourgues.
" " Bernardus J. McQuaid, V. G.
" " Gulielmus McCloskey, S. T. D.
" " Jacobus O'Connor.
Rev. Joannes F. Hickey.
" Joannes McMullen, S. T. D.
" Jacobus Rooney, O. P.
" F. Di Maria, S. J.
" Gulielmus F. Clarke, S. J.
" Nicolaus Cantwell.
" Joannes F. Sullivan.
" Thomas Hendriken.
" Joannes J. Dougherty.

CONGREGATIO QUARTA.

Pro Titulis IV., *De Ecclesiis, Bonisque Ecclesiasticis tenendis tutandisque;* et XII., *De Societatibus Secretis.*

Præses: RD^MUS Philadelphiensis.
Vices-Gerens: REV^MUS B. WIMMER, Abbas, O. S. B.
Notarius: Rev. T. J. BUTLER, S. T. D.

Theologi:

Adm. Rev. Julius Benoit, V. G.
" " Thomas Lynch, V. G.
" " Gulielmus O'Reilly, V. G.
" " A. Ravoux, V. G.
" " P. Dugan, V. G.
" " Ferd. Coosemans, S. J.
" " Josephus Dwenger, C. PP. S.
Rev. Joannes McElroy, S. J.
" Carolus J. Carter.
" Eduardus Fitzgerald.
" Gulielmus Quinn.
" Eduardus McColgan.
" Sylvester Malone.
" Patritius J. Ryan.
" E. P. Wadhams.
" T. S. Reynolds.

CONGREGATIO QUINTA.

Pro Titulo V., *De Sacramentis.*

Præses: RD^{MUS} Montereyensis et Angelorum.

Vices-Gerens: Adm. Rev. H. B. COSKERY, S. T. D., V. G.

Notarius: Adm. Rev. F. S. VILLARRASA, O. P.

Theologi:

Adm. Rev. Mathurinus F. Grignon, V. G.
" " Alexius Carron, V. G.
" " Thomas Mulvey, V. G.
" " Pamphilus a Magliano, Prov. O. S. F.
" " Stephanus V. Ryan, Visitator C. M.
Rev. Jacobus Perron, S. J.
" Gustavus Lumpers, S. T. D.
" Thomas J. Gardner, S. T. D.
" Joannes L. Spalding, S. T. L.
" Augustus Toebbe.
" Gulielmus Keegan.
" Joannes B. Alerd.
" E. H. Brandts.

CONGREGATIO SEXTA.

Pro Titulis VII., *De Disciplinæ Uniformitate Promovenda;* et VIII., *De Regularibus et Monialibus.*

Præses: RD^{MUS} Wayne-Castrensis.

Vices-Gerens: Adm. Rev. ANGELUS M. PARESCE, S. J.

Notarius: Rev. ALEXANDER SHERWOOD HEALY.

Theologi:

Adm. Rev. Gulielmus Starrs, V. G.
" " Joannes Stibiel, V. G.
" " Leopoldus B. Moczygemba, Commiss. Gen. O. M. C.
" " Gulielmus D. O'Carroll, Prov. O. S. D.
" " J. Conlan, V. G.
" " Josephus Paulus Dubreul, S. T. D.
" " Joannes McCaffrey, S. T. D.
Rev. Francis. Xav. Weninger, S. J., S. T. D.
" J. J. Giustiniani, C. M.
" Bernardus J. McManus.
" Carolus Ziegler.
" Georgius H. Doane.

Congregatio Septima.

Pro Titulis X., *De Salute Animarum efficacius Promovenda;* et XI. *De Libris et Ephemeridibus.*

Præses: Rd^{mus} Natchetensis.
Vices-Gerens: Napoleo J. Perche, V. G.
Notarius: Rev. Michael Accolti, S. J.

Theologi:

Adm. Rev. Carolus Ign. White, S. T. D.
" " Timotheus Birmingham, V. G.
" " Jacobus M. Early, V. G.
" " Tobias Mullen, V. G.
" " E. Sorin, Prov. SS. C.
" " Isaac T. Hecker, Sup. Cong. Sti. Pauli.
" " Augustus Gaudet, O. M. Im., V. G.
Rev. Joannes Early, S. J.
" J. M. Coudert.
" Carolus F. King, S. J.
" Honoratus Bourion.
" Dominicus Manucy.
" Gulielmus A. Blenkinsop.
" F. X. Krautbauer, O. F. M. Cap.
" Franciscus Xav. Leray.
" Bernardus Chocarne, O. P.

Tempus quoque et locus pro privatis hisce Theologorum comitiis assignata fuere. Hora sc. 9 A. M. singulis diebus hebdomadalibus, donec eorum labores absolvantur, cœtus conveniunt in variis conclavibus ædium Archiepiscopalium et sacristiis ædis Metropolitanæ. Modus denique procedendi delineatus pro iisdem.

Edictum est præterea regulas quasdem ex illis depromptas,[1] quæ apud nostrates in Senatu et publicis civium comitiis ac cœtibus servari solent, quæque vulgari sermone "Parliamentary Rules" appellantur, accurate esse servandas, maxime vero in privatis Episcoporum Congregationibus.

Dies porro horaque pro sessionibus et publicis Congregationibus præstituta.

In præliminari hac Publica Congregatione, Cancellarius, annuente Præside, decretum de silentio servando ac libellis fasciculisve restituendis, promulgavit. Quod omnes sub fide sacerdotali se præstituros spoponderunt.

[1] Cf. supra.

II. SESSIONES AC CONGREGATIONES.

I. Sessio Prima Solemnis.

Die 7a Octobris, A. S. MDCCCLXVI., quæ fuit Dominica vigesima post Pentecosten, simulque Festum Sanctissimi Rosarii Beatissimæ Mariæ Virginis, hora nona cum dimidia antemeridiana, congregantur omnes Illus^{mi} ac Rev^{mi} Prælati in aula superiori, cæteri vero Synodales in aula inferiori ædium Archiepiscopalium; unde omnibus paratis, sc. Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus cum pluvialibus et mitris, omnibusque his Prælatis baculos gerentibus; Vicariis autem Generalibus et Ordinum Religiosorum Congregationumque, necnon Seminariorum majorum Superioribus, ac Concilii Officialibus cum pluvialibus vel ordinis habitu ac biretis; Theologis tandem Concilii cæterisque sacerdotibus cum indumentis sacerdotalibus, stolis nimirum ac planetis: ordinata est Processio per vias Ecclesiæ Metropolitanæ circumvicinas, inter densissimas populi turmas, Societate Juventuti Catholicæ amica, de more suo, invigilante omniaque comiter disponente ad majorem decorem solemnis hujus Supplicationis. Itaque thure imposito ab Illus^{mo} ac Rev^{mo} Concilii Præside, Hymnoque "Veni Creator Spiritus" intonato, Synodales ex Domo Archiepiscopali procedunt ordini sequenti:

1. Thuriferarius, cum thuribulo et navicula, ad cujus dexteram tertius Cæremoniarum Magister;
2. Subdiaconus tunicella paratus, crucem Processionalem deferens inter duos ceroferarios;
3. Presbyteri non Synodales;
4. Cantores, secundusque Magister Cæremoniarum;
5. Theologi Patrum;
6. Notarii et Secretarii;
7. Rectores Seminariorum majorum;
8. Ordinum Religiosorum et Communitatum Præpositi;
9. Vicarii Generales;
10. Procuratores Episcoporum absentium;
11. Reverendissimi Abbates mitrati;
12. Reverendissimi et Illustrissimi Episcopi;

13. Reverendissimi et Illustrissimi Archiepiscopi;
14. Subdiaconus tunicella paratus, crucem Archiepiscopalem deferens;
15. Subdiaconus;
16. Presbyter Assistens, ad cujus sinistram Diaconus;
17. Illustrissimus ac Reverendissimus Concilii Præses, Delegatus Apostolicus, medius inter Diaconos Assistentes paratos;
18. Capellani de libro, de candela, etc., etc.

Decantantes insuper hymnum *Ave Maris Stella;* et *Psalmos* 80, 83, 86, petunt Ecclesiam Metropolitanam. Ubi vero ad ecclesiam perventum est, omnibus Synodalibus sedes juxta ordinem assignantur, Archiepiscopis quidem et Episcopis scamna hinc inde a dextris et sinistris altaris majoris, semicirculariter, senioribus nempe proximius ad altare vel centrum chori collocatis; deinde conduplicatis sedilibus cæteri proximiores vel remotiores consident, vel intra vel extra chori cancellos, pro graduum diversitate, et loci opportunitate.

Missam de Spiritu Sancto solemni ritu celebravit Rev^{mus} et Illus^{mus} D. Archiepiscopus Cincinnatensis, cui adstiterunt Archidiaconus, Rev. D. Augustus M. Toebbe; Diaconus, Rev. D. Jacobus Gibbons; Subdiaconus, Rev. D. Urbanus Lequerré, S. S. S.; Presbyter Assistens ad thronum Præsidis, Adm. Rev. H. B. Coskery; Diaconi vero ad honorem, Ad. Rev. Thomas Foley, et Ad. Rev. Joannes McCaffrey. Sacro absoluto, concionem ad populum habuit Rev^{mus} et Illus^{mus} D. Archiepiscopus Neo-Eboracensis super illa verba *Ps.* 86, *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: Sicut lætantium omnium habitatio est in te,* applicans ea ad Ecclesiam Catholicam, præcipue in his partibus.

Publicata deinceps nomina Prædicatorum quos Patres voluerunt habere conciones ad populum, durante Concilio, in ecclesia Metropolitana, statis diebus, horis vespertinis. Sunt autem sequentes:

Die Dominica,	Octobris	7a,	Illus^{mus} et Rev^{mus}	D. Carolopolitanus.
" Lunæ,	"	8a,	" "	D. Auxiliaris Cincinnatensis.
" Martis,	"	9a,	" "	D. Sti. Pauli.
" Mercurii,	"	10a,	Rev. J. Lancaster Spalding, Licent. S. Theol.	
" Veneris,	"	12a,	" P. J. Ryan.	
" Dominica,	"	14a,	Illus^{mus} et Rev^{mus}	D. Richmondensis.
" Lunæ,	"	15a,	" "	D. Philadelphiensis.
" Martis,	"	16a,	Adm. Rev. Isaac T. Hecker, C. S. P.	
" Mercurii,	"	17a,	Rev^{mus} et Illus^{mus}	D. Natchetensis.
" Veneris,	"	19a,	" "	D. Chicaginensis.

His peractis persoluti sunt psalmi et preces, juxta Pontificalis Romani præscriptum ; Delegatus Apostolicus, Concilii Præses, sedens in faldistorio, Concionem habuit ad Patres cæterosque Synodales, De Conciliis, quorum originem, utilitatem, et ea regulariter celebrandi apud nos præcipue restauratam disciplinam exposuit. Institit assistens Promotor apud Præsidem, ut Decretum de hoc Concilio Plenario Secundo aperiendo legeretur, quod a Cancellario acceptum et tertio Secretario traditum, ab hoc jubente Præside lectum, et a Patribus probatum est; ita ut Concilium reapse apertum esse declaratum fuerit a Delegato Apostolico.

Hac eadem ratione decretum de Fidei Professione emittenda prælectum et approbatum est; deinceps decretum de Residentia eodem modo; atque emissa est Professio Fidei ab omnibus qui ad eam ex Conc. Trid. præscripto tenebantur, juxta formam in Pontificali Romano positam, prout sequitur:

Professio Fidei.

"Ego N. firma fide credo et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpreta-

tione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quæ de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus, et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præ-

senti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia!

Similiter lecta et probata postmodum sunt Decreta de Præjudicio non Afferendo, de Modo Vivendi in Concilio, de Concilii Officialibus, et de Non Discedendo. Post hæc Concilii Promotor assistens rogavit Præsidem, ut omnes tam Patres quam Presbyteri, qui ad Concilium sunt vocati, quique eidem vel de jure vel consuetudine interesse debent, ex SS. Canonum præscripto, nominatim vocarentur, absentes notarentur, procurationisque instrumenta proferrentur examinanda; quod Præses fieri jussit.

Perlecta sunt igitur a secundo Secretario omnium Synodalium nomina, una cum titulis et dignitatibus eorum. Qui autem ad vocationem nominum suorum responderunt, fuere sequentes:

II. Prælati Præsentes in Prima Sessione.

Illus[mus] et Rev[mus] Dominus Martinus Joannes Spalding, Archiepiscopus Baltimorensis, ac Sedis Apostolicæ Delegatus.

" " " Franciscus Norbertus Blanchet, Archiepiscopus Oregonensis.

" " " Petrus Richardus Kenrick, Archiepiscopus S. Ludovici.

" " " Joannes Baptista Purcell, Archiepiscopus Cincinnatensis.

" " " Joseph Sadoc Alemany, Archiepiscopus S. Francisci.

" " " Joannes Maria Odin, Archiepiscopus Neo-Aurelianensis.

" " " Joannes McCloskey, Archiepiscopus Neo-Eboracensis.

" " " Richardus Vincentius Whelan, Episcopus Velingensis.

" " " Petrus Paulus Lefevre, Episcopus Zelanus, et Coadjutor Administrator Detroitensis.

" " " Joannes Martinus Henni, Episcopus Milwauchiensis.

" " " Augustinus M. A. Blanchet, Episcopus Nesqualensis.

Illus^mus^ et Rev^mus^ Dominus AMADEUS RAPPE, Episcopus Clevelandensis.
" " " JOANNES TIMON, Episcopus Buffalensis.
" " " MODESTUS DEMERS, Episcopus Vancouverensis.
" " " MAURITIUS DE SAINT PALAIS, Episcopus Vincennopolitanus.
" " " JOANNES MCGILL, Episcopus Richmondensis.
" " " JOANNES BAPTISTA LAMY, Episcopus Sanctæ Fidei.
" " " JOANNES LOUGHLIN, Episcopus Brooklynensis.
" " " JACOBUS R. BAYLEY, Episcopus Novarcensis.
" " " LUDOVICUS DE GOESBRIAND, Episcopus Burlingtonensis.
" " " GEORGIUS ALOYSIUS CARRELL, Episcopus Covingtonensis.
" " " THADDEUS AMAT, Episcopus Montereyensis et Angelorum.
" " " AUGUSTUS MARTIN, Episcopus Natchitochensis.
" " " DAVID GULIELMUS BACON, Episcopus Portlandensis.
" " " FRIDERICUS BARAGA, Episcopus Marquettensis et Marianopolitanus.
" " " HENRICUS DAMIANUS JUNCKER, Episcopus Altoniensis.
" " " JACOBUS DUGGAN, Episcopus Chicaginensis.
" " " GULIELMUS HENRICUS ELDER, Episcopus Natchetensis.
" " " JOANNES HENRICUS LUERS, Episcopus Wayne-Castrensis.
" " " PATRITIUS N. LYNCH, Episcopus Carolopolitanus.
" " " FRANCISCUS P. MCFARLAND, Episcopus Hartfordensis.
" " " JACOBUS M. O'GORMAN, Episcopus Raphaneæ in part. infid., et Vic. Ap. Nebraskæ.
" " " THOMAS L. GRACE, Episcopus S. Pauli.
" " " JOANNES QUINLAN, Episcopus Mobiliensis.
" " " JACOBUS FREDERICUS WOOD, Episcopus Philadelphiensis.
" " " MICHAEL DOMENEC, Episcopus Pittsburgensis.

Illus[mus] et Rev[mus] Dominus EUGENIUS O'CONNELL, Episcopus Flaviopolitanus, et Vic. Ap. Marysville.
" " " AUGUSTINUS VEROT, Episcopus Savannensis.
" " " PETRUS J. LAVIALLE, Episcopus Ludovicopolitanus.
" " " JOANNES J. CONROY, Episcopus Albanensis.
" " " PATRITIUS AUGUSTINUS FEEHAN, Episcopus Nashvillensis.
" " " JOANNES J. WILLIAMS, Episcopus Bostoniensis.
" " " JOANNES HENNESSY, Episcopus Dubuquensis.
" " " SYLVESTER H. ROSECRANS, Episcopus Pompeiopolitanus, et Auxiliaris Cincinnatensis.

Adm. Rev. JOANNES D. COADY, Administrator Eriensis, sede vacante.

Rev[mus] M. BENEDICTUS, Abbas Cisterciencis.

" BONIFACIUS WIMMER, O. S. B., Abbas S. Vincentii, et Præses Congr. Americano-Cassinensis.

III. VICARII GENERALES.

Adm. Rev. HENRICUS B. COSKERY, S. T. D., Archiepiscopi Baltimorensis Vicarius Generalis.
" " NAPOLEO J. PERCHE, Archiepiscopi Neo-Aurelianensis Vicarius Generalis.
" " GULIELMUS STARRS, Archiepiscopi Neo-Eboracensis Vicarius Generalis.
" " PETRUS JOSEPHUS BALTES, Episcopi Altoniensis Vicarius Generalis.
" " JULIANUS BENOIT, Episcopi Wayne-Castrensis Vicarius Generalis.
" " TIMOTHEUS BIRMINGHAM, Episcopi Carolopolitani Vicarius Generalis.
" " JOANNES B. A. BROUILLET, Episcopi Nesqualensis Vicarius Generalis.
" " ALEXIUS J. CARON, Episcopi Clevelandensis Vicarius Generalis.
" " JACOBUS CONLAN, Episcopi Clevelandensis Vicarius Generalis.
" " ZEPHYRINUS DRUON, Episcopi Burlingtonensis Vicarius Generalis.
" " PETRUS DUFAU, Episcopi Savannensis Vicarius Generalis.
" " JACOBUS M. EARLY, Episcopi Buffalensis Vicarius Generalis.
" " GULIELMUS GLEASON, Episcopi Buffalensis Vicarius Generalis.
" " MATHURINUS GRIGNON, Episcopi Natchetensis Vicarius Generalis.
" " THOMAS LYNCH, Episcopi Burlingtonensis Vicarius Generalis.
" " BERNARDUS J. McQUAID, Episcopi Novarcensis V. G., et Superior Seminarii Setoniensis.
" " TOBIAS MULLEN, Episcopi Pittsburgensis Vicarius Generalis.
" " EUGENIUS MUELLER, Episcopi Portlandensis Vicarius Generalis.
" " GULIELMUS O'REILLY, Episcopi Hartfordensis Vicarius Generalis.
" " AUGUSTINUS RAVOUX, Episcopi S. Pauli Vicarius Generalis.
" " JOANNES STIBIEL, Episcopi Pittsburgensis Vicarius Generalis.
" " A. M. PELAMOURGUES Dubuquensis Vicarius Generalis.

IV. Ordinum Religiosorum Superiores.

Adm. Rev. Frater Gulielmus D. O'Carroll, Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum.
" " " Franciscus Sadoc Villarrasa, Commissarius Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum in California.
" " " Pamphilus a Magliano, Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Sti. Francisci.
" " " Leopoldus B. M. Moczygemba, Commissarius Generalis Ordinis Fratrum Minor. Convent.
" " " Kilianus Schlosser, Com. Prov. Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ S. Francisci.
" " " Franciscus Xav. Krautbauer, locum tenens Commissarii Gen. Ord. Min. Cappucinorum.
" " " Dionysius Abarth, Custos Custodiæ Fratrum O. S. Francisci Cincinnatensis.
" " Angelus M. Paresce, S. J., Provincialis Provinciæ Marylandiæ.
" " Ferdinandus Coosemans, S. J., Provincialis Pro-Provinciæ Missouriensis.
" " Jacobus Perron, S. J., Superior Missionis Neo Eboracensis.
" " Stephanus V. Ryan, Visitator Congregationis Missionis.
" " Franciscus Burlando, Congregationis Missionis, Superior Puellarum Charitatis.
" " Josephus Paulus Dubreul, S. T. D., Superior Sacerdotum, et Seminarii S. Sulpitii Baltimorensis.
" " Josephus M. Helmprecht, Provincialis Congr. Sanctissimi Redemptoris.
" " P. Ignatius Paoli, Visitator Congr. Clericorum Regularium Discalceatorum a SS. Passione D. N. J. C.
" " Augustus Gaudet, Superior Oblatorum Mariæ Immaculatæ, et Vic. Gen. Episcopi Galvestonensis.
" " Josephus Dwenger, locum tenens Superioris Congr. Pretiosissimi Sanguinis.
" " Joannes Nepomucenus Reinbolt, Superior Provincialis Fratrum Mariæ.
" " Isaacus T. Hecker, Superior Presbyterorum Missionariorum Sti. Pauli Apostoli.

V. Officiales.

Promotores: Illustrissimus ac Reverendissimus Carolopolitanus.
Adm. Rev. G. O'Hara, S. T. D., Vic. Gen. Philadelphiensis.

Cancellarius: Rev. Thomas Foley, S. T. D.
Cancellarius Assistens: Rev. Jacobus Gibbons, A. M.

Secretarii:

Adm Rev. Jacobus A. Corcoran, S. T. D. Rev. Jacobus Keogh, S. T D.
Rev. Thomas A. Becker, S. T. D.

Notarii:

Rev. Franc. Jos. Pabisch, S. T. D., et I. U. D., Rector Sem. SS. Mariæ ad Montes Cincinnatensis.
Adm. Rev. Franciscus Sadoc Villarrasa, O. P.
Rev. Michael Accolti, S. J.
" Michael Heiss.
" Gulielmus Wayrich, C. SS. R.
" Joannes S. Foley, S. T. D.
" T. J. Butler, S. T. D.
Rev. A. S. Healy.

Judices Excusationum et Querelarum:

Illustrissimus ac Reverendissimus Velingensis.
" " Buffalensis.
Adm. Rev. Josephus M. Helmprecht, C. SS. R.
Rev. Carolus I. White, S. T. D.

Scriptores Supplicationum ad Sanctam Sedem:

Flaviopolitanus et Pompeiopolitanus.

Scriptores Literarum:

Ad Gallicam Fidei Propagandæ Societatem, Savannensis.
Ad Societatem S. Infantiæ, Natchitochensis.
Ad Leopoldinam, Wayne-Castrensis.
Ad Monacensem, Milwauchiensis.

Magistri Cæremoniarum:

Rev. Franciscus McNierney.
Rev. Stanislaus Ferte, S. S., S. T. D.

Cantores:

Rev. P. P. Denis, S. S.
" Joannes J. Dougherty.
" P. Chapon, S. S.
Rev. J. J. Keane.
" Thaddeus J. Butler, S. T. D.
" Carolus Ziegler.

VI. Superiores Seminariorum Majorum.

Adm. Rev. Gulielmus McCloskey, S. T. D., Rector Collegii Americani in Alma Urbe.
" " Joannes McCaffrey, S. T. D., Rector Seminarii S. Mariæ ad Montes.
" " Jacobus O'Connor, Rector Seminarii S. Caroli Borromæi, Philadelphiæ.
" " Antonius Varrina, Congr. Missionis, Superior Seminarii Neo-Aurelianensis.
" " Franciscus Josephus Pabisch, Sacræ Theologiæ et Iuris Utriusque Doctor, Seminarii S. Mariæ ad Montes Cincinnatensis Præses.
" " Josephus Alizeri, C. M. Seminarii S. Vincentii in Diœcesi S. Ludovici Rector.
" " Michael Heiss, Superior Seminarii S. Francisci Salesii Milwauchiensis.

VII. Absentes notati in hac Prima Sessione.

Illustrissimus ac Reverendissimus D. Joannes B. Miege, Episcopus Messeniensis, et Vic. Ap. Kansas, cujus adventus gravissimo morbo impeditus fuit.
" " D. Claudius Maria Dubuis, Episcopus Galvestonensis, in Europa ob diœceseos negotia detentus.
" D. Ephraim McDonnell, Abbas Cisterciensis, ob morbum excusatus.
Adm. Rev. Eduardus Sorin, Provincialis Congregationis SS. Crucis, in Europa detentus.

VIII. Theologi.

A singulis Archiepiscopis et Episcopis vel secum adducti, vel Baltimoræ designati:

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo Baltimorensi:

Adm. Rev. Henricus B. Coskery, S. T. D., V. G.
" " Josephus Paulus Dubreul, Sup. Sacerd S. Sulp., S. T. D.
Rev. Joannes McCaffrey, S. T. D.
" Carolus Ignatius White, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo Oregonensi:

Rev. Aloysius Stephanus Valois. Rev. J. Lancaster Spalding, S. T. L.
Rev. Joannes Hickey.

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo S. Ludovici:

Adm. Rev. Josephus Melcher, V. G. Rev. Patritius J. Ryan.
Rev. Carolus Ziegler.

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo Cincinnatensi:

Adm. Rev. Eduardus Fitzgerald. Rev. Franciscus Xav. Weninger, S. J., S. T. D.
Rev. Augustus M. Toebbe.

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo S. Francisci.

Rev. Nicolaus Dominicus Young, O. P. Rev. Gulielmus Quinn.
Rev. Aug. Antonius Langlois, O. P.

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo Neo-Aurelianensi:

Adm. Rev. Napoleo J. Perche, V. G. Adm. Rev. Augustus Gaudet, Sup. Ob. M. I.
Rev. J. J. Giustiniani, C. M.

A Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo Neo-Eboracensi:

Adm. Rev. Gulielmus Starrs, V. G. Rev. Isidorus Daubresse, S. J.
Rev. Franciscus McNierney.

A Reverendissimo et Illustrissimo Episcopo Velingensi:

Rev. Joannes Early, S. J. Rev. Joannes Sullivan.

A Reverendissimo et Illustrissimo Zelano:

Rev. Gustavus Lumpers, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Milwauchiensi:

Adm. Rev. Franciscus Xav. Krautbauer, O. Min. Cap.
Rev. Joannes Gulielmus Norris, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Nesqualensi:

Adm. Rev. Joannes Bapt. Brouillet, V. G. Rev. Eduardus McColgan.

A Reverendissimo et Illustrissimo Clevelandensi:

Adm. Rev. Alexius J. Caron, V. G. Adm. Rev. Jacobus Conlan, V. G.

A Reverendissimo et Illustrissimo Buffalensi:

Adm. Rev. Gulielmus Gleason, V. G. Adm. Rev Jacobus M. Early, V. G.

A Reverendissimo et Illustrissimo Vancouverensi:

Rev. Joannes Bapt. Alerd. Rev. Eduardus Brennan.

A Reverendissimo et Illustrissimo Vincennopolitano:

Rev. Martinus Marty, O. S. B., Prior S. Meinradi. Rev. Beda O'Connor, O. S. B.

A Reverendissimo et Illustrissimo Richmondensi:
Adm. Rev. Thomas Mulvey, V. G. Rev. Thomas A. Becker, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Episcopo Sanctæ Fidei:
Rev. J. M. Coudert. Rev. T. S. Reynolds.

A Reverendissimo et Illustrissimo Burlingtonensi:
Adm. Rev. Thomas Lynch, V. G. Adm. Rev. Zephyrinus Druon, V. G.

A Reverendissimo et Illustrissimo Brooklynensi:
Rev. Sylvester Malone. Rev. Thomas J. Gardner, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Covingtonensi:
Rev. Franciscus Di Maria, S. J. Rev. E. H. Brandt.

A Reverendissimo et Illustrissimo Novarcensi:
Adm. Rev. Bernardus J. McQuaid, V. G., Rector Sem. Setoniensis.
Rev. Georgius H. Doane.

A Reverendissimo et Illustrissimo Montereyensi et Angelorum:
Rev. Gulielmus F. Clarke, S. J. Rev. Michael Accolti, S. J.

A Reverendissimo et Illustrissimo Natchitochensi:
Rev. Stanislaus Ferte, S. S. S., S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Portlandensi:
Adm. Rev. Eugenius Mueller, V. G. Rev. Gulielmus Keegan.

A Reverendissimo et Illustrissimo Marquettensi et Marianopolitano:
Rev. Honoratus Bourion. Rev. Josephus Behan.

A Reverendissimo et Illustrissimo Altoniensi:
Adm. Rev. Petrus Jos. Baltes, V. G.

A Reverendissimo et Illustrissimo Chicaginensi:
Rev. Thaddeus J. Butler, S. T. D. Rev. Joannes McMullen, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Natchetensi:
Adm. Rev. Mathurinus Grignon, V. G. Rev. Franciscus Xav. Leray.

A Reverendissimo et Illustrissimo Wayne-Castrensi:
Adm. Rev. Julianus Benoit, V. G. Rev. Augustinus J. McConomy.

A Reverendissimo et Illustrissimo Carolopolitano:
Adm. Rev. Timotheus Birmingham, V. G. Adm. Rev. Jacobus A. Corcoran, S. T. D.

A Reverendissimo et Illustrissimo Hartfordensi:
Rev. Matthaeus Hart. Rev. Thomas F. Hendriken.

A Reverendissimo et Illustrissimo Raphanensi, Vic. Ap. Nebraskæ:
Adm. Rev. Joannes F. Brazil.

A Reverendissimo et Illustrissimo Episcopo Sti. Pauli:
Adm. Rev. Augustinus Ravoux, V. G. Rev. Bernardus Chocarne, O. P.

A Reverendissimo et Illustrissimo Mobiliensi:
Rev. Dominicus Manucy. Rev. R. Holaind, S. J.

A Reverendissimo et Illustrissimo Philadelphiensi:
Adm. Rev. Carolus Henricus Carter. Rev. Nicolaus Cantwell.

A Reverendissimo et Illustrissimo Pittsburgensi:

Adm. Rev. Tobias Mullen, V. G. Adm. Rev. Joannes Stibiel, V. G.

A Reverendissimo et Illustrissimo Flaviopolitano, Vic. Apost. Marysville:

Rev. Joannes F. Hickey. Rev. Carolus F. King, S. J.

A Reverendissimo et Illustrissimo Savannensi:

Adm. Rev. Petrus Dufau, V. G. Rev. Paulinus Dissez, S. S. S.

A Reverendissimo et Illustrissimo Ludovicopolitano:

Rev. Petrus Defraine. Rev. Joannes Albertus Bokel, O.P

A Reverendissimo et Illustrissimo Albanensi:

Rev. Edgar F. Wadhams. Rev. Thomas Daley.

A Reverendissimo et Illustrissimo Nashvillensi:

Rev. Jacobus Rooney, O. P.

A Reverendissimo et Illustrissimo Bostoniensi:

Rev. Alexander S. Healy. Rev. Gulielmus A. Blenkinsop.

A Reverendissimo et Illustrissimo Dubuquensi:

Adm. Rev. A. M. Pelamourgues. Rev. Jacobus B. Donelan.

A Reverendissimo et Illustrissimo Pompeiopolitano, Auxil. Cincinnatensi:

Rev. Joannes McElroy, S. J. Rev. Bernardus J. McManus.

Ab Adm. Rev. Administratore Eriensi:

Rev. J. J. Dougherty. Rev. Kieranus O'Brannigan.

Postea ad instantiam Promotoris, annuentibus Patribus, dies undecima Octobris, ejusque hora nona A. M. pro Sessione secunda habenda a Præside indicta est. Omnibus his ex ordine absolutis, Promotor institit pro Actis Sessionis hujus conficiendis; eaque conficere promisit Notarius.

Denique surgens Præses, omnibus Synodalibus præsentibus impertitus est Benedictionem Papalem, una cum Indulgentia Plenaria, prout ei, ex speciali Summi Pontificis concessione, data die quinta Maji anni currentis, fuerat ampliatum.

Dein cuncti eodem, quo venerant, ordine ad domum Archiepiscopalem processionaliter redierunt.

IX. Congregatio Prima Privata.

Die octava Octobris, in ædibus Archiepiscopalibus habita.

Decretum de nuntio telegraphico (despatch) ad Summum Pontificem mittendo oblatum est ab Archiepiscopo S. Ludovici, cui accessit Metropolita Cincinnatensis, et voce unanimi receptum est a Patribus. Decretum his verbis conceptum est: "Patres hujus Concilii censent nuntium telegraphicum ad Summum Pontificem mitti oportere, ut sensus nostros erga Sanctam Sedem exprimamus."

Archiepiscopus Cincinnatensis suggessit ut nuntius telegraphicus Anglice scriberetur; cui accessit Episcopus Velingensis.

Episcopus S. Pauli proponebat ut lingua Gallica aut Latina, potiusquam Anglica, in nuntio conficiendo adhiberetur, cui tamen Patres minime assenserunt.

Episcopus Buffalensis votum emisit, ut in nuntio aliquid haberetur quod Patres velle jura omnia Pontificis sarta tectaque servari debere declararet. Episcopus Montereyensis accessit Buffalensi.

De hac propositione inter Patres hinc inde disceptatum est. Patres deinde in eam sententiam iverunt.

Archiepiscopus Neo-Eboracenus suggessit, ut Rev^{mus} Delegatus Apostolicus nonnullos præsules designaret, quibus nuntii scribendi munus committeret: id quod omnibus placuit.

Designavit deinde Rev^{mus} Delegatus Apostolicus Archiepiscopum Neo-Eboracenum et Ep^{um} Buffalensem sibi assessores in hoc nuntio conficiendo; nam ipsi unanimi voce præsulum in primis id muneris commissum est.

Interea Archiepiscopus S. Ludovici suggessit Administratores Sedium vacantium jus strictum habere conventibus Patrum ordinariis cum voto decisivo interesse, quin tamen aliquid juris habeant vocem emittere in seligendis presbyteris qui ad Sedes Episcopales promoverentur.

Qui nuntii telegraphici conficiendi munus in se susceperant, formam his conceptam verbis retulere:

"Seven Archbishops and forty Bishops, in Council, unanimously greet your Holiness, wishing long life, with preservation of all ancient and sacred rights of the Holy See."

Retulit Archiepiscopus S. Ludovici formam decreti, vi cujus Abbates infulati invitandi essent ordinariis conventibus Præsulum interesse, in iisque vocem decisivam emittere. Hujus decreti examen Metropolitis Oregonensi et Cincinnatensi et Episcopo Buffalensi commissum est.

Archiepiscopus S. Ludovici proposuit ut vox decisiva Episcopo Pompeiopolitano et Auxiliari Archiepiscopi Cincinnatensis concederetur; id quod omnibus seriatim ea de re interrogatis visum est. Hic de novis sedibus erigendis agi cœptum est.

X. Congregatio Secunda Privata.

Die Martis, nona Octobris, habita.

Hora decima antemeridiana convenerunt Patres cum officialibus. Acta hesternæ Congregationis lecta sunt et probata. Buffalensem

excusatum fuisse ab examine jurium quæ Abbatibus infulatis competunt, ejusque loco suffectum fuisse Velingensem, nuntiavit Reverendissimus Delegatus Apostolicus.

Cincinnatensis, consentiente Oregonensi, dissentiente Velingensi, retulit Abbates infulatos non decisiva, sed tantum consultiva voce gaudere, ac decretum hujus tenoris proposuit: "Censuerunt Patres admittendos esse, cum voce consultiva, Abbates Ordinum Religiosorum ad Sessiones privatas Episcoporum, non autem ad eas in quibus de novis sedibus erigendis, vel de presbyteris ad Episcopatum commendandis agitur."

Metropolita S. Ludovici, cui accessit Administrator Detroitensis, obtulit hoc decretum: "Visum est Patribus Abbates infulatos qui præsto sunt admittendos esse ad Conventus Præsulum cum voce decisiva, rejecto in aliud tempus examine de eorum jure stricto eam emittendi."

Alii Patres alia protulerunt judicia. Ad suffragia demum cum ventum est, decretum a Metropolita S. Ludovici propositum cœtui minime placuit; quod vero obtulerat Cincinnatensis receptum est, ajentibus septem supra viginti, negantibus sexdecim.

Petente Savannensi, qui scriptor literarum ad Societatem Gallicam Fidei Propagandæ designatus erat, Reverendissimus Delegatus Apostolicus Oregonensem et Neo-Aurelianensem rogavit ut illi adjutores esse vellent. Eodem Delegato verba ad Patres faciente, Reverendissimi Abbas Benedictinus S. Vincentii, in diœcesi Pittsburgensi, et Cisterciensis Monasterii Gethsemani in diœcesi Ludovicopolitana in cœtum a Cancellario introducti sunt.

Concilii Notarius obtulit primam relationem primæ Congregationis privatæ Theologorum. A Patribus hæ mutationes decretæ sunt. In pag. 1, linea 1, post "Revelatio" addita sunt verba "homini ad finem suum ultimum consequendum;" et pag. 13, linea ab ima 11, loco "Christiani" positum est "homines." Ad Num. 17, pag. 7, voluerunt Patres nominari duas Præsulum Congregationes, qui de meliori ex jam existentibus versionibus S. Scripturæ in linguis Anglica et Germanica eligenda agerent. Ad versionem Anglicam eligendam nominavit Reverendissimus Delegatus Apostolicus Metropolitas S. Ludovici, Cincinnatensem, et Neo-Eboracenum. Archiepiscopo S. Ludovici se excusanti suffectus est Novarcensis. Pro versione Germanica designati sunt Milwauchiensis, Altoniensis, et Wayne-Castrensis.

Proponentibus Savannensi et Philadelphiensi, Num. 19, linea 2, post vocem "cooperatæ" hæc addita sunt: "Et quamvis unica sit

in Trinitate voluntas et operatio in omnibus ad extra, attamen speciales effectus unicuique Personæ tribuuntur *nuncupative*, nempe Creatio Patri, Redemptio Filio, Sanctificatio Spiritui Sancto."

Difficultatem movente Velingensi de doctrina quæ traditur in Num. 1°, re diu discussa, tandem, proponente Montereyensi, cui fautor erat Metropolita S. Ludovici, inserta sunt verba "per se" ante vocem "sufficientem" in linea 7.

Cum de novibus sedibus erigendis deliberare vellent Patres, abierunt Secretarii.

XI. Congregatio Publica Prima.

Die Martis, nona Octobris, habita.

Hora quarta cum dimidia P. M., in Ecclesia Metropolitana, Præsidente Illus^mo^ ac Rev^mo^ D. Baltimorensi, Delegato Apostolico, adfuere Patres omnes, qui mane adfuerant; præterea Ordinum Religiosorum, Congregationumque Præpositi, Vicarii Generales, Seminariorum majorum Rectores, nec non Theologi conciliares.

Themata discussionis proposita fuere Titulus I., *De Fide Orthodoxa, deque Erroribus serpentibus;* Titulus II., *De Hierarchia et Regimine Ecclesiæ.* Prælectæ sunt primum animadversiones Theologorum primæ Congregationis, literis consignatæ per Notarium specialem; vocati deinceps ejusdem Congregationis Theologi, ut, quid sentirent de materia subjecta, liberrime exprimerent; verum omnes se adhærere scripto tenus expositis fassi sunt. Animosior fuit disputatio super Titulum II., sed singulorum vota in relatione Notarii specialis ejusdem Congregationis fuere sufficienter exhibita.

XII. Congregatio Tertia Privata.

Die Mercurii, decima Octobris, habita.

Hora solita convenerunt Patres cum Officialibus. Acta hesterna lecta et probata.

Congregatio Querelarum et Excusationum retulit per Reverendissimum Velingensem, Reverendissimum Vicarium Apostolicum Kansas, jam propter infirmitatem excusatum, designasse per literas Procuratorem Adm. Rev. Ferdinandum Coosmans, S. J., quæ designatio Congregationi juxta formas Canonicas facta visa est; qua de causa rogavit ut eidem liceret Concilio adesse, cum iisdem juribus quæ Administratori competere decretum est. Annuerunt Patres, auctoribus S. Francisci Metropolita, et Zelano.

A Cancellario in cœtum inductus est Adm. Rev. Procurator.

Proposuit tunc, annuente Administratore Detroitensi, Rev^mus S. Ludovici sequens decretum: "Placuit Patribus sex prima capita Tituli primi retineri, caput autem septimum omitti debere."

Declaravit Cincinnatensis sibi certo constare, voluntatem esse Sanctæ Sedis ut de erroribus inter nos serpentibus gravis in hoc Concilio fieret sermo, quo certius a fidelibus arcerentur. Datis suffragiis, in sententiam propositam ire noluerunt Patres.

Auctore Cincinnatensi, verba *per se* addita in hesterno conventu in pag. 1, linea 7, ante vocem *sufficientem* omissa sunt. Proposuit Velingensis, accedente Natchetensi, ut ante vocem "sufficientem" insererentur "in praxi," quo clarius discrimen inter factum et doctrinam elucesceret; at noluerunt Patres. Episcopus S. Pauli suggessit ut verba "haud valuisse" substituerentur iis "non fuisse sufficientem." Sed Cincinnatensi melius videbatur ut, siqua mutatio fieret, tota sententia ita poneretur ut diceretur "rationem humanam non edocuisse," etc. Patribus tamen id non placuit, et in sententiam Episcopi S. Pauli iverunt.

Buffalensis, fautore Rev^mo S. Ludovici, proposuit ut post vocem "quod," quæ ultima est in linea 1, Num. 1, adderentur "post lapsum." Patribus haud placuit propositum.

Volebat deinde Cincinnatensis, annuente Rev^mo S. Francisci, ut verba quæ a Savannensi proposita addita fuere heri linea 2, Num. 19, omitterentur. Cœtui sententia haud arrisit, octodecim tantum ajentibus.

Auctoribus Neo-Eboraceno et Richmondensi, statutum est servandam esse legem, qua cavetur, ne postquam suffragiis datis rem aliquam Patres definierint, ea ad examen de novo deducatur, nisi proponente uno ex illis qui cum majori numero suffragium tulerant, et annuente cœtu.

Proposuit Rev^mus S. Ludovici, accedente Montereyensi, sequens decretum, quod plerique Patrum probarunt. "Placuit Patribus procedi ad examen eorum quæ in Titulis contenta ad praxim attinent, omissa in præsens discussione eorum quæ ad doctrinam pertinent."

Concilii Notarius perlegit primam relationem Secundæ Congregationis Privatæ Theologorum.

Ea perlecta, hoc decretum propositum est a Pompeiopolitano, annuente Rev^mo S. Ludovici, "Placuit Patribus res omnes dogmaticas, prouti occurrunt, deputare Congregationi speciali trium Episcoporum, quorum relatio inter Acta non autem inter Decreta hujus Concilii locum habere possit."

Re diu discussa, tandem proposuit Pompeiopolitanus, favente Neo-Eboraceno, primam partem, scilicet: "Placuit Patribus res omnes dogmaticas, prouti occurrunt, deputare Congregationi speciali trium Præsulum." Annuerunt Patres. Quoad secundam partem, explicavit Pompeiopolitanus per verba "locum habere inter acta non autem decreta" ipsum intellexisse non locum materialem, sed auctoritatem; ita ut quæ ad rem dogmaticam spectant suis quidem locis (si correcta haud fuerint) manerent, ea vero auctoritate gauderent quæ Actis Concilii, literis v. g. ad S. Pontificem, tribui solet, sed ut decreta minuto et diuturno examini subjecta minime habenda essent. Cum disputatio in longum abiret, Rev^{mus} Præses Patribus significavit de ea re deliberandum fore postquam Episcopi designati ad Concilium retulissent; quod omnibus bene visum est. Insuper, omnium consensu, proposuit Episcopis adjiciendos esse duos Theologos.

Auctoribus Rev^{mis} S. Ludovici et Neo-Eboraci, decretum est crastino die non esse habendam publicam sessionem, cujus in locum privata Episcoporum Congregatio substituta fuit. Hic, more solito, recesserunt Secretarii et Officiales.

XIII. Die Jovis, undecima Octobris.

Sessio secunda habita haud fuit, eo quod adhuc nulla essent parata decreta promulganda; convenere tamen Præsules et Presbyteri Synodales omnes, hora 9. A. M. in æde Metropolitana. Abfuit Rev^{mus} et Ill^{mus} D. Marquettensis, qui pridie hujus diei subitaneo morbo correptus, et toto Concilii tempore graviter decumbens, amplius Concilio interesse non potuit.

Missam de Requiem pro Præsulibus defunctis, qui inde a primo Concilio Plenario habito e vita migraverant, celebravit Ill^{mus} ac Rev^{mus} D. Archiepiscopus Oregonensis, cui adstiterunt Adm. Rev. D. Joannes Bapt. Brouillet, Archidiaconus; Rev. D. Edgarus Wadhams, Diaconus; Rev. D. Stephanus Avila Valois, Subdiaconus. Missa finita, diserto sermone Prælatos, hoc interstitio plus quam quatuordecim annorum, defunctos laudavit Ill^{mus} ac Rev^{mus} D. Novarcensis, nempe:

Rev^{mum} et Ill^{mum} Franciscum Patritium Kenrick, Archiepiscopum Baltimorensem;
" " Joannem Hughes, Archiepiscopum Neo-Eboracensem;
" " Antonium Blanc, Archiepiscopum Neo-Aurelianensem;

Rev^{mum} et Ill^{mum} Michaelem Portier, Episcopum Mobiliensem;
" " Matthiam Loras, Episcopum Dubuquensem;
" " Richardum Pium Miles, Episcopum Nashvillensem;
" " Joannem J. Chanche, Episcopum Natchetensem;
" " Andream Byrne, Episcopum Petriculanum;
" " Ignatium A. Reynolds, Episcopum Carolopolitanum;
" " Joannem Bernardum Fitzpatrick, Episcopum Bostoniensem;
" " Jacobum O. Van de Velde, Episcopum Chicaginensem, postea Natchetensem;
" " Bernardum O'Reilly, Episcopum Hartfordensem;
" " Josephum Cretin, Episcopum Sti. Pauli;
" " Franciscum Xav. Gartland, Episcopum Savannensem;
" " Eduardum Barron, Episcopum Eucarpiæ in part. infid.;
" " Joannem Nepomuc. Neumann, Episcopum Philadelphiensem;
" " Joannem Barry, Episcopum Savannensem;
" " Clementem Smyth, Episcopum Dubuquensem;
" " Josue M. Young, Episcopum Eriensem.

Absolutio ab ipso Illmo ac Rev^{mo} celebrante facta est; qua finita, omnibusque in locis suis considentibus, habita est Concio secunda ad Conciliares, *De Sacerdotii Dignitate*, ab Illmo ac Rev^{mo} Sti. Francisci Metropolita. Deinde omnes recesserunt.

XIV. Congregatio Quarta Privata.

Die Jovis, undecima Octobris, habita.

Absoluto Sacro piaculari pro Præsulibus defunctis a superiori Concilio Plenario, in Congregationem privatam convenerunt Patres.

Actis hesternis lectis et probatis, Num. 91 examini subjectus est. Adnotavit Oregonensis visitationem Episcopi ad viciniores Ecclesias non esse restringendam, sed ad longinquiores etiam, si ea indigere videantur, extendendam. Episcopus S. Pauli, favente Zelano, totum numerum prout jacet retinendum proposuit, in quod Patres, suffragiis emissis, consenserunt. Rev^{mus} Delegatus Apostolicus ea quæ habentur in Num. 92 delenda censuit, quippe quæ alio in loco repetantur, quod Patribus placuit.

Item, auctoribus Philadelphiensi et S. Pauli Præsulibus, retentus est Num. 96 prout in libro typis impresso habetur. Volebat Philadelphiensis cum Buffalensi Capita IV., V., et VI., Tituli II. nullatenus esse mutanda; verum cum suggereret Neo-Eboracenus in iis de rebus gravioris momenti agi, in crastinum diem dilata est deliberatio. Hic, more solito, recesserunt Secretarii, cæterique Officiales.

XV. Congregatio Quinta Privata.

Die Veneris, duodecima Octobris, habita.

Hora solita convenerunt Patres. Lectis et probatis Actis hesternis, Metropolita S. Ludovici, annuente Archiepiscopo S. Francisci, hoc obtulit decretum a Patribus adoptandum: "Placuit Patribus ut decreta in hoc Concilio ferenda conceptis verbis formam decretorum Synodalium præ se ferentibus proponantur, et sententiæ Patrum uniuscujusque Provinciæ, juxta ordinem consecrationis in ista Provincia, exquirantur. Placuit etiam ut Abbates infulati simul cum Episcopis in quorum Provinciis sita sint eorum monasteria etiam interrogentur, quamvis eorum vota non sint in tabulas referenda. Patrum vota simul ac emissa fuerint, post rationem redditam, si voluerint eam rationum momentis fulcire, Secretarii statim in tabulas referant."

Toto negotio, prout rei gravitas postulabat, discusso, ad suffragia ventum est. Patribus non placuit decretum propositum, ajentibus duodecim, negantibus triginta et duobus. Metropolita S. Ludovici protestationem obtulit, quam inter Acta referri jussit Rev^mus^ Delegatus Apostolicus, quæque cum istis S. Pontifici est missa.

De materia Tituli II. iterum agi cœptum est. Ad Num. 49, linea 8, post verbum "Pauli" additum est "sive alio opportuno tempore;" linea 12, post "satagant" positum est "vel, si uni vel alteri Ordinario magis placuerit, directe mittantur ad Summum Pontificem;" loco verborum, "Hoc autem decretum vim legis per omnes nostras habebit Provincias," linea 12 et 13, substituta sunt hæc, "Hæ autem collectæ fient singulis annis per omnes nostras Provincias;" ne scilicet volentibus in subsidium Pontificis venire obligatio legis necessaria videretur.

Ad Num. 59, linea 4, post "canonicis," additum est "etiam." Ad Num. 68, omnia incipiendo a "celebrare" linea 2, usque ad "curent" linea 6, omissa sunt, auctoribus Neo-Eboraceno et Velingensi. Iidem etiam, allatis rationum momentis, proposuerunt ut omitterentur

numeri 73, 74, 75, 76, quod Patribus bene visum est. Additi itaque sunt Num. 71 et 72 numeris Cap. VI., ita ut unum habeatur Caput numero quintum, cui Titulus sit, "De Episcopi Consultoribus, Vicario Generali, Archidiacono, cæterisque Officialibus." Ad Num. 81, linea 9, loco "decernimus," decretum est legi, "vel Cleri conventibus consulimus."

Cætera in Titulo II. prout prόstant probata fuere, suffragiis de unoquoque Capite exquisitis.

Hic, more solito, recesserunt Secretarii et alii Officiales.

XVI. Congregatio Publica Secunda.

Die Veneris, duodecima Octobris, habita.

Hora quarta cum dimidia, convenere in ecclesia Metropolitana omnes Prælati cæterique clerici Synodales. Perlecta primo, juxta morem per Notarium Concilii, Notarii Congregationis specialis relatione revisa, super Titulum tertium: De Personis Ecclesiasticis; denuo vocati sunt hujus tertiæ Congregationis Theologi, singillatim, ut non solum quod majori numero placuerit, sed etiam quid quisque in animo haberet de materia subjecta panderent. Qua facultate data plures usi sunt ingenue, suaque vota imprimis circa honestam sacerdotum morbo vel ætate confectorum sustentationem efficacius promovendam manifestarunt.

XVII. Congregatio Sexta Privata.

Sabbato, die decimatertia Octobris, habita.

Hora solita Patres convenerunt, et Acta hesterna lecta et probata sunt.

Velingensis ex Congregatione Excusationum et Querelarum retulit prout sequitur: "Judices Excusationum et Querelarum de absentia per aliquot dies Ill^{mi} ac Rev^{mi} Galvestonensis Patribus Concilii referunt, causas absentiæ fuisse omnino sufficientes, scilicet cum transnavigare eo tempore vellet quo plures dies ante Concilium aperiendum venisset, locus in navi non fuit. Et cum postea iter fuisset aggressus, tres vel quatuor dies ultra tempus ordinarie necessarium ad iter conficiendum in via est detentus. Propter easdem causas abfuit Adm. Rev. E. Sorin, qui eodem tempore et in eodem navigio iter fecit."

Richardus Vincentius,
Episcopus Velingensis, Testis.

Congregatio Præsulum rebus dogmaticis examinandis deputata relationem fecit, quæ fuit hujus tenoris; "Cœtus ex tribus Patribus, Theologisque duobus constans, quatuor ante diebus in Patrum Congregatione privata designatus, ad ea examinanda quæ in Titulis ad doctrinam spectantia occurrunt, convenit jam ter apud Rev^mum^ Neo-Eboracenum, qui eidem præest. Audita sunt quæ tanquam mutanda, corrigenda, aut aliter emendanda a quibusdam ex Patribus hujus Concilii oblata sunt, et accurate perpensa. Erant autem hujusmodi. Ad Num. 22, linea 14, loco 'puniendæ' propositum est ut legeretur 'puniendorum.' Ad Num. 25, ubi laudatur Beata Virgo Maria, propositum est ut membra quædam hujus sententiæ transferrentur, ita ut locum invicem mutarent. Utraque mutatio cum de Latino tantum sermone aut stylo ageretur Secretariis commissa est, qui eam sub directione Rev^mi^ Delegati Apostolici considerandam susciperent. Ad Num. 44, fuit qui Cypriani textum eliminandum arbitraretur, ne fides populi Romani cum fide Sedis confundi videretur. Cœtus textum retineri posse judicavit. Ad Num. 45, linea 2, cuidam visum est verba 'in ejus Cathedra sedentibus' delenda esse, ob periculum non improbabile, ne scilicet locus ejus Cathedræ ab intruso vel falsi nominis Pontifice occupetur. Cœtui non placuit mutatio; quum vero intellexisset eam a Rev^mo^ Delegato Apostolico acceptatam fuisse, in eam consensere omnes. Proponente quodam ad trutinam revocata sunt verba Num. 15, linea 5 et 6, 'cum Sacrosancta Tridentina Synodo decernimus;' quæ majoris modestiæ causa ita emendata fuere, 'nos, vestigiis inhæremus Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decernentis.' Item comma seu incisum in fine, quod ita se habet: 'Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur;' omnium consensu tanquam inutile, quodque in praxim nunquam deducendum esset, deletum fuit.[1] Sub finem postremi conventus, majori tamen parte remanente, discussa fuit mutatio quædam altera proposita, scilicet in Num. 5, linea 10, ubi habentur hæc verba 'si id foret possibile;' quæ quum non manifestam Ecclesiæ doctrinam exponant, sed scholarum Theologicarum placita attingere videantur, meliori consilio omittenda judicatum est. Sentit igitur prædictus Patrum ac Theologorum cœtus dogmatica omnia quæ in Titulis I. et II., et in Capitibus 1° et 2°. Tituli III. habentur acceptari ac probari posse, si Patribus ita videatur, et ad ulteriora procedi." Præsules autem qui cœtum efformaverant, erant Neo-Eboracensis, Savannensis, et Pompeiopolitanus.

[1] Ex Instructione tamen S. Cong., comma istud est retentum. Vide Instructionem Generalem, *infra*.

Cum Metropolita S. Francisci proponeret ut relatio Congregationis probaretur, voluit Velingensis, favente Zelano, ut numeri Titulorum seriatim Patribus probandi submitterentur. Id plerisque visum est, ajentibus triginta et duobus, negantibus undecim, quinque vel absentibus vel a suffragio ferendo excusatis. Relatio Congregationis recepta fuit; et numeri Titulorum I. et II. seriatim Patribus propositi. Ad Num. 5, verba linea 10, quæ Congregatio Præsulum delenda voluerat, retineri debere autumabat Velingensis. In sententiam Congregationis iverunt Patres. De Num. 17, agere noluerunt donec referrent Præsules Scripturarum versionibus vernaculis seligendis designati. Ad. Num. 38, notarum instar quosdam S. Scripturæ textus a Natchetensi et Buffalensi propositos addi voluerunt. Demum numeri omnes, decimo septimo excepto, probati sunt, suffragiis de unoquoque Capite habitis.

Ad Titulum III. ventum est. Contra numeri 83 secundam sententiam quædam objecit Buffalensis; totum tamen retinendum voluerunt Patres. Ad Num. 86 cum quædam opponeret idem Antistes, Metropolita S. Francisci, et Episcopi Milwauchiensis et Savannensis toti numero ad examen revocando designati sunt a Rev^mo^ Delegato Apostolico.

Cum vellent Patres de novis Sedibus Episcopalibus erigendis, et Presbyteris ad Episcopatum commendandis agere, abierunt Secretarii et Officiales.

Hora quarta pomeridiana rursus convenerunt Patres.

Nomine Congregationis Versioni Anglicæ S. Scripturarum seligendæ retulit Cincinnatensis, ipsi visam esse eligendam versionem a bon. mem. Francisco Patritio Kenrick concinnatam, revisam tamen, cui addendæ essent notæ Episcopi Challoner, et illæ revisæ quidem et emendatæ. Contra quod vehementer obluctante Metropolita S. Ludovici, post multa hinc inde disceptata, tandem auctoribus Brooklynensi et Novarcensi totus numerus 17 deletus est. Locus itaque non fuit relationi Congregationis cui commissum fuerat negotium versionis Germanicæ.

Metropolita S. Francisci ex Congregatione numero 86 examinando suggessit, ut post verba "fuerunt," linea 3, periodus quæ incipit "Ad quinque fere" sic legeretur "Inter alia Metropolitarum jura sequentia enumerari possunt:" et iis quæ sub numeris I., II. et V. leguntur retentis, omitterentur ea quæ numeris III. et IV. habentur. Patres quidam cum suam sententiam declarassent, et alii alia proposuissent, demum quæ a Congregatione suggesta sunt cœtui placuerunt.

Quæ habentur in Titulo III. seriatim per numeros considerata sunt; et omnia usque ad finem Cap. IV., cum emendationibus quæ sequuntur, probata sunt.

Proponentibus Richmondensi et Velingensi, totus Num. 93, prima periodo excepta, deletus est, ajentibus duobus super triginta, negantibus undecim, cæteris vel absentibus, vel a suffragio ferendo excusatis, et prima periodus retenta addita est Num. 94, deleto "vero" post "minores."

Notarius ea quæ a Theologis ad Num. 96 notata sunt perlegit.

Proponente Neo-Eboracensi, decretum est suffragia non exquirenda de legibus a Conciliis Baltimorensibus jam latis nisi quis ex Patribus eas mutari vellet. Savannensis et Neo-Aurelianensis proposuere ut Num. 109 omitteretur; sed noluere Patres, quatuor tantum ajentibus. Auctoribus Neo-Eboraceno et Cincinnatensi, Num. 110 deletus est. Idem de numero 111, Buffalensi et Pittsburgensi suggerentibus, decretum; quod etiam de Num. 128 et 129 statuerunt Patres, proponentibus Novarcensi et Metropolita S. Francisci. Volebat Velingensis, annuente Philadelphiensi, delendum Num. 130. Noluerunt Patres, negantibus triginta quatuor, ajentibus octo, cæteris vel excusatis vel absentibus. Auctoribus Neo-Eboracensi et Novarcensi, verba Num. insequentis a "Jura hæc sunto" ad finem usque omissa sunt, reliquis in eodem numero probatis. Latis suffragiis, numeri 132, 133, 134 deleti sunt; centesimus trigesimus quintus probatus. Numerum 136 deleri voluerunt Hartfordensis et Pittsburgensis. Id haud decreverunt Patres, viginti et uno ajentibus, negantibus viginti et uno, cæteris vel absentibus vel a suffragio dando excusatis. Proposuit Metropolita S. Francisci ut in fine numeri hæc adderentur: "Quod quidem Regulares qui quinque annos in Statibus Fœderatis vixerint non attingat." Id placuit Patribus, et suffragiis datis totus numerus cum additamento probatus est.

Hora jam tarda, finis cœtui impositus est.

XVIII. Sessio Solemnis Secunda.

Die Dominica, decimaquarta Octobris, habita.

Hora decima antemeridiana, in Ecclesia Metropolitana convenerunt Patres Officialesque omnes in choro, pluvialibus albis induti; cæteri autem Synodales in navi Ecclesiæ, sæculares quidem cum superpelliceis, Regulares autem ordinis sui habitum gerentes.

Missam Pontificalem de B. V. Maria celebravit Ill[mus] ac Rev[mus] S.

Ludovici Metropolita; cui adstiterunt Rev. D. Patritius J. Ryan, Archidiaconus; Rev. D. Jacobus Gibbons, Diaconus; Rev. D. Urbanus Lequerré, S. S. S., Subdiaconus. Ad thronum autem Præsidis adstabant Adm. Rev. Henricus B. Coskery, Presbyter Assistens; Adm. Rev. Thomas Foley et Adm. Rev. Joannes McCaffrey, Diaconi ad honorem. Absoluto solemni sacro, concionem ad populum habuit Ill^{mus} ac Rev^{mus} Cincinnatensis.

Habita est deinde Sessio Solemnis Secunda, juxta normam Pontificalis Romani. Professionem Fidei emiserunt ii, qui primæ Sessioni non adfuerant; scilicet Ill^{mus} ac Rev^{mus} Claudius Maria Dubuis, Episcopus Galvestonensis; Adm. Rev. Ferdinandus Coosemans, S. J., Procurator Vic. Ap. Kansas, et Adm. Rev. Eduardus Sorin, Prov. C. SS. C. Lecta sunt deinceps a Secretario, prout in cœtu Metropolitarum convenerat, Decreta Tituli I. *De Fide Orthodoxa;* Tituli II. *De Hierarchia;* Tituli III. *De Personis Ecclesiasticis*, usque ad Caput IV., *De Sacerdotibus Curam Animarum Habentibus,* inclusive. Quæ omnia a Patribus probata sunt.

Indicta fuit tertia Concilii Sessio ad diem Jovis, Octobris 18vam, hora nona ante meridiem. Demum Rev^{mus} Præses, impertita Benedictione, finem Sessioni imposuit.

XIX. Congregatio Septima Privata.

Die Lunæ, decima quinta Octobris, habita.

Patres convenerunt hora solita, et Acta præcedentis Congregationis lecta et probata fuere.

Lectum est a Promotore hoc decretum: "Postquam omnia in Libello typis impresso ab initio usque ad Num. 136 inclusive Patrum judicio ab Illmo et Rev^{mo} Delegato Apostolico seriatim subjecta fuerint, et ab iisdem post quasdam emendationes probata; experientia compertum est, tempus huic Plenario Concilio præstitutum haud sufficere, ut reliqua omnia eidem minuto examini debita cum deliberatione subjici possint. Quapropter consultius duxerunt Patres statuere ut, ex materia quæ superest per Patrum quorumdam Congregationem una cum Delegato Apostolico ea decreta seligantur, quæ ad praxim tantummodo pertineant, aut majoris momenti esse videantur; atque hæc quamprimum Patribus examinanda proponantur. Quibus rite discussis, si tempus suppetat, cætera quoque examini subjicere liceat.

"Patres decretis practicis, si probata fuerint, eo sensu subscribent, ut iterum suis in locis (unde scilicet pro examine excerpta sunt) inse-

rantur, inter cætera dogmatica aut pastoralia quæ ob angustias temporis ad trutinam revocari forte nequeant; atque hoc modo omnia ad Summum Pontificem transmittantur, ejus supremo judicio corrigenda atque, si placeat, probanda."

Suggerente Neo-Eboraceno, decretum divisum est in duas partes. Primam usque ad "subjicere liceat" obtulerunt Neo-Eboracensis et Cincinnatensis. Patres singillatim interrogati consenserunt omnes, excepto Archiepiscopo S. Ludovici, qui a suffragio ferendo se abstinuit. Secundam partem proposuere Cincinnatensis et Zelanus. Interrogati Patres, quisque pro se respondit affirmative, præter Rev[mum] S. Ludovici, qui suffragium dare noluit.

Ad ea decreta seligenda quæ ad praxim pertineant, Rev[mus] Delegatus Apostolicus sibi consociavit Cincinnatensem et Neo-Eboracensem.

Ad Decreta tunc ventum est. Quoad decretum sub Num. 161, voluerunt Buffalensis et Velingensis ut verbum "hortamur," insereretur ante "ne nutriant" linea 1; haud tamen annuere Patres. Mobiliensis cum Metropolita S. Francisci suggessit ut ante eadem verba ponerentur hæc: "nisi Ordinarii venia et justa de causa." Quod Patribus bene visum haud est. Proposuerunt deinde Albanensis et Velingensis ut vox "commendamus," quæ ultima est decreti, mutaretur in "mandamus." Placuit id cœtui; et decretum sic emendatum plerique Patrum probaverunt.

Ad decretum sub Num. 163, auctoribus Neo-Eboracensi et Richmondiensi loco verborum "privatis vel," linea 1, inserta est vox "præsertim," viginti quinque ajentibus. Proponentibus Philadelphiensi et Buffalensi decretum hoc modo correctum probatum est.

Hic, more solito, recesserunt Secretarii cum Officialibus.

XX. Congregatio Publica Tertia.

Die Lunæ, decima quinta Octobris, habita.

Hora quarta cum dimidia P. M. convenere Patres omnes, Ordinum Religiosorum Superiores atque Theologi.

Prælectæ sunt a Notario Concilii relationes Congregationum particularium super Titulos IV. *De Ecclesiis, Bonisque Ecclesiasticis tenendis tutandisque;* et V., *De Sacramentis;* et vocatis auditisque prius Theologis IV. et V. Congregationem componentibus, facta est omnibus promiscue Theologis conciliaribus facultas, quidquid suggerendum existimarent, in medium proferendi.

XXI. Congregatio Octava Privata.

Die Martis, decima sexta Octobris, habita.

Hora solita convenerunt Patres, et Acta hesterna lecta et probata sunt.

Auctoribus Wayne-Castrensi et Zelano, decretum sub Num. 168 a Patribus probatum est.

Proposuerunt Mobiliensis et Philadelphiensis decretum sub Num. 169, quod etiam a Patribus probatum est.

Decreta sub Num. 184 et 185 examini subjecta sunt, et multa hinc inde dicta; tandem Novarcensis, cum Episcopo Sti. Pauli proposuit ut retinerentur prout jacent, quod Patribus bene visum est.

Ad decreta sub Num. 210 et insequentibus usque ad 223 exclusive cum plura fuissent disceptata; Rev^{mo} Delegato Apostolico visum est Congregationem trium Episcoporum designare, quæ plenam relationem crastino die afferret. Nominavit itaque Cincinnatensem, Philadelphiensem et Chicaginensem. Item, cum in decreto sub Num. 223, de bonis Regularium ageretur, quinque Præsules ad negotium expediendum deputati sunt, et ipsi insequenti die relaturi; qui fuerunt Rev^{mi} Cincinnatensis, S. Francisci, Richmondensis, Montereyensis, et Clevelandensis. Se excusanti Richmondensi suffectus est Velingensis.

A Patribus adoptatum est decretum sub Num. 241, auctoribus Pompeiopolitano et Clevelandensi.

Item unum decretum ex Num. 242 et 243 constans, postremo verbo Num. 243 "debent" in "decet" mutato, Patribus placuit, proponentibus Novarcensi et Metropolita S. Francisci.

Quæ sub Num. 257 prostant delenda voluere Richmondensis et Savannensis; quibus tamen haud consenserunt Patres. Vicario Apostolico Marysville et Philadelphiensi omittenda potius esse ultima periodus videbatur; et propositum cœtus probavit. Aliam emendationem suggessit Montereyensis cum Nesqualensi, ut scilicet loco eorum quæ ab initio usque ad "servandum decernimus," linea 9 habentur, hæc ponerentur: "Verum rebus in plerisque locis in melius mutatis, præcipimus ne Sacerdotes extra Ecclesiam hoc Sacramentum conferre audeant, extra mortis imminentis casum, in urbibus, unam vel plures ecclesias habentibus," et ut pro "privatim," linea 13, legatur "cum omnibus Ecclesiæ cæremoniis." Hæc Patribus placuerunt, et decretum ita emendatum probatum est.

Ad ea quæ Num. 263 et 264 habentur, pluribus de difficultate et incommodis longioris pro adultis baptismi formæ prolatis, quæ Missionum experientia edocuerat, demum in eam sententiam ventum est, ut supplicatio fieret ad S. Sedem, ut concederetur ad decem vel viginti annos facultas utendi etiam pro adultis forma quæ pro infantibus in Rituali ponitur. Decretum vero quod sub Num. 265 habetur, Patribus placuit.

Decretum sub Num. 274 a Patribus examini subjectum, probatum haud fuit, objicientibus Richmondensi et Velingensi.

Auctoribus Rev^mis Zelano et S. Francisci, decreta duo 281 et 283 lecta et probata sunt.

Item, quæ Num. 285 habentur, Velingensi proponente cum Metropolita S. Francisci, Patribus placuerunt. Zelano et eodem Metropolita faventibus, decretum sub Num. 287 probatum est, additis, ex sententia Cincinnatensis et Brooklynensis, verbis "super corporali" post "est" linea 2. Zelano itidem, et Metropolita S. Francisci Auctoribus, quæ habentur sub. Num. 288 adoptata fuerunt.

Hic, more solito, Officiales et Secretarii decesserunt.

XXII. Congregatio Nona Privata.

Die Mercurii, decima septima Octobris, habita.

Hora solita convenerunt Patres; et Acta hesterna lecta et probata sunt, quibusdam factis emendationibus. Cincinnatensis, cui negotium de bonis Regularium commissum fuerat, relationem Congregationis specialis hac de re constitutæ dedit, quæ fuit hujus tenoris:

"Cum Religiosi in locum Pastorum aut Administratorum Parœciarum ab Ordinario assumantur, earundem ecclesiarum dominium penes Ordinarium erit eodem modo ac lege, ac si a sæcularibus Pastoribus administrarentur. Quod si Religiosi præviis licentiis et S. Sedis et Ordinarii in scriptis, talem communitatem formaverint, qualem Sacri Canones requirunt, ut ab Ordinarii jurisdictione eximantur, tunc Ordinarius eis tradet solemne documentum, sive scripturam sigillo munitam, cujus natura sit declarare ecclesias Parochiales, ab iis administratas, administrandas fore etiam ab iisdem in futurum, debita Pastorum per superiores præsentatione ac eorumdem per Ordinarium acceptatione; nisi gravibus de causis a S. Congregatione de Propaganda Fide probandis, laudatas Parochias a dictis religiosis subtrahendas judicet Ordinarius.

"Ecclesias autem non Parochiales, sed communitatum sive mo-

nasteriorum prædictis licentiis institutorum, prout ipsa monasteria eorumque bona, ad Regulares ducimus pertinere. Si vero hujusmodi bona ipsis Religiosis accreverint per donationes intuitu diœcesis iisdem factas, vel ab Ordinario, vel a Christifidelibus, sive a Societate ad Fidei Propagationem Parisiis aut alibi vigente; tum hujusmodi bona quamvis eorumdem titulum legalem penes Religiosos esse sinamus, ad diœcesim pertinere judicamus; ita ut si a diœcesi, vel a præcipuo earum donationum fine ipsi defecerint, ad Ordinarium ea bona transferre teneantur. At si ita mixta sunt, ut eo adveniente casu, partim ex industria aut labore Religiosorum, partim ex dictis donationibus coagmentata fuisse inveniantur; quid cuique tribuendum definiatur arbitrio duorum, qui tertium vocare queant, ab utraque parte selectorum, a quorum sententia, si rei gravitas id postulaverit, appellationi ad S. Congregationem de Propaganda Fide locus sit.

"Quoad bona Monialium declaramus, eadem ad ipsas pertinere cum ipsæ propriis sumptibus ea acquisiverint. Quæ autem bona intuitu boni spiritualis diœceseos ex fidelium oblationibus totaliter aut magna in parte ipsæ obtinuerint, sint penes Ordinarium, qui tamen iisdem sanctimonialibus formale tradet documentum, quo ipsis declarabit ea bona earum usui remansura, nisi gravis causa a S. Sede probanda aliter requisierit. Hoc ultimo modo servanda etiam decernimus quæcumque bona a Sororibus Charitatis et similibus obtenta, nisi ea fuerint bona patrimonialia ad quamdam earum personaliter, non vero intuitu religionis pertinentia."

Multis hinc inde disceptatis, auctoribus Pittsburgensi et Buffalensi relationem hanc inter Acta, non autem inter Decreta, inseri jusserunt Patres, viginti quatuor affirmantibus, septemdecim negantibus, cæteris vel absentibus, vel a suffragio ferendo excusatis.

Proponente Metropolita S. Francisci, Patribus placuit addere, in decreto sub Num. 223, post "superiorem" linea 10, hæc verba "etiam, si opus fuerit, Generalem;" et post "provenientia" linea 11, "et ad officia præstanda;" quibus emendationibus factis, faventibus Neo-Eboraceno et Buffalensi, decretum probatum est.

Philadelphiensis, ex Congregatione speciali hac super re, favente Metropolita S. Francisci, Num. 210 et 211 ut unum decretum habendos proposuit. Hæ tamen mutationes ab illis oblatæ, et ab ipso acceptæ, Patribus placuerunt. In Num. 210 deletæ sunt periodi, quæ incipiunt "Reipublicæ," linea 5, et "Hujusmodi" linea 9; item verba "potiusquam sectarum principia" linea penultima, usque ad

"dictamina" linea ultima, inclusive. Rursus, proponente Buffalensi, in Num. 211, linea 10, "optanda magis quam speranda videatur," omissa sunt, quorum loco posita sunt "nondum in Statibus quibusdam existat;" et post "ut" linea 11, inserta sunt "ubi per leges civiles melius non fuerit provisum," verbis "e legibus civilibus," linea 12, mutatis in "ex nostris rerum adjunctis." Ita emendatum decretum, auctoribus Buffalensi et Montereyensi, a Patribus probatum est. Quæ habentur Num. 212, et insequentibus, usque ad periodum tertiam, Num. 220, quæ incipit "ut autem" deleta sunt, proponentibus Philadelphiensi et Archiepiscopo S. Francisci. Ea vero, quæ prostant Num. 220, incipiendo a dicta periodo, cum Num. 221, tanquam unum decretum proposuit Philadelphiensis. Mutata voce "præcipimus" quæ ultima est Num. 220, in "consulimus," propositum placuit Patribus. Auctoribus Brooklynensi et Philadelphiensi decretum sub Num. 222, adoptatum est. Voluerunt Metropolita S. Francisci, et Vic. Apostolicus Marysville ita Num. 224, emendandum, ut tres hæredes unicuique Episcopo constituerentur. Id non placuit, re juris peritis relicta. Savannensi et Pittsburgensi auctoribus, decretum prout jacet probatum est.

Hic, more solito, abierunt Secretarii et Officiales.

XXIII. Congregatio Publica Quarta.

Die Mercurii, decima septima Octobris, habita.

Hora quarta cum dimidia congressus factus est omnium Præsulum, Superiorum Religiosorum, et Theologorum Synodalium.

Notarius Concilii primum jussus est prælegere animadversiones et vota Congregationum quibus Tituli VI., VII., VIII. et IX., examinandi fuerant concrediti. Materia hac penitus discussa, sc. *De Cultu Divino; De Disciplinæ Uniformitate Promovenda; De Regularibus et Monialibus; De Juventute Instituenda, Pieque Erudienda;* adscitus est coram Patribus Adm. Rev. Gulielmus McCloskey, Collegii Americani in Alma Urbe Rector, qui fecit relationem de statu œconomico hujus instituti, modumque proposuit pro hoc Collegio dotando et stabiliendo.

XXIV. Sessio Solemnis Tertia.

Die Jovis, decima octava Octobris, habita.

Hora nona antemeridiana, in Ecclesia Metropolitana convenerunt Synodales omnes, Prælati quidem Officialesque in pluvialibus rubris,

cæteri autem in superpelliceis, vel habitu religioso. Missam solemnem de SS. Apostolis Petro et Paulo celebravit Ill^mus^ ac Rev^mus^ D. Archiepiscopus Sancti Francisci; cui adstiterunt Rev. D. Gulielmus Quinn, Archidiaconus; Rev. D. Carolus Lenoir, S. S. S., Diaconus; Rev. D. Joannes Bapt. Alerd, Subdiaconus. Assistentes autem ad thronum Præsidis fuere Adm. Rev. H. B. Coskery, Presbyter Assistens; Adm. Rev. Thomas Foley et Rev. Jacobus Gibbons, Diaconi ad honorem.

Inchoata est Sessio, et facta est Concio tertia ad Conciliares, *De Zelo Animarum*, ab Illmo ac Rev^mo^ Neo-Aureliæ Metropolita.

Lecta sunt a secundo Secretario, et a Patribus ratihabita decreta, incipiendo a Tituli III. capite V. *De Verbi Dei Prædicatoribus;* usque ad Tituli V. caput IV. inclusive. Promulgata itaque sunt decreta Tituli III. *De Personis Ecclesiasticis* omnia; Tituli IV. *De Ecclesiis, Bonisque Ecclesiasticis tenendis tutandisque;* et pars prior decretorum Tituli V. *De Sacramentis.* Indicta demum ultima Sessio, ad Dominicam sequentem, diem Octobris 21, hora 10 A. M.

XXV. Congregatio Decima Privata.

Die Veneris, decima nona Octobris, habita.

Hora solita convenerunt Patres. Actis postremæ Congregationis lectis et probatis, hæc quæ sequuntur in medium protulit Rev^mus^ Delegatus Apostolicus:

"Quum superiori die Lunæ, Octobris decimaquinta, unanimi suffragio inter Patres conventum fuerit, Decreta nonnulla, quæ ad Theologiam Dogmaticam et Pastoralem attinent, ad accuratum satis ac minutum examen haud posse revocari, ideoque prout in Libro habentur Summi Pontificis judicio esse subjicienda; Rev^mus^ Delegatus Apostolicus rogat omnes et singulos Patres hic congregatos, ut siquis circa prædicta decreta aliquid exquirendum, suggerendum, proponendum habeat, id plene ac libere significare velit Illmo ac Rev^mo^ Episcopo Natchetensi, quocum conjunguntur Rev^mi^ Savannensis et Mobiliensis, quique Secretarius ad hoc deputatur, ut omnes hujusmodi suggestiones ac propositiones excipiat, ad formam debitam redigat, atque ad Delegatum Apostolicum de iisdem referat. Hic vero suo nomine, tanquam Delegatus Apostolicus, eadem ad S. Pontificem ut ab ipso examinentur, atque si opus fuerit corrigantur, transmittenda curabit. Præterea rogantur Patres, ut prædictæ suggestiones breves sint, et appositis verbis conceptæ.

"Atque hæc quidem scripto consignata, et ad Patrum notitiam deducta, ut modo factum est, jubet Reverendissimus Delegatus Apostolicus per Secretarios inter Acta referri."

Monuit insuper Patres Rev^{mus} Præses, juxta Instructionem S. Congregationis de Propaganda Fide, tertio quoque anno ad Metropolitanum et ad S. Sedem ab unoquoque Præsule mittenda esse nomina eorum presbyterorum ex propria diœcesi, quos dignos autumant, qui ad Episcopatum evehantur.

Archiepiscopus S. Ludovici proposuit quædam dubia orta occasione decreti Roma ad Episcopos hujus regionis nuper missi, de potestate absolvendi in casibus Summo Pontifici reservatis in Constitutionibus Benedicti XIV. quæ incipiunt "Sacramentum Pœnitentiæ" et "Apostolici muneris." Totum negotium commisit Rev^{mus} Delegatus Apostolicus cœtui trium Præsulum, S. Francisci, scilicet, Richmondensi, et Milwauchiensi, qui Congregationi privatæ die Lunæ insequenti referre deberent.

Ventum est ad decretum sub Num. 344, quod auctoribus Zelano et Cincinnatensi probatum est. Proposuit insuper Metropolita S. Ludovici cum Wayne-Castrensi hæc decreto addenda: "Supplicandum quoque censemus ut liceat ordinandis in posterum Titulum Missionis acquirere, quin jurejurando se obligare teneantur ad perpetuo Missionibus inserviendum." Patribus hæc placuerunt, ajentibus quinque supra viginti, negantibus novemdecim.

Decretum sub Num. 402 a Rev^{mo} Præside explicatum est, et post quædam a diversis notata, a Patribus probatum.

Ad decretum sub Num. 409, primo Neo-Aurelianensis verba fecit de incommodis quæ ex multiplicatis diebus festis in sua Provincia orirentur; devotio enim quæ jam viget vix augeretur, peccatis vero haud paucis daretur occasio. Buffalensi videbatur festos dies qui ex devotione tantum servari debent, bene fore servandos, si Sacerdotes Dominica antecedente eos e suggestu annuntiarent, et commendarent fideli populo, itidem curarent ut ea qua decet solemnitate celebrarentur. Attamen decreto favebat prout in libello prostabat, præsertim quoad ea quæ Festum Immaculatæ Conceptionis spectant. Montereyensis dixit quatuordecim festos dies servari in sua diœcesi; subditos suos plerumque Mexicanos esse; hujus nationis homines plus societatis et commercii cum suis habere, quam Americanos; ideoque si quod in libello proponitur pro sua diœcesi statueretur, specie uniformitatis fore ut maxima difformitas induceretur. Suggessit itaque quatuordecim illos dies ubique in hac regione servari debere.

Metropolita S. Francisci censuit potius quinque dies festos qui in California solum et Novo Mexico celebrantur retineri debere, eo pacto ut sacerdotibus onus maneret pompam exteriorem servandi, sublata tamen obligatione Missam audiendi, et ab operibus servilibus abstinendi. His annuit Montereyensis. Philadelphiensis autumabat non posse imponi ab hoc Concilio novos festos dies iis Provinciis quæ Indultis Apostolicis hac super re gaudent, nec debere festa aboleri quæ juxta universalis Ecclesiæ legem in cæteris Provinciis servantur. Unde nil hac in re agi posse putabat, nisi addendo Festum Immaculatæ Conceptionis ubique servandum ipso die octavo Decembris.

Velingensis nullos festos dies addi voluit, nec Immaculatæ quidem Conceptionis solemnitatem. Multiplicatis enim festis, otio inducto, peccata auctum iri dixit, iis præsertim in locis ruralibus, ubi ob defectum ecclesiarum Missa audiri nequit.

Philadelphiensis, annuente Cincinnatensi, proposuit ut retineantur dies Festi, quales nunc in unaquaque Provincia celebrantur, cui suffragiis datis, consensere Patres.

Auctores fuerunt Metropolitæ S. Francisci et Cincinnatensis ut decernerent Patres Festivitatem Immaculatæ Conceptionis servandam esse de præcepto in universa hac regione ipsa die octavo Decembris. Id fere omnibus placuit, quinque tantum negantibus.

Demum hæc addi rogavit Metropolita S. Francisci, favente Zelano, quibus annuerunt Patres: "Quo intelligatur a S. Sede dispensari obligationem aliorum festorum præter commemorata, quoad præceptum, non autem quoad devotionem et solemnitatem in Provinciis S. Francisci et Oregonensi, et Diœcesi Sanctæ Fidei, in quibus alia festa de præcepto vigere a plerisque creditur."

Ut igitur mentem Patrum ad effectum perducerent, loco Num. 409, hoc decretum substituendum curarunt Secretarii:

"Patribus visum est festos dies quales nunc in unaquaque Provincia servantur esse retinendos. Festum tamen Patronale Beatæ Mariæ Virginis sine Labe Conceptæ tanquam Festum de præcepto ipso die Decembris octavo per has Provincias ubique celebretur. Quod ad Provincias S. Francisci, et Oregonensem, et Diœcesim S. Fidei attinet, Sanctam Sedem orandam esse censemus, ut pro quinque illis festis diebus, quibus a Baltimorensi Provincia discrepant, concedatur dispensatio quoad præceptum Missam audiendi, et ab operibus servilibus abstinendi, non tamen quoad devotionem et solemnitatem externam."

Decretum sub Num. 412 probatum est, auctoribus Metropolita S. Francisci, et Administratore Detroitensi.

De iis deinde quæ habentur sub Num. 414, agere instituerunt Patres. Cincinnatensi videbatur posse exigi eleemosynam pro dispensatione a proclamatione bannorum Seminario erogandam. Adnotavit Buffalensis inter alia, facultates a S. Sede Episcopis concessas eleemosynam imponendam injungere, et praxim etiam esse curiæ Romanæ taxam, cum dispensationes expediantur, exigere; insuper non paucos sic a dispensationibus petendis impediri. Cum quidam Præsules in eundem sensum loquuti fuissent, auctoribus Neo Aurelianensi et Vilingensi decreta sub Num. 413 et 414 omitti jusserunt Patres.

Decretum sub Num. 367 adoptandum voluerunt Cincinnatensis et Savannensis. E contra optabat Buffalensis ut lex Tridentina ubivis in hac regione publicaretur. Non debere hoc Concilium leges ferre nisi generales significavit Metropolita S. Ludovici. Rogante illius Metropolita, excepta fuit Provincia Neo-Aureliæ, et decretum sic emendatum Patribus placuit.

Ad Num. 416 Buffalensis nihil omnino a Concilio agi malebat. Sibi minime placere Catechismum a Doctore McCaffrey concinnatum allatis rationibus significavit, quod item præstitit Savannensis. Plerisque Patrum nihil in re decernere placuit, ita proponentibus Philadelphiensi et Buffalensi.

Decretum sub Num. 421 Richmondensis adoptandum proposuit. Voluit Albanensis adjicienda post "habuerint" linea 7, "in quo humata jam fuerint cadavera;" vocem "præsertim" linea 3, delendam esse suggessit Neo-Eboracensis. Quæ omnia Patribus placuerunt, et decretum sic correctum probatum est.

Auctoribus Neo-Eboraci et S. Francisci Metropolitis, omissa sunt quæ habentur sub Num. 422. Decretum sub. Num. 423 adoptarunt Patres, proponentibus Rev[mis] S. Francisci et Velingensi.

Ad Num. 426, cum Cincinnatensis, Clevelandensis, et Neo-Eboracensis quædam explicassent, verba "siqua existat" post "praxim" linea 1 addita sunt, et "etiamsi nullus" 2 linea in "ita ut ullus" mutata. Decretum sic emendatum Patribus placuit.

Dictis de more precibus, finis Congregationi impositus est.

XXVI. Congregatio Publica Quinta.

Die Veneris, decima nona Octobris, habita.

Hora quarta cum dimidia pomeridiana, in pleno apertoque omnium Synodalium conventu, ab ipso septimæ Congregationis Notario

prælectæ sunt animadversiones et suggestiones Theologorum circa Titulos X., *De Salute animarum efficacius promovenda;*" et XI., *De Libris et Ephemeridibus.*

Evocatus est Adm. Rev. Isaac T. Hecker, C. S. P., qui relationem fecit de Societate pro Libris Catholicis evulgandis.

Vocati sunt quoque Adm. Rev. Napoleo Perché; Rev. Carolus I. White, S. T. D., et Adm. Rev. Timotheus Birmingham, qui quid experientia eos docuerit de optimo modo salutem Nigrorum efficacius promovendi, Patribus communicarunt.

In fine hujus ultimæ publicæ congregationis, Ill^{mus} ac Rev^{mus} Delegatus Apostolicus industriam Theologorum eximiis laudibus cumulavit.

XXVII. Congregatio Privata Undecima.

Sabbato, die vigesima Octobris, habita.

Actis hesternis lectis et probatis, Cincinnatensis literas sequentes perlegit Adm. Rev. Angeli M. Paresce, S. J., nomine Superiorum Religiosorum scriptas, quas in Acta referri jussum est:

Illmo et Rev^{mo} Domino Martino Joanni Spalding, Archiepiscopo Baltimorensi, ac Sedis Apostolicæ Delegato:

Illustrissime ac Reverendissime Domine:

Superiores Ordinum Regularium et Congregationum Religiosarum in Statibus Fœderatis Americæ existentium, ex mandato Dominationis Vestræ, una simul convenerunt, ut juxta desiderium Dominationis Vestræ sua sensa manifestarent circa Decretum de Ecclesiis et bonis Regularium, quod a speciali deputatione Ill^{morum} et Rev^{morum} Patrum Concilii Plenarii Baltimorensis Secundi propositum fuerat. Re disceptata, Superiores supradicti non ausi sunt in re tam gravi opinionem ullam exprimere, inconsultis Superioribus Generalibus. Quapropter cum Dominatio Vestra jam benigne significaverat Ill^{mos} ac Rev^{mos} Patres Concilii Plenarii Baltimorensis Secundi in suis Comitiis statuisse, Decretum illud ex integro ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide definiendum referre, supradicti Superiores, unanimi consensu, huic Ill^{morum} ac Rev^{morum} Patrum sententiæ acquieverunt, ea mente, ut Superiores Generales Romæ, si quid ea in re animadvertendum judicarent, id Sacræ Congregationi de Propagandæ Fide reverenter submitterent.

Supradicti Superiores Ordinum Regularium et Religiosarum Congregationum in Statibus Fœderatis Americæ existentium, hanc occasionem nacti, suas partes esse duxerunt gratias maximas referri tum Dominationi Vestræ, tum Ill^{mis} ac Rev^{mis} Patribus Concilii Plenarii

Baltimorensis Secundi pro summa benevolentia et favore, quo Religiosas familias hactenus prosequuti sunt.

Ex parte Superiorum Regularium et Religiosarum Congregationum, ad hoc specialiter deputatus.

Dominationis Vestræ Ill^{mæ} et Rev^{mæ} humillimus servus in Christo,

ANGELUS M. PARESCE, S. J.,

Præp^{us} Provinciæ Marylandiæ.

Decretum sub Num. 366 adoptari proposuit Cincinnatensis, cum Metropolita S. Francisci, quod Patribus placuit. Cœtui, triginta et tribus ajentibus, bene visa est propositio Metropolitæ S. Ludovici, cui favebat Rev^{mus} S. Francisci, ut adderentur decreto hæc verba: "Patribus visum est expedire si supplicatio ad S. Sedem porrigatur, ut Episcopis potestas fiat communicandi prout ipsis in Domino visum fuerit Vicariis Generalibus, et urgente necessitate aliquibus Sacerdotibus facultates, quas ipsis concedere consuevit S. Sedes, dispensandi in impedimentis Matrimonialibus." Probarunt insuper Patres quod deinde proposuit Neo-Eboracensis, annuente Montereyensi, nempe supplicandam esse S. Sedem ut facultates, quæ in folio "D" pro matrimoniis mixtis contractis tantum dantur, ad contrahenda etiam extendantur.

Ad Num. 361, rogarunt Cincinnatensis et S. Francisci Metropolitæ, ut ultima verba post "facultates" ita legantur, "benedicendi cœmeteria, et etiam campanas ritu in Pontificali præscripto, et cum oleo ab Episcopo consecrato." Decretum sic emendatum cœtui placuit.

Iisdem quoque rogantibus, consensere Patres orandam S. Sedem ut dignetur concedere ad viginti annos, vel in perpetuum hisce provinciis, in locis ubi lex olim vigebat, dispensationem ab obligatione abstinentiæ ab esu carnium in Sabbatis, diebus in quibus jejunatur exceptis. Decretum sub Num. 410 rejiciendum censebat Velingensis, fautore Episcopo S. Pauli; quod cœtui bene visum est. Rogante Metropolita S. Francisci, cum Zelano, duxerunt Patres orandam esse S. Sedem, ut facultas fiat Provinciis Oregonensi et S. Francisci se conformandi disciplinæ quoad jejunia, quæ viget in Provincia Baltimorensi.

Petenti Savannensi, Patres annuerunt ut hæc ad finem Num. 332 adjicerentur: "Bene placuit Patribus propositio Savannensis offerentis Rev^{mo} Abbati Cisterciensium apud Gethsemani in Diœcesi Ludovicopolitana prædia satis ampla prope civitatem S. Augustini in Florida, eo fine ut ibi instituatur communitas Religiosorum qui oleum olivarum, vinum ex vite, et candelas ex operibus apum in usum ecclesiarum suppeditabunt."

Post hæc ad Num. 479 ventum est. Ex Congregatione Præsulum in Congregatione publica nominatorum, Metropolita S. Ludovici quædam retulit de expensis Collegii Americani in Urbe, et Patribus nomine ejusdem Congregationis specialis id consilii commendavit, ut nempe loco summæ accumulandæ scutatorum quatuor centum millium, quod propositum fuerat a Collegii Rectore, unusquisque Episcopus se obligaret ad solvendam quotannis pecuniæ summam, quæ æquivaleret fœnori annuo partis ejusdem sortis, quæ ipsius diœcesi assignanda esset. Placuit id Cincinnatensi, S. Ludovici, Baltimorensi, et Neo-Eboraceno Præsulibus, qui se obligarunt ad id præstandum, dummodo alii idem facerent. Buffalensi tamen distributio a Rectore proposita minime placebat, cum ille nil ferme de conditione diœceseon hac super re scire posset. Proposuit itaque Pittsburgensis distributionem faciendam esse ab unoquoque Metropolita, consilio cum suffraganeis inito. Philadelphiensis declaravit se propositum Rectoris prorsus improbare; id nemini negotiorum quæ ad pecuniam spectant perito acceptum esse posse. Consultius ipse ducebat pensionem annuam biscentum scutatorum Romanorum solvendum esse pro unoquoque Alumno, et insuper summam quinquaginta mille scutatorum ab Episcopis conflandam, ex qua fœnus annuum scutatorum trium millium expensis aliis Collegii solvendis erogari posset, si necesse foret.

Proposuit demum Metropolita S. Francisci, annuente Savannensi, ut decretum sub Num. 479 a Patribus probaretur, quod omnibus bene visum est.

Proposuit insuper idem, cui accessit Natchetensis, ut designetur Congregatio Præsulum cujus sit Rectorem Collegii Romani constituere aut dimittere, ab eo rationes postulare, et generali Collegii administrationi, quatenus id S. Congregationi de Propaganda Fide gratum sit invigilare; quod probarunt Patres.

Perlegit tunc Cincinnatensis pollicendi formam, cui voluit ut in loco suo unusquisque surgens assensum daret. Per eam se obligabat quisque Præsul ad certam summam a se statuendam quotannis Collegio erogandam. Inter loquendum conventum est pensionem annuam biscentum nummos scutatos Romanos excedere haud debere, et unicuique Episcopo qui huic formæ assentiretur jus competere ut unum saltem alumnum in Collegio habere posset. Patres alloquutus est Natchetensis, enixe eos rogans ut Collegio in adjutorium venirent, antequam finis Concilio imponeretur.

Rursus in medium protulit Philadelphiensis propositum suum,

cui substituendum voluit Richmondensis, ut omnes Episcopi qui Collegio Americano subsidia dare vellent, collectas in suis diœcesibus quamprimum habendas curarent, pecuniæ inde collatæ ita collocarentur ut inde fœnus perveniret, totius vero negotii administratio penes Præsulum Congregationem Collegio Americano curando esset. Id placuit Philadelphiensi, et Patres omnes in eam sententiam iverunt. Ipsum Richmondensem designavit Præses, qui nomina exquireret Antistitum, qui collectas instituere vellent.

Decretum sub Num. 531 probatum est, auctoribus Velingensi et Metropolita S. Francisci. Propositum laudaverunt Natchetensis et Buffalensis, renuente Philadelphiensi. Voluit Rev^mus^ S. Francisci, ut penes Baltimorensem et duos alios Metropolitas jus proprietatis quoad bona Societatis resideret; sed Delegato Apostolico suggerente, melius judicatum est nil quoad hanc rem in regulis Societatis jam adoptatis mutandum.

Proponentibus Savannensi et Rev^mo^ S. Francisci, hæc Num. 357 addenda jussum est: "Insuper vehementer hortamur Pastores, ut praxim benedicendi Matrimonia intra Missam ubique introducant."

Metropolitis S. Francisci et Cincinnatensi rogantibus, ut Num. 359 omitteretur, consensit cœtus, ajentibus tribus supra viginti, negantibus octodecim.

Auctoribus Philadelphiensi, et Archiepiscopo S. Francisci, idem de Num. 364 decretum est, ajentibus viginti quinque. Unde et Num. 365, utpote cum antecedenti connexum, deleri jussit Delegatus Apostolicus.

Decretum sub Num. 452 Patribus haud placuit, se opponentibus Velingensi et Rev^mo^ S. Francisci. Proposuit hic Antistes substituendum esse quod a Theologis commendatum fuit, nempe ut dispensatio in votis simplicibus Monialium, quæ ex instituto vota solemnia profiteri deberent, S. Sedi reservaretur; quod minime probarunt Patres.

Decretum sub Num. 551 a cœtu adoptatum est, auctoribus Richmondensi et Neo-Aurelianensi. Philadelphiensi proponenti ut illi adderentur quæ sub Num. 552 prostant, annuerunt Patres. Suggerente Hartfordensi cum Metropolita S. Francisci, omissum est decretum sub Num. 553. Illi septemdecim favebant, contradicentibus viginti et septem.

Ad Num. 423, hæc verba addita sunt: "Ad pietatem erga defunctos magis fovendam, statuimus ut Pastores animarum curent in praxim deducere quod habetur in Rituali Romano de Exequiis:

'Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri potest retineatur, ut Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.' " Rem suggessit Wayne-Castrensis, favente Savannensi.

Ad Num. 401, verba "aliis diebus ab Ordinario designatis" addita sunt post "horarum," linea 16. Decretum sic emendatum probatum est, auctoribus Natchetensi et Zelano.

Proponentibus Metropolitis Neo-Aureliæ et S. Francisci, decretum sub. Num. 403 probarunt omnes.

Deinde cum de Congregatione Præsulum pro Collegio Americano in Urbe ageretur, proposuit Cincinnatensis cum Rev^mo^ S. Francisci, ut Delegatus Apostolicus quosdam Antistites nominaret huic negotio gerendo. Voluit potius Albanensis, ut alios præsules sibi idem adsisceret, quod Patribus bene visum est. Nonnullis in utramque partem dictis, Rev^mus^ Præses Metropolitas omnes ad hoc nominavit, ea tamen lege, ut in cœtu privato ii quosdam Episcopos eligerent, qui simul cum ipsis agerent.

Surrexit tunc in loco Rev^mus^ Delegatus Apostolicus, Congregationibus privatis hujus Concilii Plenarii finem impositurus. Modeste de se loquutus est, ac veniam a Patribus, si quem vel inscius offendisset, petivit. Animorum omnium summum consensum, ac Patrum in se benevolentiam laudavit: quantum denique opus anteactis diebus præstitissent, amplissimis verbis declaravit.

Adstitere Congregationibus Privatis Assistens Promotor, Notarius, Cancellarius cum Assistente, et Secretarii.

Cuique Congregationi initium factum, recitando orationem "Adsumus," ex Pontificali, cum "Ave Maria;" ad ejusdem finem, dicta est Antiphona "Sub tuum præsidium."

Suffragia Patrum, re quæ in quæstionem venerat proposita, per Promotorem exquirebantur; si dubium circa numerum ex una vel altera parte exortum esset, surgebant primo affirmantes, deinde qui parti neganti favebant; in negotiis vero gravioribus singulorum suffragia nominatim postulabantur, et in tabulas a Cancellario et Secretariis referebantur.

Decreta, quæ Patrum examini subjecta sunt, prius lecta sunt in pleno cœtu per Assistentem Promotorem.

XXVIII. Sessio Solemnis Quarta et Ultima.

Die Dominica, vigesima prima Octobris, habita.

Hora nona cum dimidio, quemadmodum ante primam Sessionem, facta est solemnis supplicatio, cui interfuerunt Patres omnes, Ordinum Religiosorum, Congregationum, et Seminariorum Majorum Superiores, Theologi, Sacerdotes permulti, et inferioris ordinis clerici. Eodem ordine ac decoro ab ædibus Archiepiscopi ad Ecclesiam Metropolitanam, iisdem psalmis hymnisque decantatis, processerunt.

Missam de SS^{ma} Trinitate pro Gratiarum Actione solemnem celebravit Ill^{mus} ac Rev^{mus} Novæ-Aureliæ Archiepiscopus: cui adstiterunt Archidiaconus, Adm. Rev. Augustinus Gaudet O. M. I.; Diaconus, Rev. Jacobus Gibbons; Subdiaconus, Rev. Julianus Dujarié, S. S. S. Ad thronum autem ministri fuere Adm. Rev. Henricus Coskery, Presbyter Assistens; Adm. Rev. Thomas Foley, et Adm. Rev. Joannes McCaffrey, Diaconi ad honorem.

Sacro peracto, concionem ad populum habuit Ill^{mus} ac Rev^{mus} S. Ludovici Archiepiscopus.

Deinde Ill^{mus} et Rev^{mus} Cincinnatensis, senior ordine Consecrationis inter Episcopos, Præsidi de Concilio Plenario ad tam felicem exitum perducto amplissimis verbis gratulatus est. Cui paucis opportune respondit Delegatus Apostolicus, et gratias egit Patribus ac Theologis, quos habuerat laborum et consiliorum socios et adjutores.

Inchoata posthæc, juxta Pontificale Romanum, ultima Concilii Sessione, institit Assistens Promotor pro reliquis Decretis promulgandis. Secundus igitur Secretarius clara voce prælegit, prout conventum fuerat, cætera omnia quæ in Libello typis impresso continentur: scilicet Titulum V. a Capite ejusdem septimo; Titulos deinde seriatim VI., VII., VIII., IX., X., XI., XII., XIII., et XIV. Rogata deinde Patrum sententia, Decreta omnibus placuerunt, et confirmata fuerunt.

Mox Patres omnes, Provinciarum ordine accedentes, Decretis super Altari positis sua quisque manu subscripserunt.

Quibus omnibus rite absolutis, Promotor institit pro fine Concilio imponendo, eo quod Patrum deliberationes jam finem habuissent, Decretaque præposita lata essent et eorum subscriptione munita. Quod cum omnibus placeret, Rev^{mus} Præses finem Concilio factum esse declaravit, quoad ejusdem publicas sessiones; quoniam vero pauca quædam expendenda supererant, ex Patrum consilio, Conci-

lium quoad privatas Episcoporum Congregationes prorogavit ad horam nonam diei sequentis, Octobris sc. vigesimæ secundæ.

Tunc Patribus cum mitris stantibus, factæ sunt Acclamationes, Archidiacono præcinente, choro cum Synodalibus respondente. Communicato deinde invicem pacis osculo, et recitata oratione *Nulla est*, Rev^mus^ Præses solemnem nomine Summi Pontificis Benedictionem, cum plenaria pro Synodalibus indulgentia, impertitus est. Cantato postea hymno Ambrosiano, omnes solemni ordine incedentes ad ædes Archiepiscopales reversi sunt.

Neque illud silentio prætereundum videtur, quod inter cæteros illustres viros, qui ad templum advenerant, solemnes hujus supremæ Sessionis cæremonias spectaturi, adfuerit etiam summus Reipublicæ Magistratus ac Præses.

XXIX. Congregatio Privata Extraordinaria.

Die Lunæ, vigesima secundæ Octobris, habita.

Cum heri, ex Patrum consensu ita finem Concilio imposuisset Rev^mus^ Præses, ut adhuc locus esset Congregationibus Præsulum privatis, ad quædam quæ adhuc supererant definienda, hora nona A. M. convenerunt Patres cum Officialibus.

Retulit Metropolita S. Francisci, convenisse sex Archiepiscopos, absente Rev^mo^ S. Ludovici, eosque sibi consociasse Novarcensem, Carolopolitanum, Hartfordensem, Philadelphiensem, et Pompeipolitanum, qui, subordinate ad S. Congregationem de Propaganda Fide, de negotiis Collegii Americani curam gererent; statuisse insuper pecuniam per collectas conflandam eorum prudenti judicio collocandam esse eo modo, ut sortis securitati consuleretur, et fœnus inde annuum proveniret.

Idem Archiepiscopus, ex Congregatione Præsulum dubiis solvendis circa Constitutiones Benedicti XIV. "Sacramentum Pœnitentiæ" et "Apostolici Muneris," retulit quæstioni propositæ: "An Episcopi possint absolvere sacerdotes a crimine sollicitationis," Præsules respondendum duxisse "Affirmative, cum nullibi inveniatur reservatum;" alteri autem quæsito, "An possint absolvere qui complices in peccato gravi contra sextum absolvere attentarunt," respondisse "Negative."

Hisce peractis, Rev^mus^ Delegatus Apostolicus Patribus obtulit consideranda quæ habentur Tit. X., Cap. IV., *De Nigrorum Salute procuranda*, enixe eos hortans, ut Instructioni S. Congregationis de

Propaganda Fide hac super re obsequentes, ea decernerent quæ Nigrorum saluti profutura ipsis in Domino visa fuerint.

Diu inter Patres disceptatum est. Alacri quidem animo velle se mentem S. Congregationis exequi significarunt; verum de meliori modo sua et S. Sedis vota prosequendi, non una fuit opinio; quibusdam iis quæ habentur Num. 519 de viro Ecclesiastico huic negotio præficiendo faventibus, plerisque tamen ut res penes Episcopos relinqueretur malentibus. Significavit tandem Metropolita Neo-Eboracensis, negotii hujus determinandi jus Episcopis Diœceseon Meridionalium potius competere, illisque lubenter alios Præsules in adjutorium venturos, vel pecunias conferendo, vel alio modo, prout opus forte fuerit. Unde, auctoribus Metropolitis S. Francisci et Neo-Aureliæ, cum Patres declarassent se consentire prorsus iis quæ in Libello de gravitate et necessitate hujus operis dicuntur, tota quæstio ad Concilia Provincialia proxime habenda remissa est; eo tamen pacto, ut interim officio suo Episcoporum zelus haud sit defuturus.

Cum de novis Sedibus erigendis, et de Presbyteris ad Episcopatum commendandis agere vellent Patres, recesserunt Secretarii.

Hisce negotiis determinatis, proposuit Rev^{mus} Neo-Eboracensis gratias Patrum habendas Promotoribus, Notariis, Cancellariis, et Secretariis hujus Concilii Plenarii, necnon egregiæ Societati Juventuti Catholicæ Amicæ.

Deinde perlectæ sunt ac probatæ Literæ ad Summum Pontificem a Patribus mittendæ; necnon Literæ Pastorales ad clerum et fidelem populum.

Demum, cum deliberationibus hujus Concilii Plenarii finis jam esset feliciter imponendus, recessit, rogante cœtu, Rev^{mus} Delegatus Apostolicus, illiusque loco præfuit Cincinnatensis. Patribus omnibus visum est, in scriptis significandum esse quanta dignitate, doctrina, et perspicacia, ab omni partium studio prorsus immuni, diuturnis Sessionibus hujus Concilii præsederit ipse Rev^{mus} Delegatus. Omnia ab eo modo Conciliorum consueto gesta fuisse testati sunt; omnesque in id consenserunt, ut ipsi gratiæ maximæ agerentur pro beneficiis quibus eos cumulaverat, præsertim quod Deo Opt. Max. opem dante, Auspice Immaculata Deipara harum Provinciarum Patrona, maximum hoc quod hucusque in hac terrarum parte habitum est Concilium, ipso duce et præside feliciter cœptum, celebratum, et absolutum sit.

III. CONCIONES SYNODALES.

I. Concio—de Conciliis.;

Ab Illustrissimo ac Reverendissimo Præside, in Prima Sessione habita.

VENERABILES FRATRES, DILECTIQUE IN CHRISTO CONSACERDOTES!

Quam splendida imperii specie, quam præclaris cœlestis sapientiæ thesauris, quanta etiam auctoritate, potestate, ac majestate polleat Ecclesia Christi, sponsa cœlestis Regis immaculata Materque filiorum lætans, cum in aliis multis, tum in Episcoporum Conciliis elucet maxime; quæ quidem frequentissima, tam in singulis fere terrarum orbis partibus, quam omnibus retro sæculis fuere celebrata. In his nempe, per viros doctrina ac pietate præstantes, adsistente et afflante Spiritu Sancto, tradita semel sanctis fides fuit propugnata, hæreses depulsæ ac debellatæ, irrepentes abusus pravæque consuetudines coercitæ ac repressæ, sanctissimæ simul leges latæ, sapientissima decreta promulgata; ad labefactatam, hominum malitia vel infirmitate, disciplinam restaurandam, ad mores in melius emendandos, ad decorem divini cultus promovendum, pietatemque inter Christifideles sincere et rite excolendam.

Atque ab ipsis profecto Ecclesiæ exordiis, Apostolos et Seniores Hierosolymis convenisse legimus, ut contentiones ac dissidia inter primos Christianorum sacrorum cultores exorta, collatis invicem consiliis, componerent; ac, quemadmodum ipsis et Spiritui Sancto visum fuisset,[1] fidei unitati disciplinæque integritati providerent. Tantorum virorum exemplis edocti atque animati, quoties deinceps ortæ hæreses Deposito Fidei perniciem vel detrimentum minitabantur, Ecclesiarum Pastores, Apostolorum scilicet successores, Episcopi Summi Pastoris auctoritate convocati, convenire solebant; qui fidei traditæ et conservatæ in suis ecclesiis testes essent, errorum monstra suo ac Christi nomine damnarent, fidemque sacrosanctam Catholicam

[1] Act. xv., 28.

puram integramque tuerentur ac vindicarent. A quarto nimirum Reparatæ Salutis sæculo, ad decimum usque sextum, octodecim circiter contra grassantes hæreses Episcoporum Generales Conventus habiti sunt; a Nicæno nempe, qui Arium divinam Christi naturam perverse impugnantem damnavit, ad Tridentinum, qui Lutherum, Calvinum, impiosque eorum asseclas divinam Ejus Ecclesiæ in regendo ac docendo potestatem præfracte denegantes profligavit.

Quid de innumeris fere Conciliis particularibus, Plenariis, Provincialibus, Diœcesanisque dicam? Quid de doctrinæ sacræ, de castæ disciplinæ, morumque sanctissimorum ubertate plane cœlesti, per hos piorum Antistitum Conventus inducta, custodita, propagata disseram? Quid mala ac scandala cohibita ac propulsata, maxima pietatis incrementa, vitam Christianorum hominum ad Evangelii normam compositam, commemorem? Infinitus profecto essem, si omnia quæ ex sacris hisce Sacerdotum Conventibus in Ecclesiam redundarint beneficia, vel obiter attingere studerem. Ut de cæteris taceam, quot ac quanta bona et emolumenta in Ecclesiam, et in ipsam civilem societatem, ex unis Conciliis Africanis Toletanisque derivata sunt! Quorum posteriora non solum Hispaniæ regionem ab Arianæ hæreseos labe depurgarunt, ac Fidem Catholicam moresque incorruptos tutata sunt, sed civilem societatem ipsam barbarorum incursibus labefactatam ac pene eversam restituerunt, vitæque Christianæ institutis, quasi tutissimo præsidio munierunt.

Sacrosancta Synodus Tridentina, in Spiritu Sancto legitime congregata, habendorum Conciliorum particularium consuetudinem, sicubi per temporum injuriam fuissent omissa, instaurandam decrevit. Statuit idcirco Provincialia quidem omni triennio, Diœcesana vero quotannis esse celebranda. Sapientissimo huic Decreto morem gerentes, Metropolitæ plures per diversas Europæ plagas Concilia in suis Provinciis coegerunt, in quibus Tridentinorum Patrum definitiones legesque disciplinam spectantes, obsequentissimo animo receptæ fuerunt et promulgatæ. Inter hæc facile eminent Mediolanensis Ecclesiæ Concilia, quorum caput ac præses erat S. Carolus Borromæus. Nam præter Synodos Diœcesanas undecim ab illo congregatas, sex etiam habuit Concilia Provincialia, septimumque aggrediebatur, quod tamen morte præventus absolvere non potuit. Plena quidem hæc Concilia sunt Apostolica gravitate, plena cœlesti sapientia, plena documentis ad Ecclesiam moderandam, ad sancte vivendum, ad clericorum mores optime instituendos maxime opportunis. Quam insignia beneficia ex horum deliberationibus ac legibus Eccle-

sia perceperit, ex ipsis Mediolanensis Ecclesiæ Actis, et illorum temporum documentis, manifestum est.

At temporum, quæ subsecuta sunt, calamitatibus, per tria fere sæcula post absolutam Synodum Tridentinam, intermissa ut plurimum fuerunt hujusmodi Concilia; donec tandem aliquando, largiente meliora Deo, in cujus manu sunt regum ac populorum corda,[1] illa iterum hoc nostro sæculo celebrari contigerit. Inter ea vero, quæ sunt superioribus annis convocata, primum omnino locum habuerunt septem harum Provinciarum Concilia, quæ in urbe nostra Metropolitana jam ab anno 1829, et subinde ad annum 1849, celebrari plerique nostrum vidimus. Quibus exemplis, quasi patefactam viam alii quoque aliis in locis insistere cæperunt: ita ut plura deinde per Italiam, Gallias, Germaniam, Angliam, Hiberniam, Episcoporum Concilia coacta fuerint. Laudemus igitur viros gloriosos, patres ac decessores nostros, per quos ecclesiasticam hac in re disciplinam revocatam ac restitutam habemus. Iis siquidem debetur, quod, inscrutabili quodam Divinæ Providentiæ consilio, Episcopis nostris in ultimis terræ finibus constitutis, totoque orbe a Romana sede divisis, id sponte ac libere peragere licuerit, quod Europæ Catholicæ Præsulibus brevissimo ab Urbe sacra intervallo disjunctis, per iniquas Principum Catholicorum leges, per invidiam, odia, suspiciones, nullo modo liceret.

Quæ cum ita sint, Venerabiles Patres ac dilectissimi in Christo Confratres, quonam meliori modo potero Concilii Nostri Plenarii Baltimorensis Secundi, hac die adjuvante Deo feliciter inchoandi, dignitatem, finesque sanctos eidem celebrando præstitutos, Vobis explicare, quam si verbis utar magni illius sanctique viri, Caroli Borromæi, qui hujus generis Conciliorum adeo insignis fuit Coryphæus?

"Omnis porro Concilii actio formam illam exhibet Apostolicæ missionis et legationis. Dum enim nostras nostrarumque ecclesiarum res inter nos mutua charitate conferimus; dum de castissimo divinorum officiorum cultu disquirimus; dum de cleri populique disciplina investigamus; dum et nostrorum et Apostolicæ Visitationis in primis decretorum executionem inspicimus; dum rerum multarum collapsam pene institutionem ob oculos ponimus; dum de instaurationis modo consulimus; dum constitutiones alias ad damna resarcienda recte accomodatas Spiritu Sancto auctore conficere studemus: universa hæc via et ratio eo spectat, ut istis adjumentis quæ a Deo existunt mens nostra illustretur, charitas in nobis inflammetur, ani-

[1] Prov. xxi., 1.

marum zelus in cordibus nostris exardescat, animarum nostrarum Episcopalis illa vis et ardor magis atque magis incendatur, et quasi novus quidam spiritus in nobis, qui Decretorum Provincialium virtute et auctoritate munimur, excitetur, vehementius ad improbos omnes spiritus depellendos, ad vitiorum pestem propulsandam, ad sanandas spirituales ægritudines, ad afferendam denique populis curæ nostræ commissis omnem curationem. O Salutares Episcopalium Conciliorum labores! Adest vobis Christus Dominus; actionum vestrarum dux est Spiritus Sanctus; vos morum magistri, vos populorum moderatores, vos sanctarum legum auctores. Sapientiâ vestrâ diciplinæ ratio omnis instauratur, prudentiâ controversiæ sedantur, charitate dissidia tolluntur, studio eriguntur manus remissæ, virtute genua debilia roborantur, animisque vires adduntur. Quid multis? Hæc Conciliorum actio nos ipsos, qui doctoris officio fungimur, qui Ecclesiæ medici sumus, docet, instruit, reficit, recreat, exsuscitat."[1]

Quid pluribus vos, Venerabiles Consacerdotes, alloquar verbis? Vos portastis pondus diei et æstus;[2] Vos bonum certamen certastis, fidemque servastis,[3] sicut boni milites Christi Jesu;[4] Vos omnia sustinuistis propter electos Dei;[5] Vos omnia omnibus facti estis, ut omnes faceretis salvos.[6] Quid dicam, nisi quæ gentium declaravit Apostolus? "Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;"[7] nam, "si commortui sumus, et convivemus, si sustinebimus, et conregnabimus."[8] Superabundastis enim gaudio in omni tribulatione vestra.[9] Magno igitur corde ac generoso, opus Dei exequi pergite, ut facitis: "Attendite Vobis et universo gregi, in quo Vos posuit Spiritus Sanctus, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo."[10] "Pascite qui in Vobis est gregem Christi, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam."[11]

[1] Acta Eccles. Mediol., Conc. Prov. vi., p. 240, col. 2.
[2] Matth. xx., 12.
[3] II. Tim. iv., 7.
[4] Ibid., ii., 3.
[5] Ibid., ii., 10.
[6] I. Corinth. ix., 22.
[7] Rom. viii., 15.
[8] II. Tim. ii., 11, 12.
[9] II. Corinth. vii., 4.
[10] Acta Ap. xx., 28.
[11] I. Pet. v., 2, 3, 4.

II. Concio — de Sacerdotio, atque de vita et honestate Clericorum.

Ab Illustrissimo ac Reverendissimo Sancti Francisci Metropolita in Secunda Sessione habita.

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DELEGATE APOSTOLICE:

Venerabiles in Christo Patres, Dilectique in Christo Consacerdotes:

Obedientia compellente, silentium servare mihi non licet, quod et ecclesiastica prohibet disciplina. Si enim, istâ duce, sermones de rebus sacris fiunt in Synodis diœcesanis; quanto magis sermones sacros proferre decebit in tanto Presbyterorum, Theologorum, Collegiorum Præsidum, ac Religiosarum Familiarum Superiorum, maximeque tot Episcoporum et Archiepiscoporum præclarissimo conventu? Et quidem ipsa spectatissimi cœtus conditio specialiter menti suggerit Sacerdotii dignitatem, vitamque et honestatem Clericorum, de quibus pauca mihi dicenda incumbunt; seu potius, prout olim in S. Patris Dominici Conventibus Divini Officii lectiones mihi aliisque legere solitus eram, (quod iterum præstare liceat,) ita nunc quædam ex SS. Patribus ac ecclesiasticis statutis, necnon Scriptoribus Sacris excerpta, mihi vobisque recolenda proponam, auspice Maria, patientique vestra attentione.

Grandem in primis cum divo Hieronymo dico dignitatem Sacerdotum, qui non ab hominibus sed ab ipso Deo assumpti sunt, non jam ad domus seu urbes construendas, non ad arma ad victoriam ducenda, aut reipublicæ cives in negotiis secularibus humana sapientia dirigendos, sed tanquam Aaron a Deo vocati ad Ipsi Deo ministrandum in rebus divinis; ita ut, teste Apostolo Paulo, ipsius Dei sint adjutores, ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Mirarentur homines, (si hanc adducere liceat similitudinem,) miraremur et nos, si Deus nos vocasset ad creandum cum ipso cœlum et terram, et omnia quæ universi fabrica continentur; et nihilominus ad aliquid altius nos sibi consociavit, ædificationem scilicet Ecclesiæ Christi. Cum enim Altissimus vellet sibi ædificare templum, summa pulchritudine, ordine ac perfectione se dignum, in quo tota Trinitas in æternum habitaret ac cultu perpetuo adoraretur; sibi Sacerdotes ceu suos ministros et coadjutores adscivit, qui vivos lapides, nempe

Christifideles, ornarent, aptarent atque extruerent in templum, orbi terrarum coëxtensum atque æternitati coævum, ad quod Dei Filius divinam eis virtutem subministravit, omnipotenti suo verbo ajens eis: "Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes;" * * * "sicut misit me Pater et ego mitto vos." Hinc merito Tridentini Patres Christi vicarios vocant Sacerdotes, adscitos ad redemptionis humanæ opus perficiendum, opus quidem angelicis humeris formidandum.

At ut clarius pateat laudatæ dignitatis excellentia, præcipua Sacerdotum munia æstimemus, quæ Deo auctore in Christi verum ac mysticum corpus assiduo præstant. Itaque cum Deus sit omnium rerum Creator ac conservator, omniumque munerum dator ac distributor, tenentur homines illius in omnia supremum agnoscere dominium, ac adorare virtutem per sacrificii oblationem. Hinc ab initio mundi consueverunt homines Deo sancti immensæ ejus majestati offerre sacrificia, nec ullum latet cultum Mosaicum, ipso Deo ordinante, in sacrificiis offerendis præcipue constitisse, neminemque latere deberet, Christum non venisse tollere legem sed adimplere; ipsum non venisse summum religionis actum, nempe sacrificium, delere, sed veteribus typicisque Moysi sacrificiis reale ac excellentius sacrificium substituisse, perennem nempe sui corporis et sanguinis oblationem, juxta propheticum vaticinium: "Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: Et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum." Quæ quidem pulchre breviterque tradunt Patres Tridentini dicentes: "Sacrificium, et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo testamento sanctum eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est."

Ex his omnibus in nostri excellentiam Sacerdotii facile depromitur argumentum. Si enim Moyses magni fecit, quod Deus filios Levi separavit ab omni populo ac junxit sibi; "si (ajente Apostolo) ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?" Si comparatio fiat inter vetus et novum Sacerdo-

tium, docet Chrysostomus, videbit quisque omne quod fuit gloriosum in sacerdotibus Aaronis nihil omnino esse, si supereminens gloria æstimetur Sacerdotum Jesu Christi. Mera enim animantia mactabant illi, carnes hircorum ac taurorum offerebant, eorumdem sanguine altaria populumque lustrabant, panes propositionis dicabant atque sumebant; at novæ legis Sacerdos ascendit ad altare, sumit panem et vinum, et, tanquam alter Christus, verbis consecrationis substantias illas in verum Christi corpus sanguinemque convertit, miranda quidem atque divina virtute a labiis omnipotentis Filii Dei creata, dum ipse suis ministris dixit: "Hoc facite in meam commemorationem."

Datur præterea nobis in mysticum Christi corpus summa potestas, ea scilicet ligandi atque solvendi. Humilitate quodammodo oppressus fuit Princeps Apostolorum, cum in nomine Domini magnam cepit piscium multitudinem, nec minori humilitate et admiratione fuit procul dubio ipse affectus, cum in ipsius Domini nostri Jesu Christi nomine ac virtute fecit paralyticum ambulare, ac mortuum reviviscere. At multo majori deberemus nos humilitatis et admirationis sensu commoveri, dum infallibili noscimus fide, Dei Filium nos constituisse hominum piscatores, languentium quoque omniumque infirmorum medicos divina munitos virtute non tantum debiles claudosque sanandi, sed et mortuos per peccatum ad vitam gratiæ revocandi, dicente nobis Omnipotenti Deo: "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et, quorum retinueritis, retenta sunt."

Quæ cum ita sint, merito inclamat Chrysostomus: "O miraculum! * * * qui terram incolunt * * * ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus." Cuinam enim Angelorum subdidit Dominus hunc mundum novum, qui est ejus Ecclesia? Ad quosnam Angelorum dixit ille, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, remittam in cœlo id quod a vobis remissum erit in terra? Cuinam Angelorum dedit ille potestatem consecrandi suum corpus et sanguinem? Miremur ob tam mirandam virtutem. Miremur itidem quod in novissimis diebus venerint homines in deceptione illusores, instabiles, depravantes Scripturas in suam ipsorum perditionem, dominationem spernentes, nec verentes introducere sectas, qui, seipsos Ecclesiæ Dei reformatores constituentes, Sacerdotium pro posse proscripserunt, templa altaribus spoliavere, sacrosanctum sacrificium a Christo institutum Deoque debitum extinxere, et loco Ordinis Sacri laicos ministrorum nomine decorarunt, qui carnalia et spiritualia mis-

centes sese inhabiles reddidere ad capiendum divinum institutum et gratiam, de quibus divo Timotheo scribit Apostolus his verbis: "Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii."

Nunc autem ex his de Sacerdotii excellentia præmissis sponte fluit, Amplissimi Patres, Venerabilesque Consacerdotes, quanta esse debeat Sacerdotum probitas, totiusque eorum vitæ rectitudo. Clerici quidem nuncupantur, eo quod vocati sint in sortem Domini, qui est eorum sors, pars atque hæreditas. Illius autem ministerium sortiti sunt, quem nemo umquam arguere potuit de peccato vel levissimo, quem sanctissima commendavit vita, qui bene omnia fecit, hominesque a mortis æternæ tenebris eripuit, eosdemque perduxit ad immarcescibilis vitæ lumen splendore verbi atque exempli, quique tandem vitam dedit pro ovibus suis, non tamen antequam nobis diceret: "Si quis mihi ministrat me sequatur." In primis, itaque, sanctitas illius, cui ministramus, a nobis etiam sanctitatem requirit: si enim omnibus Christi discipulis a Principe Apostolorum dicitur: "Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis. Quoniam scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum;" potiori utique ratione id Christi ministris denuntiatur. Si Levitis ministrantibus litteræ legis a Propheta fuit injunctum: "Mundamini qui fertis vasa Domini;" quanto potius mundos sanctosque esse oportebit ministrantes spiritui gratiæ, qui non tantum vasa Domini ferunt, sed Dominum ipsum, Deum immensæ Majestatis, quem omnes Angeli et universæ potestates ter Sanctum incessabili voce proclamant! "Quid igitur mirum, (ait S. Carolus Borromæus,) si necesse est, accedentes ad illum *sanctificari*, ne purissimæ illius majestatis oculi maculis aut sordibus ullis offendantur?" Si tandem Omnipotens tanta sanctitate ornavit Deiparam, ut eam non tantum ab omni vel levissimo peccato atque originali labe præservaret immunem, sed et omni gratia plenam omnibusque virtutibus gradu perfectissimo condecoratam instrueret, ut dignum Filii sui habitaculum effici mereretur, quem concipere, portare, et enutrire debebat, eamdemque miraculo ineffabili Virginem conservavit dum Matrem effecit; debemus et nos animas nostras puritate et sanctitate ornare, quibus datum est eumdem Dei Filium consecrare, manibus pertractare, ejusdemque pretiosissimo corpore et sanguine enutriri.

Tenemur igitur, non solum ab omni crimine, sed et ab omni specie mali, quinimo ab ipsa suspicione immunes nos præservare; atque femineum sexum, quamvis devotum, pro posse vitare, exemplo

Christi, qui, quamvis sanctitas infinita, ad nos edocendum, erga ipsum cautissimus fuit, ita ut mirati sint Apostoli quod Samaritanam, solus ad fontem, sit alloquutus. Quod si Clericos necessitas cogat, famulas pro re domestica domi retinere, id tantummodo tolerandum, cum illæ et probatæ fuerint virtutis et provectæ ætatis, atque Ordinario permittente. Nec Clericis sufficere putandum, a pravo actu externo se abstinere, sed internæ mentis et cordis puritati ab iis studendum, prout iis non sat esset ebrietatem vitare, sed ebriorum tabernacula ab ipsis etiam sunt vitanda, ajente canone: "Clerici edendi et bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi."

Tenemur etiam a secularibus nos abstinere negotiis, imo et ea fugere. Juxta expressionem Tridentinorum Patrum, qui eodem edocebantur Spiritu, qui jam dixerat per Apostolum: "Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus." Sacerdotes recte vocantur Christi castra seu milites. At "miles, (ait S. Basilius,) non domos ædificat, non comparat agros, non vacat mercaturæ." "Si ego pars Domini sum, (ait divus Hieronymus,) nec accipio partes inter alias tribus, sed quasi Levita et Sacerdos, vivo de decimis et altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero; et nudam crucem nudus sequar."

Tenentur Presbyteri suis Episcopis præstare reverentiam et obedientiam, necnon Romanum Pontificem, Beati Petri Successorem, Christi Vicarium, commune unitatis centrum, totiusque Ecclesiæ caput, summo amore prosequi totisque tueri viribus. Tenentur pariter, et quidem sub gravi, si non aliunde, saltem ex titulo Ordinis Sacri, ad divini officii recitationem.

Tandem tenentur ecclesiasticis studiis, præcipue vero Sacrarum Scripturarum assiduo incumbere; "labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus." Hujusmodi studiis lux mundi nos esse oportet, non jam sub modio posita, sed super candelabrum, illuminans homines, præsertim nostræ curæ commissos, non solum operibus nostris bonis, sed et constanti verbi Dei prædicatione; ita ut quivis Pastor sibi dicere teneatur: "Væ mihi est, si non evangelizavero." Languerent Christifideles, nisi verbo Dei continuo reficerentur. Plerisque præterea circumdamur ovibus, per falsos prophetas ab unitate gregis deceptione seductis; eas tamen Supremus Pastor vult per nos ad fidei unitatem adducere, ut fiat "unum ovile et unus Pastor."

Laudata vero munera sacerdotalia Sacerdos adimplere nequibit,

quin per orationis exercitium divino auxilio fulciatur, quin inter vestibulum et altare assiduo ploret. Dei ministro potius quam cuicumque alteri mente recogitandum illud Angelici Doctoris: "Post baptismum necessaria est homini jugis oratio." Dum enim arbor, cœli imbribus omnique irrigatione destituta, sterilis evadet et arefiet, plantata autem juxta decursus aquarum, fructum suum dabit in tempore suo; ita Sacerdos ad Crucifixi pedes vigilans et orans, Dei amore et proximorum salutis desiderio flagrabit, ignemque zeli apostolici e cœlo descendere faciet, quo Sacerdotii sui sacrificia igne ardescent divino, ejusque vita et opera erunt in conspectu Domini pretiosa; et quem sui partem fideliter fecit in terra, hæreditatem æternam inveniet in regno cœlorum.

III. Concio—de Zelo Sacerdotali.

Ab Illustrissimo ac Reverendissimo Neo-Aureliæ Metropolita in tertia Sessione habita.

Reverendissimi Fratres:

Cùm nobis gratum incumbat officium de Zelo Sacerdotali tractandi coràm hoc amplissimo piorum ac doctorum Antistitum cœtu, in illa tanti momenti materia, quæ quidem vobis, Reverendissimi Fratres, est apprimè nota et familiaris, satis erit si ostendamus:

1°. Quali et quanto Zelo Christus, Summus Pontifex novæ legis, et exemplar sacerdotum, accensus est pro salute animarum:

2°. Qualis sit obligatio pro sacerdote, qui est alter Christus, se vovendi saluti animarum sicut Christus ipse.

Porrò perspicuum est quôd Christus ab æterno sinu Patris in Virginis uterum venit, *ut eripiat nos de potestate tenebrarum, ut salvificet mundum, ut auferat peccatum* quod est unicum saluti humanæ obstaculum.

Et quidem omnia illa stupenda immensi amoris mysteria, quæ Christus in vitâ suâ mortali, operatus est, ad salutem animarum directa sunt et ad hunc finem referuntur.

Propter nos homines et propter nostram salutem, ut proclamat Sancta Mater Ecclesia, *Jesus Christus, Filius Dei, consubstantialis Patri, descendit de Cœlis, et homo factus est. Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. In similitudinem hominum factus,* paupertatem elegit, contumelias amplexus est, persecutiones sustinuit, pro nobis oravit, docuit, laboravit, fatigatus est; pro nobis cruci affixus est, et in cruce emisit spiritum; pro nobis resurrexit, in cœlos ascendit, et de cœlis misit Spiritum Sanctum, per quem *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

Uno verbo, Christus se totum dedit, vovit, immolavit, pro nostra salute; et sic verè nobis factus est Jesus, id est Salvator, nos transferendo de tenebris ad lucem, de morte ad vitam.

Porrò Sacerdos Christi est alter Christus. Locum Christi inter homines tenet, et vices illius gerit. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Sacerdos à Christo eligitur et mittitur ad continuandum et perficiendum opus Christi, quod est salus animarum.

Sacerdos igitur debet, sicut Christus ipse, se totum et sua omnia saluti animarum vovere, consecrare, immolare. Ad hunc finem orationes, studia, labores, facultates mentis, et corporis vires referre tenetur, paratus etiam ad persecutiones, ad effusionem sanguinis, ad sacrificium vitæ, juxtà exemplar boni Pastoris, qui vitam suam posuit pro ovibus suis; ut veraciter dicere possit cum Paulo: *Omnia sustineo propter electos; Libentissimè impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Porrò ut Sacerdos gaudere possit illo Zelo verè Sacerdotali, quem in amantissimo corde Christi haurire debet, necesse est ut propriæ saluti priùs incumbat, et tunc saluti fratrum efficaciùs attendet. Zelus enim Sacerdotalis procedit de amore Dei, et extenditur ad amorem proximi. Quomodò verò proximi dilectionem habebit sacerdos peccator, cùm nec Deum diligat, nec se ipsum vere amare sciat? *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Et quidem in Sacerdote sancto Zelus erit planè supernaturalis, et in se, et in suis motivis, et in suo fine. Nam omnia quæ tractamus, tanquàm legati Christi, omnia quæ gerimus pertinent ad supernaturalem ordinem, et tendunt ad illam beatitudinem quæ omnem ordinem naturalem transcendit.

Si vero Zelus sit supernaturalis, erit purus et liber, non solùm ab omni inordinatâ affectione, sed etiam ab omni humanâ consideratione. In omnibus hominibus, qualiscumque sit diversitas gentium, vel originis, vel coloris, aut conditionis, nihil aliud videt, nisi animas pretio Sanguinis Christi redemptas, et ad vitam æternam perducendas.

Sacerdos illo Zelo accensus non curat de vanâ opinione hominum. *Omnibus omnia fieri* conatur, *ut omnes lucrifaciat,* sed in multis meminit verbi Apostoli: *Si hominibus placerem, servus Dei non essem.* Verus Zelus non movetur desiderio mundanæ famæ et inanis gloriæ, non cupiditate divitiarum, voluptatum, vel dignitatum, etiam ecclesiasticarum; qui enim talibus motivis aguntur *quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.*

Zelus ille prudens erit et secundùm scientiam, non ductus ab impetu cœco mentis vel indolis, non procedens ab alacritate naturali ingenii vel imaginationis, sed sciens quandò et quomodò loqui vel agere debeat.

Scientia verò, quæ in prudenti Zelo requiritur, non est tantum scientia per humana media comparata, et quæ quidem in suis variis partibus tàm multiplex et immensa est; sed est etiam scientia illa supernaturalis, quæ in oratione et meditatione acquiritur.

Zelus ille fortiter et suaviter aget, ad exemplar divinæ sapientiæ, quæ *attingit à fine usquè ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

Denique Zelus ille patiens erit et perseverans, etiam inter difficultates, contradictiones, oppositiones, persecutiones. Non dejicietur propter inutilitatem conatuum vel propter ingratitudinem hominum; sciens quod Deus laborem, non successum, requirat.

Talis esse debet Zelus Sacerdotalis, et talis erit in illis qui non quærunt semetipsos, nec sua commoda, sed gloriam Dei et salutem animarum.

Accendamur igitur illo Zelo supernaturali, et dotibus illis suprà memoratis prædito, ut digna fiamur instrumenta misericordiæ Dei inter homines, et salutem omnium, quantùm in nobis est, procurare satagamus.

Et si fideliter in hoc divino opere usque ad finem perseveraverimus, *cùm apparuerit Princeps pastorum, percipiemus immarcescibilem gloriæ coronam,* et ex ore amantissimo dulcissimi Jesu hæc audiemus suavissima verba: *Serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Amen!

IV. LITERÆ PASTORALES CONCILII PATRUM,

LINGUA VULGARI, AD CLERUM POPULUMQUE SIBI COMMISSUM DIRECTÆ.



PASTORAL LETTER;

OF THE ARCHBISHOPS AND BISHOPS OF THE UNITED STATES,

IN PLENARY COUNCIL ASSEMBLED,

TO THE CLERGY AND LAITY OF THEIR CHARGE.

Venerable Brethren of the Clergy:

Beloved Children of the Laity:

AFTER the lapse of more than fourteen years it has again been permitted us to assemble in Plenary Council, for the purpose of more effectually uniting our efforts for the promotion of the great object of our ministry—the advancement of the interests of the Church of God. God, indeed, needs not human agency, although He vouchsafes to employ it. As in assuming our nature our Divine Redeemer subjected Himself to its conditions, and was made like unto us, sin only excepted;[1] so he has willed that in the establishment and maintenance of His Church, human agency should be employed, and the means best adapted for the attainment of its great end should be selected.

Among these means the assembling in council of the Bishops

[1] Heb. iv., 15.

placed over the different portions of Christ's flock, in union with, and in obedience to, the Chief Bishop, to whom He has committed the care of the whole—lambs and sheep, people and pastors—has always been reckoned as among the most efficacious. Hence the reverence with which the Christian World has ever regarded the Councils of the Church. Of these some are called General, because representing the universal Church—the body of Pastors in union with its Head—and are therefore the highest expression of the authority which Christ has given to His Church. Local Councils, being but partial representations of the Church,—because composed of the Bishops of one or more Provinces,—are of inferior weight, but still are embodiments of the same principle. Among these Local Councils those called Plenary, because representing several Ecclesiastical Provinces—ordinarily under one civil government, and therefore sometimes called National—hold the highest place. They a e assembled by express direction of the Sovereign Pontiff; who appoints a representative of his authority in the Apostolic Delegate he commissions to preside over them. Such Councils have not ordinarily to define the doctrines of the Church, although they furnish suitable occasions for making authoritative statements of them. Their principal object, however, is to regulate discipline, whether by the correction of abuses, or the establishment of such rules of conduct as circumstances may require.

I. Authority of Plenary Councils.

The authority exercised in these councils is original, not delegated; and hence their decrees have, from the time of their promulgation, the character of ecclesiastical law for the faithful in the district or region subject to the jurisdiction of the Bishops by whom they have been enacted. By a wise regulation, however, which combines the benefit of central authority with the advantages of local legislation, the decrees of such councils are not promulgated or published until they have been submitted to the Holy See. This is not only for the purpose of imparting to them a still higher authority, but also to guard against any inaccuracy in doctrinal statements, or any enactment not in conformity with the general discipline of the Church, or that might be contrary to the spirit of Ecclesiastical legislation.

II. Ecclesiastical Authority.

The authority thus exercised is divine in its origin, the Holy Ghost having "placed Bishops to rule the Church of God."[1] Obedience to it—whether there be question of "the faith once delivered to the saints," or of rules of conduct—is not submission to man but to God; and consequently imposes on the Faithful no obligation incompatible with the true dignity of man. It would be a gross error to confound the liberty "wherewith Christ has made us free,"[2] with the license which would reject the authority He has established. As obedience to law is the basis on which society rests, and the only condition on which civil liberty can be enjoyed; so in Religion, respect for the authority established by God, obedience to its commands, and reverence for those in whom it is vested, are not incompatible with Christian Freedom, but form, in fact, the condition of its existence. In neither order, is liberty freedom from all restraint, but only from unjust and unauthorized control. In the temporal order, the limits of lawful power vary with the constitution of society in each particular nation, but in the Church, the universal society—divine in its origin and constitution no less than in its object, and bounded by no local limit—it is determined by the will of God, made known to men by that Revelation of which it forms a part, and of which the tribunal by whose authority it is exercised is the witness, the guardian, and the interpreter. To the Apostles, as a Ministerial Body which was to have perpetual existence by the perpetual succession of its members, Christ gave the powers He himself had received from the Father: "As the Father hath sent me, I also send you."[3] "He who hears you, hears Me."[4] Hence St. Paul identifies the ministry established by Christ, with Christ Himself, and accounts its acts as the acts of the Redeemer: "But all things are of God, who hath reconciled us to Himself in Christ, and has given us the ministry of reconciliation. For God was in Christ, reconciling the world to Himself, not imputing to them their sins; and He hath placed in us the word of reconciliation. For Christ we are ambassadors; God as it were exhorting by us."[5]

We have deemed it not unnecessary to recall these truths to your minds, from our knowledge of the false light in which the nature of

[1] Acts, xx.
[2] St. John, viii.
[3] John xx., 21.
[4] Luke x., 16.
[5] II. Cor. v., 18, 19, 20.

ecclesiastical authority is so often presented to view. Civil society requires a supreme tribunal for the adjudication of controversies in the temporal order; and without such a tribunal no society could exist. Much more does the Society, which Christ established, require that all controversies regarding the doctrines He taught and the duties He imposed, should be determined by an authority, whose decision should be final, and which, as all are bound to obey it, must be an infallible oracle of truth.

Nor is this principle less conformable to the dictates of reason than to the inspired language to which we have referred. Religion, considered as a Revelation, or extraordinary manifestation of supernatural truths, originally made to man by the ministry of men, necessarily implies the agency of men in its continued promulgation. When the Eternal Word assumed the nature of man, He made an outward manifestation of those truths which men never could have known but from his testimony. "No man at any time hath seen God: the only-begotten Son, who is in the bosom of the Father, he hath declared Him."[1] What Christ made known to the Apostles, He commanded them to make known to men: "teaching them to observe all things whatsoever I have commanded you."[2] He gave their teaching the sanction of His personal authority, and placed no limit to the continuance of the commission thus imparted: "Behold I am with you all days, even to the consummation of the world"[3]—a phrase once before used by Our Lord, and once by the same Evangelist, St. Matthew, to designate the "end of the world."[4] To suppose that this commission was fulfilled by the preaching or writing of the Apostles, so that after them, men were not to have living teachers, who no less than they should speak with the authority of Christ, is to suppose that Christ departed from the plan he originally traced out, and adopted another plan of which he made no mention. But such a supposition is irreconcilable with the plan and authoritative language He used, and incompatible with His divine character.

The Apostles certainly did not so understand the words of their Divine Master. They "appointed priests in every city:"[5] to these they gave the power of associating others with themselves in the office of teaching: as they themselves had been associated with the Apostles: and as the Apostles had been associated with Christ. Hence the charge which St. Paul gave to Timothy, was, no doubt,

[1] John i., 18.
[2] Matth. xxviii., 20.
[3] Ibid.
[4] Matth. xiii., 30; xxiv., 3.
[5] Tit. i., 5.

given to all who, like Timothy, had received the imposition of hands for the work of the ministry. "Thou, therefore, my son, be strong in the grace which is in Christ Jesus; and the things which thou hast heard from me before many witnesses, the same commend to faithful men, who shall be fit to teach others also."[1] Hence the principle elsewhere enunciated by the same Apostles, that "faith comes by hearing,"[2] is that by which the knowledge of Christ's religion was to be continued, as it was that by which it was first made known. The announcement of divine truth by preachers, who have a divine commission to preach, is clearly expressed by the same Apostle in the series of questions which precede the words above quoted, and from which these words are a consequence. Having stated that all who call on the name of the Lord, whether Jew or Greek, shall be saved, he asks himself, for the purpose of answering a possible objection, the following questions: "How shall they then call on Him in whom they have not believed? Or how shall they believe in Him of whom they have not heard? And how shall they hear without a preacher? And how can they preach unless they be sent; as it is written: 'How beautiful are the feet of them that preach the gospel of peace, of them that bring glad tidings of good things!' "[3]

Those who refuse to obey this authority, and who condemn it as an unwarranted assumption of power on the part of the Church, deprive themselves of the only means by which they can learn with entire certainty the truths God requires them to believe and the duties He imposes, in order to be saved. With such persons opinion is necessarily substituted for faith, which is firm and unwavering belief, on authority external to the believer. Nor can it be said, that those who reject the authority of the Church believe, on the authority of God, what they find Him to have revealed in His written Word. The meaning of that Word—whether it be supposed attainable by the exercise of the judgment aided by prayer for divine Light, or by a supposed immediate inspiration of the Holy Ghost,—in every such case, is ascertained by the individual whose judgment may err, and whose belief of a divine Inspiration may therefore be an illusion. Experience shows, that this must be the case in most instances; and reason suggests that it may be the case in all. The most contradictory conclusions are arrived at by men of great talent, vast learning, and undoubted sincerity of purpose. The most absurd and blas-

[1] II. Tim. ii., 2. [2] Rom. x., 17. [3] Ibid., 14, 15.

phemous ideas have been regarded by many as the teachings of the Holy Spirit, under the influence of the illusion, that what was the suggestion of their own imagination—if not the promptings of Satan, who sometimes "transforms himself into an angel of light,"—was indeed the voice of God. The tradition of the Church—that is the handing down from pastor to pastor, under the divine protection and guarantee, the doctrines originally received—is the only rational ground we can have for our belief, that God has revealed the truths which we believe. "Although I," says St. Paul, "or an angel from heaven, preach to you a gospel other than you have received, let him be anathema."[1] The same tradition, joined with the authority of the pastors of the Church, is the criterion by which St. John teaches us to try the spirits: "We are of God. He that knoweth God heareth us. He that is not of God, heareth us not. By this we know the spirit of truth and the spirit of error."[2]

What the plain words of Christ and reason itself establish, experience confirms. The authority recognized in the Catholic Church "preserves the unity of the spirit in the bond of peace," and exhibits to the world One Body and One Spirit, because there is One Faith, as there is but One Lord whose revelation it is.[3] Outside of this One Fold of the One Shepherd, divisions arise and are perpetuated, because there is no supreme tribunal by which they might be extinguished; sects are multiplied, and religious indifference or unbelief is sought as a refuge from the contradiction of tongues. Hence the principles of morality, which derive the only efficacious motives for their practice from the Revelation of which they form a part, are weakened, if not entirely undermined; the believer is embarrassed and perplexed, and the unbeliever, who cannot always distinguish between the Church and the sects, finds a plausible excuse for incredulity in the diversities of religious systems and the divisions of professing Christians.

This authority is exercised not only in defining the truths of Faith, and in determining whatever controversies may arise in relation to them, but also in warning the Flock of Christ by seasonable admonitions, against whatever might interfere with the purity of Christian Morals, and by rebuke and reprehension, when they are found necessary for the correction of abuses. "Obey your Prelates," says St. Paul, "and be subject to them; for they watch, as having to render an account for your souls, that they may do this with joy, and

[1] Gal. i., 8. [2] I. John iv., 6. [3] Ephes. iv , 5.

not with grief. For this is not expedient for you."[1] We cheerfully acknowledge, Venerable and Beloved Brethren, the general and willing acceptance by you of this important principle of a living, guiding authority, which distinguishes the Church as a divine Institution, from the various sects that surround her. We wish, however, to impress upon the minds of all our spiritual children the obligation imposed on them of obeying their respective Prelates—each in his own Diocese—by receiving their directions as the expression of the Authority which Christ has established in His Church. So long as such directions are not set aside by superior authority, they are to be received as a rule of conduct; nor can they be evaded without transgressing the Apostolic precept, "Obey your Prelates." No motive derived from the possible misconception of the nature of that which is forbidden, or from the real or supposed difference of opinion—the action or inaction of other Prelates—will excuse the Catholic from the crime of disobedience towards his own Bishop, if he refuse to be guided by him, and presume to dictate when it is his duty to obey. Hence when we warn you, either collectively, as in the present instance, or singly in our respective Dioceses, to avoid secret societies and all associations which we deem unlawful, you cannot, on the peril of your souls, disregard our admonitions: because the authority we exercise in such cases is that of Him who has said: "He who hears you hears Me, and he who despises you despises Me; and he that despises Me despises Him that sent Me."[2]

III. Relations of the Church to the State.

The enemies of the Church fail not to represent her claims as incompatible with the independence of the Civil Power, and her action as impeding the exertions of the State to promote the well-being of society. So far from these charges being founded in fact, the authority and influence of the Church will be found to be the most efficacious support of the temporal authority by which society is governed. The Church, indeed, does not proclaim the absolute and entire independence of the Civil Power, because it teaches with the Apostle, that "all Power is of God;" that the temporal magistrate is His minister, and that the power of the sword he wields is a delegated exercise of authority committed to him from on high.[3] For the children of the Church obedience to the Civil Power is not a

[1] Heb. xiii., 17. [2] Luke x., 16. [3] Rom. xiii., 1–5.

submission to force which may not be resisted; nor merely the compliance with a condition for peace and security; but a religious duty founded on obedience to God, by whose authority the Civil Magistrate exercises his power. This power, however, as subordinate and delegated, must always be exercised agreeably to God's Law. In prescribing anything contrary to that Law the Civil Power transcends its authority, and has no claim on the obedience of the citizen. Never can it be lawful to disobey God, as the Apostles Peter and John so explicitly declared before the tribunal which sat in judgment on them: "If it be just in the sight of God to hear you rather than God, judge ye."[1] This undeniable principle does not, however, entail the same consequences in the Catholic system as in those of the sects. In these the individual is the ultimate judge of what the law of God commands or forbids, and is consequently liable to claim the sanction of the higher law, for what after all may be, and often is, but the suggestions of an undisciplined mind, or an overheated imagination. Nor can the Civil Government be expected to recognize an authority which has no warrant for its character as divine, and no limits in its application, without exposing the State to disorder and anarchy. The Catholic has a guide in the Church, as a divine Institution, which enables him to discriminate between what the Law of God forbids or allows; and this authority the State is bound to recognize as supreme in its sphere—of moral, no less than dogmatic teaching. There may, indeed, be instances in which individual Catholics will make a misapplication of the principle; or in which, while the principle of obedience to Civil Authority is recognized as of divine obligation, the seat of that authority may be a matter of doubt, by reason of the clashing opinions that prevail in regard to this important fact. The Church does not assume to decide such matters in the temporal order, as she is not the judge of civil controversies, although she always, when invited to do so, has endeavored to remove the misconceptions from which disputes so often arise, and to consult for every interest while maintaining the peace of society and the rights of justice.

While cheerfully recognizing the fact, that hitherto the General and State Governments of our country, except in some brief intervals of excitement and delusion, have not interfered with our ecclesiastical organization or civil rights, we still have to lament that in many of the States we are not as yet permitted legally, to make those arrange-

[1] Acts iv., 19.

ments for the security of Church Property, which are in accordance with the canons and discipline of the Catholic Church. In some of the States we gratefully acknowledge that all is granted in this regard that we could reasonably ask for. The right of the Church to possess property, whether churches, residences for the clergy, cemeteries, or school-houses, asylums, etc., cannot be denied without depriving her of a necessary means of promoting the end for which she has been established. We are aware of the alleged grounds for this refusal to recognize the Church in her corporate capacity, unless on the condition, that, in the matter of the tenure of ecclesiastical property, she conform to the general laws providing for this object. These laws, however, are for the most part based on principles which she cannot accept, without departing from her practice from the beginning, as soon as she was permitted to enjoy liberty of worship. They are the expression of a distrust of ecclesiastical power, as such; and are the fruit of the misrepresentations which have been made of the action of the Church in past ages. As well might the civil power prescribe to her the doctrines she is to teach and the worship with which she is to honor God, as to impose on her a system of holding her temporalities, which is alien to her principles, and which is borrowed from those who have rejected her authority. Instead of seeking to disprove the various reasons alleged for this denial of the Church's rights in some of the States, we content ourselves with the formal protest we hereby enter against it; and briefly remark, that even in the supposition, which we by no means admit, that such denial was the result of legitimate motives, the denial itself is incompatible with the full measure of Ecclesiastical or Religious Liberty, which we are supposed to enjoy.

Nor is this an unimportant matter, or one which has not practical results of a most embarrassing character. Not only are we obliged to place church property in conditions of extreme hazard, because not permitted to manage our Church temporalities on Catholic principles; but in at least one of these United States—Missouri—laws have been passed by which all Church property, not held by corporations, is subjected to taxation; and the avowed object of this discriminating legislation is hostility to the Catholic Church. In concluding these remarks, we merely refer to the attempt made in that State to make the exercise of the ecclesiastical ministry depend on a condition laid down by the civil power.

IV. Aid for the Pope.

When last assembled in Plenary Council, we called on you to aid the Holy Father by your contributions, and you generously responded to our appeal. Since then the richest and most fertile portions of the States of the Church have been wrested from him by the hands of violence, and his position has become still more critical and embarrassed. In order to enable him to assist those who are dependent on him, and to carry on the affairs of the Universal Church, it is absolutely necessary that the children of the Church in all parts of the world should come to his help. We have therefore felt it to be our duty to direct that an annual collection be henceforth taken up in all the Dioceses in the country, on the Sunday within the Octave of the Feast of SS. Peter and Paul, or such other Sunday as the Ordinary may direct, to be devoted to this purpose.

We need not remind you that the obligation of supplying the temporal wants of those who minister to your spiritual necessities applies in a special manner to the Sovereign Pontiff, who necessarily incurs great expenses in discharging the duties of his high office. We abstain from more than an allusion to the trials and humiliations to which the political changes in Italy, which have since occurred, have exposed him. However much the prevalence of false ideas, and an erroneous estimate of the real character of the charges referred to may mislead the judgment, all must admire the noble courage which the Holy Father has maintained, in the midst of these outrages; as all must be struck by that visible protection which Providence appears to have afforded him, so that he alone of all the princes of Italy yet retains his sovereignty and his independence. The imminent dangers, to which he has been exposed in his long and eventful Pontificate, have been hailed by the enemies of the Church as a triumph, and they have awakened in the latter the liveliest exultation and the most extravagant anticipations. You know, Brethren, how fallacious are such expectations; how delusive such hopes. You need not to be told, that the condition of the Church of Christ on earth is one of trial and endurance; that the Spouse of Christ is never more worthy of His love than when assimilated to Him by walking in His footsteps:[1] that the temporary triumph of her enemies is the forerunner of their ultimate defeat; and that every trial

[1] I. Peter ii., 21.

to which she is subjected is the preparation for her final victory. The more violent the storm, the more firmly, when it shall have spent its fury, will this tree of life be found to have struck its roots into the soil, in which the right hand of the Father hath planted it. A holy Pope, who filled the chair of Peter in the year 494, wrote thus to the Greek Emperor Anastasius: "What is of divine institution may be attacked by human presumption, but it cannot be overcome, no matter how great the power employed against it. Would that the impiety which impels them were as innoxious to its assailants, as that which God has established is superior to all violence. 'The sure foundation of God standeth firm.'[1] Does not experience shew that the Church, when attacked, instead of being overcome, is rendered the more invincible by that which appeared to ensure its destruction?"[2] Or, as St. Augustine forcibly expresses the same idea; the greater the violence with which earthly vessels strike against this rock the greater the destruction in which they are involved.

How consoling and encouraging the fact, that we can adopt this language, and may learn from the eighteen centuries of her eventful existence, that every successive trial of the Church proves the truth of the prophet's promise: "When thou shalt pass through the waters, I will be with thee; and the rivers shall not cover thee: when thou shalt walk through the fire, thou shalt not be burnt, and the flames shall not burn in thee."[3] "O poor little one, tossed with tempest, without all comfort: behold, I will lay thy stones in order, and will lay thy foundations with sapphires. And I will make thy bulwarks of jasper, and thy gates of graven stones, and all thy borders of desirable stones. All thy children shall be taught of the Lord, and great shall be the peace of thy children. And thou shalt be founded in justice; depart far from oppression, for thou shalt not fear: and from terror, for it shall not come near thee. No weapon that is formed against thee shall prosper, and every tongue that resists thee in judgment, thou shalt condemn."[4]

[1] II. Tim. ii., 19.

[2] Impeti possunt humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio constituta: vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacræ Religionis Auctore præfixum est, non potest ulla virtute convelli. *Firmamentum enim Dei stat.* Num quidnam cum aliquibus infesta Religio est, quantacunque potuit novitate superari, et non magis hæc invicta permansit quo æstimata est posse succumbere?—*Gelasius ad Anastasium.*

[3] Isaias xliii., 2.

[4] Isaias liv., 11, 12, 13, 14, 17.

V. The Sacrament of Matrimony.

To that sacrament of the Church which is highest in its typical signification—the sacrament of matrimony—we feel it our duty to direct in a particular manner your attention. From the beginning, as we learn from St. Paul, the union of man and woman was a great mystery or sacrament; because, from the beginning, it prefigured the union of Christ with his Church.[1] In nothing perhaps is the influence of the Spirit of Truth more evident in the teaching of the Church, than in the care with which she has protected this "great sacrament," which, by so many, agreeably to what St. Paul had foretold,[2] was stigmatized as unlawful, while by others it was unduly exalted above sacred virginity, contrary to the express teaching of Christ[3] and his inspired Apostle.[4] The holiness of Christian matrimony is connected with our most sacred associations and duties; and it cannot be lost sight of in however small degree, without entailing the most serious consequences. The Church has shown in reference to this subject, a spirit of watchfulness and solicitude, which alone would entitle her to the gratitude of man, and cause her to be regarded as the most faithful guardian of public and private morality. Many of the innumerable contests in which she was compelled to engage with the depositaries of the Civil Power, during the middle ages, were in defence of the stability and sanctity of the marriage-tie; and, at a later period, she preferred to see England torn from her side, rather than yield compliance with the will of a monarch, who sacrificed his country's faith to his unbridled passions. In this matter she knew no distinction between the private man and the monarch; contrary to what an apologist for the worst passions and most cruel deeds of this unhappy Ruler insists should have been her line of conduct.[5] Even in our own days, her conservative authority has been exerted in the same cause; and the anger of the first Napoleon was incurred by the refusal of Pius VII., of holy memory, to declare invalid a marriage contracted between that ruler's brother and a Protestant lady of the city in which we are now assembled. When this same monarch sought to break his first faith, he was obliged to have recourse to an extinct tribunal of the diocese of Paris—resusci-

[1] Eph. v., 32.
[2] I. Tim. iv., 3.
[3] Matth. xix., 11, 12.
[4] I. Cor. vii., 29–40.
[5] Froude, 1 vol. chap. 2, p. 132, American edition.

tated for that special purpose,—which presumed to decide a question which the wisdom of the Holy See has reserved for its own exclusive jurisdiction.

We recall these facts, because they most strongly express the principle of the Church in regard to matrimony, and must be regarded by every well regulated mind as among the brightest jewels of her crown. We recall them, also, in order to enforce our solemn admonition to our flocks, to give no ear to the false and degrading theories on the subject of matrimony, which are boldly put forward by the enemies of the Church. According to these theories, marriage is a mere civil contract, which the civil Power is to regulate, and from which an injured or dissatisfied party may release himself or herself by the remedy of divorce, so as to be able lawfully to contract new engagements. This is in evident contradiction with the words of Christ: "What God has joined together, let no man put asunder."[1] As the guardian of God's holy Law, the Church condemns this false theory, from which would follow a successive polygamy, no less opposed to the unity and stability of Christian marriage than that simultaneous polygamy, which, to the scandal of Christendom, is found within our borders. No State law can authorize divorce, so as to permit the parties divorced to contract new engagements; and every such new engagement, contracted during the joint lives of the parties so divorced, involves the crime of adultery. We refer with pain to the scandalous multiplication of these unlawful separations, which, more than any other cause, are sapping the foundations of morality and preparing society for an entire dissolution of the basis on which it rests.

If so many marriages become unhappy, and the bond which unites the married couple prove so often a galling yoke, this is to be attributed, in most instances, to the neglect and disregard of the Church's laws in reference to this subject. These, as you know, forbid marriage between persons related to each other in certain degrees of consanguinity and affinity, as also between Catholics and non-Catholics. Whatever exceptions may be found to the general observation as to the result of such unions, they are in principle condemned by the Church; and that from the most serious motives; which in the case of consanguinity, are founded in well ascertained physiological principles; in the case of affinity, in the danger to which possible unions may place parties who are necessarily brought into fraternal rela-

[1] Matth. xix., 6.

tions; and in the case of mixed marriages, to the danger of perversion, to which the Catholic party and the offspring of such marriages are exposed.

But something more than the observance of these laws of the Church in relation to marriage is required in order that Christians should discharge their entire duty, when about to enter the conjugal state. Its sacred character, and the obligations towards God's society which it imposes, should always be kept in mind. Purity of life, and affection that has better and more lasting grounds than the impulse of passion, are the only proper dispositions for entering upon a state of life which death alone can change, and which involves so many important consequences for time and eternity.

"Who (asks Tertullian) can express the happiness of that marriage which the Church approves, which sacrifice (the Mass) confirms, and which blessing seals—angels announce it, and the Father ratifies?"[1]

Bearing in mind the sanctity of Marriage, and the time-honored usages of the Church in the administration of the Sacrament, we cannot too strongly urge upon you the importance of contracting it before the altar of God, and with the Marriage Mass, so as to receive that especial blessing which carries with it so many graces, to enable those who enter upon this holy state to fulfil its most important duties.

VI. On Books and Newspapers—The Press.

The Council of Trent[2] requires, that all books which treat of Religion should be submitted before publication to the Ordinary of the Diocese in which they are to be published, for the purpose of obtaining his sanction, so as to assure the faithful that they contain nothing contrary to faith or morals. This law is still of force; and in the former Plenary Council its observance was urged, and the Bishops were exhorted to approve of no book which had not been previously examined by themselves, or by clergymen appointed by them for that purpose, and to confine such approbation to works published in their respective dioceses. The faithful should be aware that such approbation is rather of a negative than of a positive character; that it by no means imparts to the statements or sentiments such works may contain any episcopal sanction; but merely guarantees them as free from errors in faith or morals.

[1] Tert. Ad uxorem, lib. ii., cap. ult.

[2] Sess. iv. Dec. de editione et usu sacrorum librorum.

In many also of our dioceses there are published Catholic Papers, mostly of a religious character; and many of such papers bear upon them the statement that they are the "organs" of the Bishop of the diocese in which they are published, and sometimes of other Bishops in whose dioceses they circulate. We cheerfully acknowledge the services the Catholic Press has rendered to Religion, as also the disinterestedness with which, in most instances, it has been conducted, although yielding to publishers and editors a very insufficient return for their labors. We exhort the Catholic community to extend to these publications a more liberal support, in order that they may be enabled to become more worthy the great cause they advocate.

We remind them, that the power of the Press is one of the most striking features of modern society; and that it is our duty to avail ourselves of this mode of making known the truths of our Religion, and removing the misapprehensions which so generally prevail in regard to them. If many of these papers are not all that we would wish them to be, it will be frequently found, that the real cause of their shortcomings is the insufficient support they receive from the Catholic Public. Supply and demand act and react on each other; and if in many instances the former produces the latter, in regard at least to Catholic publications, demand must precede supply. We also wish to guard against the misapprehension, which frequently arises from the Bishop's name being connected with such papers, in so far as they are recognized as "organs," that is, as mediums through which the Ordinary communicates with his diocesans. This circumstance gives no sanction to the articles which appear in such papers, other than they may derive from the name of the writer when given: still less does it identify the Bishop with the paper, so as to justify the conclusion that whatever appears in it has his sanction and authority. It merely designates the paper as one in which the Bishop will cause to be inserted such official documents as he, from time to time, may have to publish, and in regard to which it is obviously desirable that there should be some regular mode of communication.

In connection with this matter we earnestly recommend to the Faithful of our charge the CATHOLIC PUBLICATION SOCIETY, lately established in the City of New York by a zealous and devoted clergyman. Besides the issuing of short tracts, with which this Society has begun, and which may be so usefully employed to arrest the attention of many whom neither inclination nor leisure will allow

to read larger works, this Society contemplates the publication of Catholic Books, according as circumstances may permit, and the interests of Religion appear to require. From the judgment and good taste evinced in the composition and selection of such tracts and books as have already been issued by this Society, we are encouraged to hope that it will be eminently effective in making known the truths of our Holy Religion, and dispelling the prejudices which are mainly owing to want of information on the part of so many of our fellow-citizens. For this, it is necessary that a generous co-operation be given, both by clergy and laity, to the undertaking, which is second to none in importance, among the subsidiary aids which the inventions of modern times supply to our Ministry for the diffusion of Catholic Truth.

VII. Education of Youth.

We recur to the subject of the education of youth, to which, in the former Plenary Council, we already directed your attention, for the purpose of reiterating the admonition we then gave, in regard to the establishment and support of Parochial Schools; and of renewing the expression of our conviction, that religious teaching and religious training should form part of every system of school education. Every day's experience renders it evident, that to develop the intellect and store it with knowledge, while the heart and its affections are left without the control of religious principle, sustained by religious practices, is to mistake the nature and object of education; as well as to prepare for parent and child the most bitter disappointment in the future, and for society the most disastrous results. We wish also to call attention to a prevalent error on the subject of the education of youth, from which parents of the best principles are not always exempt. Naturally desiring the advancement of their children, in determining the education they will give them, they not unfrequently consult their wishes, rather than their means, and the probable position of their children in mature age. Education, to be good, need not necessarily be either high or ornamental, in the studies or accomplishments it embraces. These things are in themselves unobjectionable; and they may be suitable and advantageous or otherwise, according to circumstances. Prepare your children for the duties of the state or condition of life they are likely to be engaged in: do not exhaust your means in bestowing on them an education that may unfit them for these duties. This would be

a sure source of disappointment and dissatisfaction, both for yourselves and for them. Accustom them from their earliest years to habits of obedience, industry, and thrift: and deeply impress on their minds the great principle, that happiness and success in life, as well as acceptance with God, do not so much depend on the station we fill, as on the fidelity with which we discharge its duties. Teach them, that the groundwork of true happiness must be placed in habitual and cheerful submission of our wills to the dispensations of Providence, who has wisely consulted for the happiness of all, without, however, bestowing on all an equal share of the goods of fortune.

VIII. Catholic Protectories and Industrial Schools.

Connected with this subject of education, is the establishment of Protectories and Industrial Schools for the correction or proper training of youth, which has of late years attracted universal attention. It is a melancholy fact, and a very humiliating avowal for us to make, that a very large proportion of the idle and vicious youth of our principal cities are the children of Catholic parents. Whether from poverty or neglect, the ignorance in which so many parents are involved as to the true nature of education, and of their duties as Christian parents, or the associations which our youth so easily form with those who encourage them to disregard parental admonition; certain it is, that a large number of Catholic parents either appear to have no idea of the sanctity of the Christian family, and of the responsibility imposed on them of providing for the moral training of their offspring, or fulfil this duty in a very imperfect manner. Day after day, these unhappy children are caught in the commission of petty crimes, which render them amenable to the public authorities; and, day after day, are they transferred by hundreds from the sectarian reformatories in which they have been placed by the courts, to distant localities, where they are brought up in ignorance of, and most commonly in hostility to, the religion in which they had been baptized. The only remedy for this great and daily augmenting evil is, to provide Catholic Protectories or Industrial Schools, to which such children may be sent; and where, under the only influence that is known to have really reached the roots of vice, the youthful culprit may cease to do evil and learn to do good. We rejoice that in some of our dioceses — would that we could say in all! — a beginning has been made in this good work; and we cannot too earnestly exhort

our Venerable Brethren of the Clergy to bring this matter before their respective flocks, to endeavor to impress on Christian parents the duty of guarding their children from the evils above referred to, and to invite them to make persevering and effectual efforts for the establishment of Institutions, wherein, under the influence of religious teachers, the waywardness of youth may be corrected, and good seed planted in the soil in which, while men slept, the enemy had sowed tares.

IX. Vocations to the Priesthood.

We continue to feel the want of zealous priests, in sufficient number to supply the daily increasing necessities of our dioceses. While we are gratified to know, that in some parts of our country the number of youths who offer themselves for the Ecclesiastical state is rapidly increasing, we are obliged to remark, that in the other parts, notwithstanding all the efforts and sacrifices which have been made for this object, and the extraordinary encouragements which have been held out to youthful aspirants to the ministry, in our Preparatory and Theological Seminaries, the number of such as have presented themselves and persevered in their vocations has hitherto been lamentably small. Whatever may be the cause of this unwillingness to enter the sacred ministry on the part of our youth, it cannot be attributed to any deficiency of ours in such efforts as circumstances have enabled us to make. We fear that the fault lies, in great part, with many parents, who, instead of fostering the desire, so natural to the youthful heart, of dedicating itself to the service of God's sanctuary, but too often impart to their children their own worldly-mindedness, and seek to influence their choice of a state of life, by unduly exaggerating the difficulties and dangers of the priestly calling, and painting in too glowing colors the advantages of a secular life. To such parents we would most earnestly appeal; imploring them not to interfere with the designs of God on their children, when they perceive in them a growing disposition to attach themselves to the service of the Altar. If God rewards the youthful piety of your sons by calling them to minister in His sanctuary, the highest privilege He confers on man, do not endeavor to give their thoughts another direction. Do not present to your children the priesthood in any other light than as a sublime and holy state, having, indeed, most sacred duties and most serious obligations, but having also the promise of God's grace to strengthen and sustain human weakness in

their fulfilment, and the divine blessing, here and hereafter, as their reward. To those whom God invites to co-operate with Him, in the most divine of all works, the salvation of souls, the words of Christ to His Apostles are applicable: "Amen, I say to you, that you who have followed me, in the regeneration, when the Son of Man shall sit in the seat of His majesty, you also shall sit on twelve seats, judging the twelve tribes of Israel; and every one that hath left house, or brother or sisters, or father or mother, or wife or children, or lands, for My name's sake, shall receive a hundredfold, and shall possess life everlasting."[1]

And whilst speaking to you upon this subject, we would renew our exhortations to the Faithful, to contribute to the extent of their means to the Diocesan fund for the support of Ecclesiastical students. Situated as the Church is in this country, with a Catholic population so rapidly increasing from emigration, there is no work of charity that can take precedence of it, and none which will bring so rich a reward.

X. The Laity.

We continue to have great consolation in witnessing the advance of Religion throughout the various Dioceses, as shewn in the multiplication and improved architectural character of our churches, the increase of piety in the various congregations, and the numerous conversions of so many who have sacrificed early prejudices and every consideration of their temporal interests and human feelings at the shrine of Catholic Truth. We must, however, in all candor say, that we cannot include all, or indeed the greater part of those who compose our flocks, in this testimony to fidelity and zeal. Too many of them, including not unfrequently men otherwise of blameless lives, remain for years estranged from the sacraments of the Church, although they attend the celebration of the divine Mysteries, and listen to the preaching of God's word with an earnestness and attention in themselves deserving of all praise. There are, indeed, others who, carried away by the impulse of passion, and but too easily influenced by evil examples, oblige us to rank them, as we do, weeping, after the example of the Apostle, among "the enemies of the Cross of Christ, whose end is destruction; whose God is their belly; and whose glory is in their shame; who mind earthly things."[2] It is impossible to estimate the injury these unworthy Catholics, and espe-

[1] Matth., xix., 27, 28. [2] Philipp. iii., 18, 19.

cially those who are the slaves of intemperance and its consequent vices, inflict on the Church. In the minds of but too many uninformed and unreflecting persons, these evils are taken as the confirmation of early prejudices; and the name of God is blasphemed among the nations by reason of the evil acts of those who, whilst they bear the name of Catholics, bring disgrace on their religion by their evil lives. Willingly would we have avoided reference to this painful subject; but we are not without hope, that this our solemn protest against the evils we deplore may diminish, if not entirely remove the scandal which they occasion; and that our united remonstrance may not be unheeded by those for whom "we watch, having to render an account of their souls:"[1] that they may be roused from the fatal lethargy in which they live, and, by sincere repentance and the practice of every good work compatible with their condition, repair, in some measure, the scandals they have given and the injury they have inflicted on the Church, by the irregularity of their past lives.

In this connection, we consider it to be our duty to warn our people against those amusements which may easily become to them an occasion of sin, and especially against those fashionable dances, which, as at present carried on, are revolting to every feeling of delicacy and propriety, and are fraught with the greatest danger to morals. We would also warn them most solemnly against the great abuses which have sprung up in the matter of Fairs, Excursions, and Picnics, in which, as too often conducted, the name of Charity is made to cover up a multitude of sins. We forbid all Catholics from having anything to do with them, except when managed in accordance with the regulations of the Ordinary, and under the immediate supervision of their respective Pastors.

We have noticed, with the most sincere satisfaction and gratitude to God, the great increase among us of Societies and Associations, especially of those composed of young and middle-aged men, conducted in strict accordance with the principles of the Catholic Religion, and with an immediate view to their own sanctification. We cannot but anticipate the most beneficial results to the cause of morality and religion from the conduct and example of those who thus combine together, to encourage one another in the frequentation of the sacraments, and in works of Christian charity. We urge their extension, and especially of the Society of St. Vincent of Paul and

[1] Heb. xiii., 17.

of Young Men's Catholic Associations, in all the dioceses and parishes of the country, not only as useful auxiliaries to the Parochial clergy, in the care of the poor, and of destitute and vagrant children, but also as one of the most important means of diminishing the vices and scandals of which we have spoken.

XI. The Clergy.

We exhort our venerable Brethren of the Clergy, who share our cares and responsibilities, to unremitting zeal in the great work to which they have been called. Let them honor their ministry, having ever before their eyes "the High-Priest, holy, innocent, undefiled, separated from sinners,"[1] whose representatives they are. By purity of life, exemplariness and devotedness, let them be "a pattern of the flock from the heart,"[2]—"the example of the faithful in word, in conversation, in charity, in faith, in chastity,"[3]—"giving no offence to any man, that our ministry be not blamed, but in all things exhibiting ourselves as the ministers of God;"[4] so that "when the Prince of Pastors shall appear, they may receive a never-fading crown of glory."[5]

XII. The Emancipated Slaves.

We must all feel, beloved Brethren, that in some manner a new and most extensive field of charity and devotedness has been opened to us, by the emancipation of the immense slave population of the South. We could have wished, that in accordance with the action of the Catholic Church in past ages, in regard to the serfs of Europe, a more gradual system of emancipation could have been adopted, so that they might have been in some measure prepared to make a better use of their freedom, than they are likely to do now. Still the evils which must necessarily attend upon the sudden liberation of so large a multitude, with their peculiar dispositions and habits, only make the appeal to our Christian charity and zeal, presented by their forlorn condition, the more forcible and imperative.

We urge upon the Clergy and people of our charge the most generous co-operation with the plans which may be adopted by the Bishops of the Dioceses in which they are, to extend to them that Christian education and moral restraint which they so much stand in

[1] Heb. vii., 26.
[2] I. Peter v., 3.
[3] I. Tim. iv., 12.
[4] II. Cor. vi., 3, 4.
[5] I. Pet. v., 4.

need of. Our only regret in regard to this matter is, that our means and opportunity of spreading over them the protecting and salutary influences of our Holy Religion, are so restricted.

XIII. Religious Communities.

We are filled with sentiments of the deepest reverence for those holy Virgins, who, in our various religious communities, having taken counsel of St. Paul, have chosen the better part, that they may be holy "in body and in spirit."[1] These serve God with undivided heart; and, like Mary, sit at the feet of Jesus in devout contemplation; or, like Martha, devote themselves to the service of their neighbor, instructing youth or tending old age, ministering to the sick, or calming the remorses and encouraging the hopes of the penitent. To such the prophet's words are applicable: "I will give to them in my house and within my walls a place and a name better than sons and daughters."[2] Their state on earth is likened by Christ Himself to that "of the angels in heaven;"[3] and to those who embrace it is promised a special reward hereafter. Of these virgins it is written: "These follow the Lamb whithersoever He goeth;"[4] and of these it is said: "No man could say the canticle, but those hundred and forty-four thousand;—for they are virgins."[5] "How great, think you," asks a devout writer of the middle ages, commenting on these texts, "will be the glory that environs the Virgins that follow Christ by purity of heart and mind. Alone they follow the Lamb whithersoever He goeth, reflecting this glory of the Sun of Justice, as does the Moon that of the Orb of day. As the moon outshines the stars, so, in that heavenly kingdom, they will shine more brightly than those who have not emulated their purity."[6] Great, indeed, are the privileges and great the rewards promised to these chaste spouses of Christ; and corresponding is the reverence with which they have ever been regarded in the Church.

[1] I. Cor. vii., 34.
[2] Isaias lvi., 5.
[3] Matth. xx., 30.
[4] Apoc. xiv., 4.
[5] Apoc. xiv., 2, 3.

[6] Quanta putas ibi gloria fulgebunt Virgines Christi, cordis simul et mentis puritate Christum sequentes! Quis sanctorum chorus melius lunæ comparatur quam Virgines? Solæ sequuntur Solem justitiæ, Christum, ut Agnum Patris, quocunque ierit. Unde et solæ illi similes sunt atque simillimæ. Honorabuntur ergo præ cæteris in eodem regno existentibus splendore quidem excellentiori, sicut lunam videmus præ cæteris sideribus præ-eminere, possidebuntque in domo Domini locum meliorem multo quam cæterorum filiorum et filiarum qui virginitatis merito non sunt insignes. *Vitis Mystica*, Cap. xxxi., inter Opera S. Bernardi, t. v., p. 125.

"The glorious fruitfulness of our Mother, the Church," observes St. Cyprian, "rejoices and exults in them; and the more she entwines of these lilies in her crown, the deeper her joy, the more intense her exultation. These we address," continues the Saint, "these we exhort; using rather the language of affection than of authority: not that we, the humblest, most deeply conscious of our own infirmity, have any rebuke to make, any reprehension to utter: but because of our obligation to be watchful, we are the more solicitous to guard against the envy of the devil."[1]

We adopt this language of the great Bishop and Martyr of the third century. We discharge a grateful duty, in rendering a public testimony to the virtue and heroism of these Christian Virgins; whose lives shed the good odor of Christ in every place, and whose devotedness and spirit of self-sacrifice have, more perhaps than any other cause, contributed to effect a favorable change in the minds of thousands estranged from our faith. To each of them, however, we feel impelled to address the words spoken to the angel of the Church of Philadelphia: "Hold fast that which thou hast, that no one take thy crown."[2]

[1] Gaudet per illas atque in illis floret Ecclesiæ matris gloriosa fæcunditas, quantoque plus copiosa Virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur; has adhortamur affectione potiusquam potestate; non quod extremi et minimi, et humilitatis nostræ admodum conscii, aliquod ad licentiam censuræ vindicemus: sed quod ad solicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus. *S. Cyprianus, De Disciplina et Habitu Virginum.*

[2] Apoc. iii., 2.

Conclusion.

We have every confidence, Venerable and dearly Beloved Brethren, that the Council which is this day brought to a close, will exert a most beneficial influence in the cause of our Holy Religion.

We have taken advantage of the opportunity of the assembling of so large a number of Bishops from every part of our vast country, to enact such decrees as will tend to promote uniformity of discipline and practice amongst us, and to do away with such imperfect observance of the rites and approved ceremonies of the Church, as may have been made necessary by the circumstances of past times, but which no length of prescription can ever consecrate, and thus to give the services of our Religion that beauty, and dignity, which belongs to them, and for which we should all be so zealous.

For the furtherance of these important objects, we have caused to be drawn up a clear and compendious series of Statements upon the most essential points of Faith and Morals, with which we have embodied the decrees of the Seven Provincial Councils of Baltimore, and of the First Plenary Council, together with the Decrees enacted by us in the present Council, which, when they have been examined and approved of by the Holy See, will form a compendium of Ecclesiastical Law, for the guidance of our Clergy in the exercise of their Holy Ministry.

The result of our labors when thus returned to us, will be promulgated more fully in our Provincial Councils and Diocesan Synods, and we will then take advantage of the opportunity to bring more fully under the notice of the Clergy, and the people committed to our pastoral charge, the details of what we have done, and the exact nature of the means by which we hope to give increased efficiency to the whole practical system of the Church in this country.

We have also recommended to the Holy See, the erection of several additional Episcopal Sees, and Vicariates Apostolic, which are made necessary by our rapidly increasing Catholic population, and the great territorial extent of many of our present Dioceses.

You will all rejoice, Venerable and Beloved Brethren, in these evidences of the vitality and diffusion of our Holy Faith, in the midst of the difficulties and evils that surround us. We depend on your fidelity to its sacred teachings, and your zealous co-operation, to give effect to our labors in your behalf, that so, all that has been

planned and done by us, may be to the Glory of God, the Exaltation of His Holy Church, and the Salvation of Souls for which Christ died.

"For the rest, Brethren, whatsoever things are true, whatsoever modest, whatsoever just, whatsoever holy, whatsoever lovely, whatsoever of good fame; if there be any virtue, if any praise of discipline, think on these things. The things which you have both learned and received, and heard and seen,—these do ye, and the God of Peace shall be with you."[1]

Given at Baltimore, in Plenary Council, on the Feast of the Maternity of our Lady, October the 21*st, in the year of our Lord* 1866.

M. J. SPALDING, D. D., *Archbishop of Baltimore, Delegate Apostolic, President of the Council.*

F. N. BLANCHET, D. D., *Archbishop of Oregon City.*

P. R. KENRICK, D. D., *Archbishop of St. Louis.*

J. S. ALEMANY, D. D., *Archbishop of San Francisco.*

J. B. PURCELL, D. D., *Archbishop of Cincinnati.*

J. M. ODIN, D. D., *Archbishop of New Orleans.*

JOHN McCLOSKEY, D. D., *Archbishop of New York.*

RICHARD V. WHELAN, D. D., *Bishop of Wheeling.*

P. P. LEFEVRE, D. D., *Bishop of Zela, and Administrator of Detroit.*

J. M. HENNI, D. D., *Bishop of Milwaukee.*

A. M. A. BLANCHET, D. D., *Bishop of Nesqualy.*

A. RAPPE, D. D., *Bishop of Cleveland.*

JOHN TIMON, D. D., *Bishop of Buffalo.*

M. DEMERS, D. D., *Bishop of Vancouver's Island.*

M. DE ST. PALAIS, D. D., *Bishop of Vincennes.*

J. B. LAMY, D. D., *Bishop of Santa Fé.*

JOHN McGILL, D. D., *Bishop of Richmond.*

JOHN LOUGHLIN, D. D., *Bishop of Brooklyn.*

J. R. BAYLEY, D. D., *Bishop of Newark.*

[1] Philipp. iv., 8, 9.

L. De GOESBRIAND, D. D., *Bishop of Burlington.*

G. A. CARRELL, D. D., *Bishop of Covington.*

T. AMAT, D. D., *Bishop of Monterey and Los Angelos.*

A. MARTIN, D. D., *Bishop of Nachitoches.*

D. W. BACON, D. D., *Bishop of Portland.*

F. BARAGA, D. D., *Bishop of Marquette.*

H. D. JUNCKER, D. D., *Bishop of Alton.*

JAMES DUGGAN, D. D., *Bishop of Chicago.*

WILLIAM H. ELDER, D. D., *Bishop of Natchez.*

J. H. LUERS, D. D., *Bishop of Fort Wayne.*

P. N. LYNCH, D. D., *Bishop of Charleston.*

F. P. McFARLAND, D. D., *Bishop of Hartford.*

J. M. O'GORMAN, D. D., *Vicar Apostolic of Nebraska.*

T. L. GRACE, D. D., *Bishop of St. Paul.*

JOHN QUINLAN, D. D., *Bishop of Mobile.*

J. F. WOOD, D. D., *Bishop of Philadelphia.*

M. DOMENEC, D. D., *Bishop of Pittsburg.*

E. O'CONNELL, D. D., *Vicar Apostolic of Marysville, California.*

AUG. VEROT, D. D., *Bishop of Savannah.*

C. M. DUBUIS, D. D., *Bishop of Galveston.*

P. J. LAVIALLE, D. D., *Bishop of Louisville.*

J. J. CONROY, D. D., *Bishop of Albany.*

P. A. FEEHAN, D. D., *Bishop of Nashville.*

J. J. WILLIAMS, D. D., *Bishop of Boston.*

J. HENNESSY, D. D., *Bishop of Dubuque.*

S. H. ROSECRANS, D. D., *Auxiliary Bishop of Cincinnati.*

JOHN D. COADY, *Administrator of Erie, sede vacante.*

FERD. COOSMANS, S. J., *Procurator of the Vicar Apostolic of Kansas.*

V. LITERÆ PATRUM CONCILII,

Ad S. P. PIUM PAPAM IX.

Serius omnino, Beatissime Pater, quam nostrûm omnium vota flagitabant, aliquando tamen, quam primum nobis id per tempora licuit, in Concilium Plenarium convocati sumus. Quo enim tempore illud ex proposito et instituto cogendum erat, ea jam rerum publicarum conversio facta fuerat, ut nobis oves nostras relinquere, et in unum locum omnes ad deliberandum nos conferre, nullo modo liceret. Vix autem e mediis procellis dissidiisque civilis belli luctuosis emerseramus, quum in hac veteri atque Catholica urbe convenimus, ut disciplinæ, si forte opus esset, resarciendæ operam daremus; atque ut charitatem, amorem, necessitudinem, sacrorum denique communionem, quam neque studia civium divisa, neque diuturni belli calamitates tollere aut minuere potuerant, iterum inter nos, redintegrata societate atque animorum conjunctione, foveremus ac tueremur.

Quum vero nobis, Beatissime Pater, in Concilio congregatis de Romana Sede, Catholicæ veritatis magistra, custode, ac vindice sæpius loquendum fuerit, nihil antiquius habuimus, quam ut Te, Tua jura ac dignitatem, Tuamque B. Petri Sedem profiteremur, et prædicaremus ipsi, ac clero nostro vehementer prædicandam commendaremus. Et re quidem vera, quum rerum perturbationes inspicimus, quibus humana societas ubique fere vexatur; quum sævissimas mente cogitamus tempestates, quibus Ecclesia Christi bonique omnes per universum orbem jactantur; plane exhorrescimus, animoque prorsus ac spe caderemus, nisi ad Sedem ac Cathedram Tuam oculos atque animos converteremus. Hoc est enim, inter fluxa et caduca cætera, immobile quiddam, stabile, ac perpetuum. Est siquidem angularis illa petra, supra quam Christus Ecclesiam suam extruxit, quamque certissima et inviolabili promissione munivit, fore nonquam ut eam vincant superbæ inferorum portæ. Dum cætera mutantur in dies, immobilis et inconcussa hæc Petra firmitatem, quam a suo mutuata est Fundatore, retinet, ac divina soliditate consistit. Per octodecim

quidem sæcula, ex quo Christus, sapiens Architectus, cœlestem suam in terris domum super hac petra constituit, frustra toties vi immanium procellarum ac tumescentibus irati maris fluctibus impetita est: frustra "descendit pluvia et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra petram."[1]

Ubinam jam, Beatissime Pater, sunt atrocissimi illi tyranni, qui Telesphoros, Fabianos, Cornelios, Xystos, aliosque sanctissimos decessores Tuos trucidarunt, totque martyrum cruorem veluti aquam effuderunt? Ubinam viri illi famosi, sæculi sui gigantes, reges atque imperatores, nomine tenus Catholici, sed osores et hostes sacri principatus infensissimi, qui sive astutia et artibus politicis, sive aperta vi id efficere studuerunt, ut Petri Cathedra aut in fœdissimam servitutem redigeretur, aut omnino interiret? Ubinam, demum, scelesti illi homines, philosophorum falso nomine gloriantes, qui vel patrum memoria, non solum mendacissimis scriptis, sed etiam bello et armis Petri Sedem evertendam aggressi sunt, quorumque impia illa et insolens vox aliquando audita est: Effecisse jam se, ut Pontificis imperio summa dies advenisset?—"Periit memoria eorum cum sonitu;" et "nomen impiorum putrescet:"[2] "desiderium quoque peccatorum peribit."[3] Quare ergo insanæ adhuc fremere pergunt gentes, "et populi meditantur inania, adversus Dominum et adversus Christum ejus? Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos."[4]

Neque profecto nulla fuit causa, Beatissime Pater, cur illud divini scriptores commemoratum reliquerint, Petrum aliquando super aquis obviam Jesu ambulantem, quum timore correptus fluctibus mergi cœpisset, fuisse ab Ipso porrecta manu apprehensum, salvumque et incolumem in naviculam reductum;[5] atque alio iterum loco, Christum Dominum, postquam turbas e Petri navicula, quasi e suggesto, docuisset, suborta deinde magna tempestate, adeo ut navicula mox frangenda undisque haurienda videretur, e somno excitatum et a discipulis exoratum, imperasse ventis ac mari, cœlique et aeris serenitatem et tranquillitatem continuo sua voce revocasse.[6]

Tu quidem, Beatissime Pater, es B. Petri hæres in terris; Tu illam ipsam Petri naviculam, in qua Christus etiamnum hominum turbas docet, regendam ac moderandam suscepisti. Te quoque, quemadmodum olim Petrum, in omni casu ac discrimine Christus pro-

[1] Matth. vii., 25.
[2] Ps. ix., 7; Prov. x., 7.
[3] Ps. cxi. 10.
[4] Ps. ii. 1, 2, 4.
[5] Matth. xiv., 29.
[6] Ib. viii. 26.

texit protegetque. Quâ Tu spe ac confidentia animatus, in dubiis rebus atque perturbatissimis nunquam dubius hæsisti.

Quinimmo, dum navicula Petri, cujus tenes gubernacula, sævissimis jactaretur procellis, jamjamque aquarum gurgite absorbenda crederetur, Tu Christo Servatori dicto audiens tranquillam in fide et patientia animam Tuam possedisti. Roma Tua depulsus et Cajetæ exulans, eadem prorsus, quâ antea fueras, mente constanti, serena fronte, Apostolica majestate eminebas. In Te quippe exauditam et impletam agnoscimus illam Christi, tum orantis tum vaticinantis, pro Petro effusam precem, neque enim unquam defecit fides Tua, quâ divinitus roboratus fratres Tuos vicissim roborare et confirmare deberes. Romam deinde auspicato redux, immemor periculorum quæ Tibi adhuc plurima imminebant, immemor hostium infensissimorum hominumque perduellium, qui Tibi insidias ac perniciem moliebantur, immemor quodammodo Tui ipsius, illud unum mente ac memoria tenebas, dieque ac nocte animo volvebas, quâ potissimum ratione, quibus consiliis, industriis, adjumentis, rei Catholicæ Ecclesiisque omnibus, quarum sollicitudine urgebaris, esset consulendum.

Ante omnia illud propositum Tibi erat, ea servare præcepta, quæ Petro ejusque hæredibus Christus dederat: "Confirma fratres tuos, Pasce oves meas, Pasce agnos meos." Itaque protinus ex Romana B. Petri Cathedra, tanquam ex summa terrarum arce et speculâ, totum orbem oculis perlustrasti, et ubique quid laudandum, quid corrigendum, quid cavendum esset, acri ac diligenti judicio perspexisti. Atque optimo sanctoque consilio opus Tuum ab Alma Virgine Christi Matre ac nostra, quæ sola cunctas interemit hæreses, auspicandum ratus, populo Christiano cum Ecclesiæ primoribus lætitia gestiente atque universo orbe plaudente, Ipsam nova coronide, IMMACULATÆ scilicet titulo, decorasti. Deinde cœlestis hujus Virginis auspiciis atque auxilio, errores omnes contra fidem hodiernos, hæresesque quâquaversus grassantes, in unum quasi fasciculum congregatos, syllabo Tuo, velut Apostolici gladii mucrone, jugulasti. Tu subdolorum hominum, fictis et simulatis verbis Sedis Apostolicæ juribus insidias molientium, dolos et ambages, et ipse perspexisti, et larvâ detracta, in luce atque omnium oculis collocasti. Contempsisti inimicorum quorundam blanditias; cæterorum minas vimque intentatam haud pertimescis. Hostibus Ecclesiæ sive blandientibus sive sævientibus, Apostolorum exemplo atque ipsâ voce respondes: "NON POSSUMUS;" "Oportet obedire Deo magis quam hominibus."[1]

[1] Act. v., 29.

Apostolicis hisce sententiis, quasi validissimis duobus telis, hostium audaciam retudisti, et nefarias eorum in Te ac B. Petri Sedem machinationes et impetus profligasti.

Quid plura? Fratres Tui, BEATISSIME PATER, quos confirmasti, Te venerabundi suspiciunt, maximoque, ut par est, honore et amore prosequuntur. Tecum in rebus Tuis prosperis lætantur, in adversis condolescunt. Te duce, libenti atque alacri animo ea omnia aggredientur, quæ Tu ad augendam Dei gloriam, salutemque animarum procurandum magis idonea judicaveris. Nos quoque, in extremis fere terrarum orbis finibus collocati, et longinquis a Te regionibus divisi, Patrem ac Doctorem nostrum Te libentissime agnoscimus ac profitemur; Tibique conjunctissimis adeo cordibus adhærescimus, ut, dum de Romana Tua Sede ac B. Petri Cathedra cogitamus, vastissimi interjectorum marium terrarumque tractus mente ac memoria quasi excidant, videamurque Tecum, velut in domo Patris, ac dilectissimo animarum nostrarum tabernaculo ac Sede, paullisper commorari.

Atque ex nationibus diversis ac dissitis oriundi, omnes et singuli uno corde, uno ore Te alloquimur, verbis quibus olim Hieronymus Damasum: "Ego nullum primum quam Christum sequens, Beatitudini Tuæ, id est, Petri Cathedræ, communione consocior; supra illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arce non fuerit, peribit regnante diluvio."

Ex disjunctissimis regionis hujus immensæ plagis in Concilio hoc Plenario, Te volente atque hortante, congregati, omnes Te uno corde, animo, atque ore veneramur, omnes eadem dilectione ac pietate prosequimur, omnes eadem Tibi fausta ac felicia precamur. Neque Tibi BEATISSIME PATER, tot ærumnarum ac dolorum mole ac multitudine fere obruto, ingratum erit a nobis accipere, sanctissimam nostram Religionem in his regionibus magna et mira in dies capere incrementa. Granum quippe sinapis, initio tenue atque humillimum, cœlesti rore irrigatum, in procerissimam crevit arborem, cujus jam rami terram ornant obumbrantque fere universam. Septuaginta et quinque ante annis unus tantum erat apud nostros Episcopus, sacerdotes numero paucissimi; nunc vero per septem Ecclesiasticas Provincias diffusi, cum duobus millibus quingentis circiter Sacerdotibus stipati, Episcopi quadraginta et septem, numerantur. Ubique locorum extructa sunt Templa; ubique Collegia, Orphanotrophia, Piæ Refugii Domus, Scholæ pro pueris puellisque educandis constitutæ. Omnes apud nos Christi fideles Te unum Patrem ac Magistrum

venerantur ac diligunt; pro Te quotidie preces amanter effundunt, ut Deus Te servet incolumem, suisque donis cumulatissime ornet augeatque.

Ex Concilio hoc Plenario domum discessuri, omnia ejusdem Acta ac Decreta ad Beatitudinem Tuam, recognoscenda atque emendanda mittimus, Tuam tanquam loquentis Petri vocem excepturi.

Demum, ad pedes Sanctitatis Tuæ devote atque humillime provoluti, Benedictionem Apostolicam pro nobis gregibusque nostris efflagitamus.

Datum ex Concilio Plenario, Baltimoræ, die vigesima prima Octobris, in quam apud nos incidit Festum Maternitatis Beatissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ, A. R. S. 1866.

MARTINUS JOANNES SPALDING, *Archiepiscopus Baltimorensis, ac Sedis Apostolicæ Delegatus.*

FRANCISCUS NORBERTUS BLANCHET, *Archiepiscopus Oregonensis.*

PETRUS RICHARDUS KENRICK, *Archiepiscopus S. Ludovici.*

JOANNES BAPTISTA PURCELL, *Archiepiscopus Cincinnatensis.*

JOSEPH SADOC ALEMANY, *Archiepiscopus S. Francisci.*

JOANNES MARIA ODIN, *Archiepiscopus Neo-Aurelianensis.*

JOANNES McCLOSKEY, *Archiepiscopus Neo-Eboracensis:*—

SUO, SUFFRAGANEORUMQUE NOMINE.

III.

ACTA POST CONCILIUM.

I. LITERÆ S. PONTIFICIS PII PAPÆ IX., AD PATRES CONCILII.

Venerabilibus Fratribus: Martino, Archiepiscopo Baltimorensi, Francisco, Archiep. Oregonensi, Petro, Archiep. S. Ludovici, Joanni Baptistæ, Archiep. Cincinnatensi, Josepho, Archiep. S. Francisci, Joanni Mariæ, Archiep. Neo-Aurelianensi, Joanni, Archiepiscopo Neo-Eboracensi, et Episcopis eorum Suffraganeis:

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem!

Verbis exprimere vix possumus, Venerabiles Fratres, summam consolationem, quâ, inter maximas Nostras molestias et acerbitates, affecti fuimus vestris gratissimis sane Litteris, die 21. mensis Octobris superiore anno datis, dum, Deo adjuvante, in Plenario Baltimorensi Concilio concelebrando congregati eratis. In eisdem enim Litteris, undique mirifice elucet eximia vestra religio, pietas, ac pastoralis sollicitudo. Etenim, Venerabiles Fratres, vix dum e mediis procellis, ac luctuosissimi civilis belli fluctibus emersi, nihil antiquius habuistis, quam in Baltimorensem civitatem convenire, ut mutuam inter Vos caritatem magis in dies foventes, collatis consiliis, et concordissimis animis, ea statueretis, quæ ad Dei gloriam in vestris potissimum Diœcesibus quotidie magis amplificandam, ad augustam nostram Religionem promovendam, Clerique disciplinam tuendam, et ad sempiternam hominum salutem procurandam, atque ad tot nefarias inimicorum hominum insidias detegendas, pestiferosque errores profli-

gandos, asperrimis hisce potissimum Christianæ, civilisque reipublicæ temporibus, possint conducere.

Atque in eodem habendo Concilio, nihil Vobis potius fuit, quam luculentissimis verbis declarare et profiteri singularem vestram pietatem, amorem, et observantiam erga Nos, et hanc Romanam Beatissimi Petri Apostolorum Principis Cathedram, Catholicæ Veritatis, et unitatis centrum, omniumque Ecclesiarum matrem et magistram, in qua Christus Dominus inexpugnabile Ecclesiæ suæ fundamentum posuit, et adversus quam inferi portæ prævalere nunquam poterunt. Eisdem autem Litteris, Venerabiles Fratres, dum deploratis horribilem sane tempestatem, quâ nunc ubique jactatur Ecclesia, Nobis etiam atque etiam vehementer gratulamini de iis omnibus, quæ ad ejusdem Ecclesiæ causam, ejusque doctrinam, libertatem, ac jura propugnanda, ad omnium fidelium salutem curandam, atque ad tot perniciosissimos hujus præsertim infelicissimæ nostræ ætatis errores eliminandos, Deo adjuvante, studiosissime peragere nunquam intermisimus, veluti gravissimum Supremi nostri Apostolici ministerii officium omnino postulabat. Non Nobis, Venerabiles Fratres, non Nobis, sed soli Deo omnem laudem date, qui infirmitatem Nostram Omnipotenti sua virtute, ac divina sua gratia adjuvare dignatur; et Eo auxiliante, nunquam tacebimus propter Sion, et nunquam desistemus sanare contritiones Israel, parati asperrima quæque perpeti, et animam ipsam ponere pro Deo, ejusque Sanctæ Ecclesiæ causa, Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissa.

Jam vero per Vos ipsi vel facile intelligere potestis, quanto gaudio cumulati fuerimus, noscentes istarum regionum fideles summa Nos, et hanc Sanctam Sedem devotione prosequi, et in Ecclesiasticis istis septem Provinciis Episcopales Sedes auctas fuisse, Sacerdotum numerum mire amplificatum, et ubique locorum sacra Templa ædificata, Collegia, Orphanotrophia, Pias Refugii Domos, Scholasque pueris, puellisque in Sanctissima nostra Religione educandis institutas. Quæ omnia luculenter ostendunt, quo Episcopali zelo animati estis, Venerabiles Fratres, ad Dei cultum et honorem promovendum, et ad animarum salutem quotidie magis curandam. Quamobrem certi sumus, Vos cælesti auxilio fretos nihil unquam intentatum esse relicturos, ut in istis regionibus divina nostra Religio majora semper incrementa suscipiat, ut Ecclesiastici Vestri viri virtutum omnium exempla Christiano populo præbeant, ac proprii ministerii munia sancte, scienter, ac diligenter obeant, ut fideles Vobis commissi magis in dies nutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati crescant

in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Jesu Christi, et instent viam, quæ ducit ad vitam; ut miseri errantes, depulsis errorum tenebris, Catholicæ veritatis lucem adspiciant, agnoscant, amplectantur, et ad unicum Christi ovile confugiant. Atque inter angustias et difficultates, quæ hisce præcipue temporibus ab Episcopali ministerio abesse non possunt, nolite unquam animum despondere, sed confortati in Domino, et in potentia virtutis Ejus viriliter agite, memoria repetentes, quod qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Quod autem attinet ad Acta memorati Concilii a Vobis concelebrati, quæ ex more majorum Supremo Nostro, et hujus Apostolicæ Sedis judicio, pro eximia vestra erga Nos, et eamdem Sedem observantia summis laudibus digna, subjicere gloriati estis, congruum de eisdem Actis a Nostra Congregatione Fidei Propagandæ præposita accipietis responsum. Vobis autem persuasissimum sit, Nos libenter præstituros quidquid ad majorem vestram, et istarum Diœcesium utilitatem pertinere posse noverimus. Nunc vero debitas Vobis, et istis fidelibus curæ vestræ traditis agimus, et habemus gratias, pro pecuniæ summis, quæ a Vobis, et ab eisdem fidelibus mittuntur ad gravissimas Nostras, et hujus Sanctæ Sedis sublevandas angustias. Denique, nihil Nobis gratius, quam ut hac etiam occasione utamur, quo iterum testemur et confirmemus potissimam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam.

Cujus quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis veræ felicitatis voto conjunctam, Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiæ concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die 2. Septembris, Anno 1867; Pontificatus Nostri Anno vicesimo secundo.

PIUS PP. IX.

II. DECRETUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Pro recognitione Concilii.

In Concilio Plenario Statuum Fœderatorum Americæ Septentrionalis anno 1852 celebrato, optima providentique præscriptione constitutum fuerat, ut elapso decem annorum spatio, iterum generalis conventus Episcoporum cogeretur, quo facilius unitati concordiæque servandæ, confirmandæ disciplinæ uniformitati, rei denique Catholicæ provehendæ omnes sacrorum Antistites illorum Statuum in uno spiritu congregati adlaborarent. Porro consilium hujusmodi præfinito tempore ad executionem mandari minime potuit, quod fractis reipublicæ vinculis Fœderatorum Statuum populi luctuosissimum bellum inter se gererent. Verum eâ civilis exitii tempestate sedata, nihil memoratarum regionum Præsulibus potius fuit, quam ut demissas Apostolicæ Sedi preces admoverent, quo sibi fieret in Plenarium Concilium conveniendi potestas.

Cum itaque SS^{mi} D. N., Pii Div. Provid., Papæ IX. consensione obtenta, Mense Octobris, anni 1866, dicta Synodus, præside R. P. D. Martino Joanne Spalding, Baltimorensi Archiepiscopo ac Apostolicæ Sedis Delegato, ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis et Vicariis Apostolicis Fœderatorum Statuum solemniter celebrata fuerit, multaque ad disciplinam, Diœcesium statum, fidei denique incrementum plane utilia, in eo conventu determinata sint, eaque omnia ut examini subjicerentur ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide transmissa; eadem S. C., in Gen. Comitiis habitis diebus 16, 23, 27, Septembris, an. 1867, ejusdem Concilii Acta et Decreta diligenti inquisitione adhibita expendit, paucisque exceptis correctionibus et animadversionibus, quæ in adjecta Epistola memorato Delegato Apostolico significari jussit, eadem ut ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur libentissime recognovit.

Quam S. C. sententiam cum subscriptus ejusdem S. C. Secretarius, Sanctissimo D^{no} Nostro, in audientia habita die 6. Octobris, anni prædicti, retulisset, Sanctitas Sua in omnibus probavit, eaque super re Decretum hoc expediri mandavit.

Datum Romæ, ex æd. dictæ Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, die 24. Januarii, 1868.

Al. C. Barnabo, *Præf.*
H. Capalti, *Sec.*

III. INSTRUCTIONES S. C. DE PROP. FIDE.

I. Instructio S. C. de Prop. Fide Generalis; De Decretis Concilii corrigendis.

Illustrissime et Reverendissime Domine:

In generalibus comitiis, habitis diebus 16, 23, 27 Septembris, anni elapsi, S. Congregatio Christiano Nomini Propagando Acta et Decreta Concilii Plenarii Baltimorensis II., mense Octobris, 1866, celebrati, accuratissime ad examen revocavit, et quibusdam exceptis, quæ hac Epistola continentur, integrum Concilii textum, prout a Patribus emendatum et propositum est, accedente Sanctissimi Domini Nostri sententia, plane recognovit; uti ex alligato Decreto Amplitudo Tua intelliget. Quæ vero in eodem texto vel immutanda, vel delenda, vel addenda sunt, sequentibus continentur:

1°. Tit. I., C. I., No. 5., lin. 5., post verba "salvi fieri" usque ad No. 6, omnia corrigantur hoc modo: "Non modo nunquam extra Ecclesiam degentibus salutem promisit, verum etiam æternam damnationem comminatus est iis, qui propriâ culpâ extra Ecclesiam decedunt ex hac vita. Quod si invincibiliter errent, nec per ipsos steterit quominus ad veræ Ecclesiæ agnitionem venirent, profecto Deus, qui neminem absque propriâ culpâ punit seu damnat, quamvis ipsi hac inculpabili ignorantiâ detenti extra Ecclesiæ corpus maneant, tamen si, gratiâ divina opitulante, obsecuti fuerint divinis mandatis, atque illis Christianæ fidei veritatibus quas agnoscunt, eorum miserebitur, ne in æternum pereant."

2°. Eodem Tit. I., C. III. *Scriptura Sacra,* n. 15., verba Decreti Trid. eo loco citati: "Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur et pœnis a jure statutis coerceantur," integra in prædicto numero placuit referri debere.

3°. Relate ad N^m. 17. ejusdem Cap. III., quem Concilii Patres suppresserunt, S. Congregatio voluit ut, firma ejusmodi suppressione, per hanc Epistolam Amplitudini Tuae significaretur, attento gravi Catholicorum periculo in Statibus Federatis Biblia ab hæreticis cor-

rupta præ manibus habendi, recognitionem versionis Anglicæ Duacensis opportunam videri; et licet S. Sedes ab hujusmodi versionibus sua approbatione firmandis aliena sit, Te tamen rem utilem atque etiam Concilii Baltimorensis anni 1858 votis consonam facturum, si adscitis viris theologicis, rerum Biblicarum peritis, comparatis inter se nedum variis editionibus versionis Duacensis, sed etiam aliis versionibus Anglicis, si quæ extent præter Duacensem, Catholico spiritu elaboratis, reliquisque diligentiis adhibitis in suppresso N°. 17 propositis, prædictæ versionis Duacensis emendationem aggrederetur. Si enim nova hæc editio nil desiderandum relinqueret, sperare licet aliarum Diœcesium Episcopos illi esse paullatim suffragaturos, atque ita futurum ut, re proposita in alio Plenario Concilio, pro communi fidelium usu, ad exclusionem cæterarum versionum, approbare mereretur.

4°. C. IV., Tit. I., N° 19. De *Summa Trinitate*, verbis Patrum, "Et quamvis unica sit in Trinitate voluntas et operatio, in omnibus ad extra attamen speciales effectus unicuique personæ tribuuntur nuncupative," placuit esse addendum, *per appropriationem.*

5°. Eod. Cap. N. 21, ubi legebatur, "totumque ruere Religionis Christianæ sistema," legendum: *Universa penitus destrueretur Christiana Religio.*

6°. Locus S. Augustini allegatus, C. VI., De Pia Veneratione SS., initio N°. 24., accuratius referatur, juxta genuinam lectionem, hoc modo: *quorumque cum Deus coronat merita, nihil aliud coronat quam munera sua.*

7°. Tit. III., C. I., De Metropolitis, N. 86., placuit duo Metropolitarum jura, a Synodi Patribus suppressa, ita generatim enumerari debere: III. *Negligentiam Suffraganeorum in casibus a jure statutis supplet.* IV. *Appellationes a sententiis Suffraganeorum, juxta regulas a SS. canonibus definitas recipit.*

8°. Tit. eod., C. III., De Episcoporum electione, sequentes correctiones fiant: 1°. In Art. 103., quæ leguntur inter primum et ultimum comma, a voce *antiquitus* usque ad voces *præbuerit ordinando,* omnino supprimantur; 2°. Initium Art. 106., ita emendetur: *Ista methodus tamen, cum adhuc in melius mutari, ac ulterius perfici posse videretur,* Eminentissimus Præfectus dictæ S. C. etc; 3°. Art. 109. omnino supprimatur.

9°. Tit. eod., C. VI. *De Vita et honestate clericorum,* N° 163., initio post verbum *choreis* supprimantur verba *privatis* vel *publicis.*

10°. Tit. V., C. II., De Baptismo, N°. 248, ita ponendum est:

ad salutem vel in re vel in voto necessarius est. Ibidem, N°. 250., subrogentur quæ de amentibus et furiosis docet Rituale Romanum, sub Tit. *de Baptismo adultorum*, ibi, *amentes et furiosi non baptizentur*, &c., usque ad verba *Sacerdos diligenter*, &c.

11°. Tit. eod., C. III., De Confirmatione, suppressus Art. 274. retinendus erit, sed sub breviori verborum formula, et adhibitis vocibus hortationis, loco præceptivarum, hoc modo: "Quamquam de necessitate hujus Sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus vel Matrina adhibeatur, cum tamen id laudabilis Ecclesiæ consuetudo suadeat, sacrique canones præscribant, Episcopi nullum non movebunt lapidem, ut disciplina hujusmodi, jam in nonnullis harum Provinciarum Diœcesibus invecta, ubique introducatur. Confirmati vero habebunt Patrinos singuli singulos, nec tamen fœminis mares, nec maribus fœminæ Patrini officium præstabunt. Quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris patrini, et duo pro puellis matrinæ adhibeantur."

12°. Tit. eod., C. V., De Pœnitentia, Art. 297., comma illud: *Quam secretæ confessionis consuetudinem*, etc., ita reformetur: *Cum autem Innocentius III., in magno Concilio Lateranensi, suprema auctoritate sanciverit, a quibus et quo potissimum tempore peccatorum confessio facienda sit, monendi erunt fideles quotquot*, etc. Insuper, in Art. 299. supprimantur duo postrema commata, a voce *omittimus* usque ad finem ejusdem Articuli.

13°. Tit. eod., C. VIII., De Ordine, postrema verba Art. 337. *Quod idem*, etc., ita reformentur: *Idem quoad scientiæ periculum cum Regularibus qui ordinandi sistuntur servandum decernimus.* Insuper supprimatur ultimum comma Art. 340., *Quæ tamen facultas*, etc., atque in Art. 355., verbis *Apud nos haberi voluerunt*, hæc alia subrogentur: *apud nos haberi curaverunt.*

14°. Eodem Cap. VIII., N. 344., ubi sermo est de facultate ordinandi ad titulum Missionis, voluerunt EE. PP., ut supprimantur postrema verba, *ad viginti annos, vel in perpetuum*, etc., necnon tres insequentes Articuli 345., 346., 357.; ac de his omnibus ratio habebitur in Instructione super Ordinationibus ad titulum Missionis, quam, ubi in promptu fuerit, ad Te mittere curabo.

15°. Cum vero EE. PP. diligenter expendissent additionem, quam Episcopus Wayne-Castrensis textui N°. 347. inserendam proposuit, circa jura Missionariorum ex titulo ordinationis acquisita, nec non circa modum eis satisfaciendi, illius quidem sententiam admittere noluerunt; placuit tamen ipsis ut per hanc Epistolam institutio pro

sacerdotibus pauperibus sustentandis, a Wayne-Castrensi Præsule insinuata, Amplitudini Tuæ ceterisque Episcopis commendaretur.[1]

16°. Circa Art. 397., Tit. VI., C. I., De Sacrosancto Missæ Sacrificio, mandarunt EE. PP., ut ibidem addantur pauca, ad insinuandam observantiam Constitutionis Innocentii XII. *Nuper a Congregatione*, citata a Bened. XIV. De Synodo Diœcesana, Lib. XIII., C. xxv., § IV, hac ratione:

"Quo vero magis distincta ratio habeatur de obligatione onera Missarum, cum manualium, tum ad indefinitum tempus, accurate adimplendi, sancimus ut in singulis Ecclesiis, Sæcularibus ac Regularibus, adsit catalogus sive tabella onerum, quæ ad perpetuum vel ad certum præfinitumque tempus imposita ipsis ac respective acceptata fuerunt; utque ibidem in sacrario asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi sive temporaria onera, in altero vero, Missæ manuales et adventitiæ inscribantur, una cum fideli ac distincta adnotatione subsecuti utrorumque implementi."

17°. Mandavit præterea S. C., ut ad calcem N°. 421., in quo de sepultura Catholicorum in cœmeterio prophano fit sermo, addatur comma quod sequitur, ad tramitem illorum quæ pluries a Romanis Congregationibus circa hujusmodi casum constituta sunt, nimirum: "Præterea, si in cœmeterio prophano separata terræ pars obtineri nequeat, in qua corpora Catholicorum exclusive inhumentur, saltem loculus ubi cadaver deponitur benedicatur, ea oratione adhibita quæ in Romano Rituali expresse præscribitur, Tit. De Exequiis: *Deus cujus miseratione animæ*," etc.

[1] Propositio, seu institutio, Wayne-Castrensis, pro sustentandis pauperibus sacerdotibus infirmis titulo Missionis ordinatis, de quâ est hic sermo, hujusmodi fere erat tenoris:

"Ordinarii locorum, in quibus ejusmodi versantur Sacerdotes, annuale quoddam stipendium ad eorum decentem sustentationem sufficiens ab illis congregationibus, seu districtibus missionariis, in quibus prius operam impenderunt exigant, iisdemque Sacerdotibus statis temporibus distribuant. Sed cum haud raro sit pertimescendum, ne hæc provisio vel sit insufficiens, vel haud facile executioni dari possit, ideo decernimus insuper, ut per Ordinarios fundus quidam specialis ex taxis singulis uniuscujusque Diœceseos congregationibus pro ratâ et æque imponendis constituatur, unde Sacerdotes, de quibus est sermo, victum competentem habere possint. Modus autem fundum hujusmodi colligendi et administrandi a respectivis Diœcesanis Synodis ordinetur. Prædicti vero Sacerdotes plenâ gaudeant libertate utendi pecuniâ modo hic exposito receptâ, ubicumque illis magis commorari placuerit, modo in omnibus, uti Sacerdotalem decet dignitatem, sese gerant. Quinimmo ex eodum fundo, Ordinarii judicio, poterunt saltem aliquatenus sustentari illi etiam Sacerdotes, qui quidem sunt vel recenter fuerunt indigni, sed de quibus spes effulgeat illos ad meliorem frugem esse reducendos."

18°. Ea quoque ad examen revocarunt EE. PP., quæ Tit. VII., Cap. II., *De uniformitate in aliis promovenda*, Num. 426., a Synodo disputata sunt et constituta, mentique inhærentes a Summo Pontifice alias panditæ, dum declaravit praxim exigendi pecuniam ad fores Ecclesiarum ut fideles ingredi possint, minime sibi placere, mandarunt, ut mos hujusmodi universim abolere Episcopi satagant, ac proinde priorem partem numeri citati ita emendari voluerunt: "Praxim pecuniam exigendi ad fores Ecclesiarum, ut fideles ingredi possint et divinis mysteriis adesse, declaravit Summus Pontifex," etc.

19°. Articulum 451. Synodi, ubi supponitur per Epistolam hujus S. Congregationis sub die 26. Aprilis, 1866, agnitam fuisse in Episcopis facultatem dispensandi vota simplicia Monialium, EE. PP. pro nunc supprimi voluerunt, ut particulariter in alio generali conventu examinari queat.

20°. Expenderunt quoque EE. PP. ea quæ, occasione n. 479. Tit. IX., a Concilii Patribus circa Collegium Americanum Fœderatorum Statuum in Alma Urbe erectum, discussa et proposita sunt. Ac relate ad pensionem annuam Scutatorum bis-centum pro unoquoque Alumno, quem Episcopi ad Collegium missuri sunt, designatam, jusserunt Tibi esse significandum, eam sufficere minime posse regulari Collegii ipsius administrationi, nisi Episcopi de congrua dotatione in fundis fructiferis illi Romæ constituenda solliciti præterea sint; idque tanto magis urgere, quod Collegium tota jam pene consumpta pecuniæ summa, quam in ærario S. C. depositam habebant, eo devenerit, ut nisi celeriter eidem Episcopi succurrant, brevi interiturum sit. Quod vero spectat ecclesiasticam Alumnorum educationem, interiorem Collegii disciplinam, ac Superiorum nominationem, S. Congregationem libentissime excepturam esse, si quid habeant Episcopi quod in hac parte proponere arbitrentur; sibi tamen exclusive reservare regularum juxta quas sit Collegium moderandum definitionem, nec non jus earumdem regularum observantiæ invigilandi. Interim attendentes EE. PP. prædictum Collegium nullo hucusque solemni actu a S. Sede approbatum fuisse; quò id a SS^mo^ D^no^ N. obtinere aliquando possit, jusserunt, ut in alio S. Congregationis conventu specialis positio exhibeatur de disciplinari ejusdem Collegii regimine.

21°. Cum vero S. Congregatio ad examen revocasset consilium Synodi, admittendi videlicet, ut Socios honorarios, in Societatibus a S. Vincentio a Paulo nuncupatis viros Acatholicos, animadvertit nihil quidem obstare quominus etiam ab Acatholicis spontaneæ eleemosynæ a Societate recipiantur, verum ut iidem in Socios recenseantur,

omnino non expedire. Quapropter Articulus V., N. 511., Tit. X., omnino supprimendus est.

22°. Circa Subscriptiones appositas Decretis a Patribus, mandavit S. Congregatio, ut in iisdem Decretis edendis hoc ordine subscriptiones efferantur, ut nimirum post Delegatum Apostolicum qui Concilio præfuit, primum omnes Archiepiscopi juxta prioritatem consecrationis, dein vero omnes Episcopi, servata eadem prioritatis methodo, exhibeantur. Quod vero pertinet ad subscriptionem Episcopi Auxiliaris Cincinnatensis, duxit S. Consilium, illam hac ratione concipiendam esse: *Ego NN. Episcopus*, etc., *accepto per Patres Concilii voto decisivo, definiens subscripsi.*

Hæc sunt, quæ circa Concilii textum animadvertenda erant; et precor Deum, ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romæ, ex Æd. S. C. de Propaganda Fide, die 24. Januarii, 1868.

Amplitudinis Tuæ,

Ad officia paratissimus,

ALEXANDER CARD. BARNABO, *Præf*^s

H. CAPALTI, *Secret*^s.

R. P. D. MARTINO JOANNI SPALDING,
Archiepiscopo Baltimorensi.

II. INSTRUCTIO S. C. DE PROP. FIDE SPECIALIS, CIRCA QUÆDAM CONCILII DECRETA.

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE:

Præter ea quæ EE. PP. S. C. de Propaganda Fide, in generalibus comitiis diei. 16, 23, 27 Septembris, 1867, circa Synodi Plenariæ Secundæ Baltimorensis textum animadvertenda duxerunt, quæque alia mea Epistola complexus sum, nonnulla extant, quæ speciatim Amplitudini Tuæ per epistolam significari jusserunt, ut ea omnibus Co-episcopis tuis in ipsis Fœderatis Statibus, S. ipsius Congregationis nomine, manifestes.

1°. Itaque ipsos commonifieri volunt, S. Congregationem omnino decernere, ut omnimoda diligentia serventur Literæ Circulares ab ipsa editæ die 21. Januarii, anni 1861, tum in ceteris earum partibus,

tum etiam in ea præscriptione quâ mandatur, omnes et singulos Fœderatorum Statuum Præsules tertio quoque anno, tum Metropolitano Provinciæ suæ, tum S. Congregationi de Propaganda Fide, nomina Sacerdotum quos dignos atque idoneos ad munus Episcopale obeundum existimaverint, profundo mysterio servato, ostendere debere.

2°. Ut in dubio de morte prioris conjugis expendendo, Episcopi melius adjuvari ac tutius procedere valeant, S. C. censuit omnibus memoratorum Statuum Præsulibus communicari debere integram Instructionem Supr. Inquisitionis latam sub Clemente X., tum resolutionem dubiorum super eadem re deinceps editam; demum et aliam ejusdem Supr. Inquisitionis Instructionem, quæ incipit *Ingentes Bellorum clades,*[1] easque ubi in promptu fuerint ad Te mittere satagam.

3°. Cum vero EE. PP. animadverterint, non obstantibus expressis Ap^{cæ} Sedis prohibitionibus in formulis facultatum contentis, disputatum fuisse inter Concilii Patres, an in concedendis dispensationibus matrimonialibus aliquæ taxæ exigi valeant, et præsertim cum putent easdem alicubi de facto exigi solere, mandarunt ut omnibus Episcopis istarum regionum inculcetur memoratæ præscriptionis observantia, quâ pro dispensationibus ab impedimentis Matrimonii pecuniam nullo omnino titulo accipiendam esse jubetur; iis tantum exceptis casibus, in quibus Apostolica Sedes eleemosynam oratoribus injungendam monet, in pium aliquod opus impendendam.

4°. Voluerunt quoque EE. PP., ut Amplitudini Tuæ significaretur, Episcopos istarum regionum esse commonendos de observantia mandati a Summo Pontifice facti circa Societates Secretas, quo nimirum cavetur, si in executione Decreti S. C., Feria IV., die 15. Aug., 1846, circa prædictas Societates, dubia exoriantur, expositis omnibus rerum adjunctis, esse ad Sanctam Sedem recurrendum.

Post hæc precor Deum, ut Ampl^{m}. Tuam diu sospitem et incolumem servet.

Romæ, ex Æd. S. C. de Propaganda Fide, die 24. Januarii, 1868.

Amplit. Tuæ,

Ad officia paratissimus,

AL. C. BARNABO, *Præf.*

H. CAPALTI, *Sec.*

R. P. D. MARTINO JOANNI SPALDING,
Archiepiscopo Baltimorensi.

[1] Instructio hæc in Appendice jam prostat.

III. Instructio S. C. de Prop. Fide, Circa postulata a Patribus Concilii.

Illustrissime et Reverendissime Domine:

Cum Sanctum Consilium Christiano nomini Propagando, in generalibus Comitiis habitis diebus 16, 23, 27 Septembris, anni elapsi, ad examen revocasset Acta et Decreta Plenarii Fœderatorum Statuum Concilii, anno 1866 Baltimoræ celebrati, rationem de singulis Patrum petitionibus habere non prætermisit; ac S. Congregationis sententiæ de iisdem latæ Sanctissimi Domini Nostri approbatio accessit, prout ex adjectis Decretis Amplitudo Tua perspiciet.

I. Occasione N. 298., Tit. V., C. V., *de Pœnitentia*, ostenderunt Patres in Synodo congregati, uti ex Actis videre est, se plane indigere facultate absolvendi a casibus reservatis in Constitutione Benedicti XIV., *Sacramentum Pœnitentiæ.* Itaque ad supplices preces S. Congregationis, SS[mus] D. N. eamdem singulis Episcopis pro quindecim casibus concedere dignatus est, uti ex adnexo Decreto N°. 1 intelliges.

II. Cum præterea EE. PP. postulationem Synodi N°. 364. positam expendissent, circa Indultum ordinandi Sacerdotes ad titulum Missionis, censuerunt SS[mo] supplicandum, ut illud singulis Fœderatorum Statuum Episcopis usque ad terminum unicuique eorum pro aliarum facultatum exercitio assignatum prorogaret; ac Summus Pontifex annuere dignatus est, uti alligatum Decretum N°. 11. docebit. Quapropter suppressa sunt in Decretis postrema verba *ad viginti annos*, etc., uti in Epistola correctionum textus Concilii monui.

III. Postulatum quoque a Synodo propositum, Tit. VI., C. I., N°. 395., accurate expensum est, quo nimirum petebatur ut S. Congregatio apertius declararet, an Missionarii Fœderatorum Statuum ubi parœciæ canonice erectæ nondum existunt, ad Missam pro populo festis diebus applicandam teneantur. Itaque S. C. respondit, posito quod non extent Parœciæ canonice erectæ, provisum esse per Decretum ejusdem S. Consilii, 18 Augusti, 1866; quod his meis addo, N°. III.

IV. Supplicarunt Concilii PP. N°. 263., Tit. V., C. II., *De Baptismo*, ut facultatem adhibendi in adultorum baptismo formulam breviorem pro parvulis constitutam, quæ usque ad annum 1870 illis

concessa est, Summus Pontifex usque ad decem vel viginti annos extendere dignaretur. Porro S. C. censuit Episcopos recurrere debere, expleto tempore postremæ concessionis.

V. Supplicarunt N°. 264., ejusdem Capitis, uti apud eos morem inducere liceat qui apud Anglos viget, baptizandi sub conditione privatim, cum aqua tantum lustrali, et absque cœremoniis, adultos ab hæresi ad Ecclesiam conversos, de quorum baptismate prudentur dubitatur. Quoad hoc postulatum, S. C. censuit respondendum, pro nunc non expedire.

VI. Postulatum fuit præterea, ut Episcopis liceret communicare suis Vicariis Generalibus, aliisque sacerdotibus sibi benevisis, facultates in impedimentis Matrimonialibus dispensandi. Itemque, ut eis liceret, Missionariis commorantibus in partibus longinquis delegare facultates sanandi in radice, vel rehabilitandi matrimonia bona fide contracta, sed propter impedimentum disparitatis cultus invalida. Relate ad hæc duo postulata, voluerunt EE. PP. standum omnino esse formulis facultatum, ubi determinantur personæ quibus memoratæ facultates communicari possunt.

VII. Cum vero Synodales postulassent, Tit. V., C. IX., N°. 367., ut in omnibus Provinciis Fœderatorum Statuum, excepta Neo-Aurelianensi, impedimentum Clandestinitatis ablatum declararetur, SS^mus^ Pater postulationi huic minime censuit annuendum.

VIII. Supplicandum SS^mo^ placuit, ut preces Synodi admittere dignaretur, quibus petierunt ut solemnem ritum Quadraginta Horarum eâdem forma peragendum, quâ diœcesis Baltimorensis ex Pontificia concessione utitur, reliqui omnes Ordinarii in suas possint Diœceses introducere; ac SS^mus^ Dominus noster benigne adnuit, uti ex adnexo Decreto, N°. IV., manifestum erit.

IX. Jussit idem SS^mus^ D. N., ut juxta Synodi petitionem Festum Immaculatæ Conceptionis pro omnibus indiscriminatim Diœcesibus Fœderatorum Statuum sit declarandum de præcepto; uti ex alligati Decreti, N°. V., tenore perspicies.

X. Quod autem attinet ad postulatum PP. circa dispensationem ab abstinentia a carnibus in Sabbatis, jussit Sanctitas Sua, Episcopos qui ejusmodi Indulto indigere se putant, expositis rationibus, in particulari recurrere debere.

XI. Placuit etiam EE. Patribus, ut circa uniformitatem in jejuniis ac festis in Provinciis S. Francisci et Oregonensi, necnon Diœcesi S. Fidei, cum Baltimorensi Provincia inducendam, recurrant Episcopi quorum interest, in particulari, expositis suæ petitionis rationibus.

XII. Voluit quoque S. Congregatio, ut SS^mo supplicaretur pro facultate a Patribus petitâ, communicandi sacerdotibus licentiam benedicendi cœmeteria et campanas; Sanctitas vero Sua benigne adnuit, novamque hanc facultatem singulis Fœderatorum Statuum Episcopis, usque ad terminum uniquique eorum pro aliarum facultatum exercitio assignatum, concessit; prout ex adjecto Decreto, N°. VI., liquet.

XIII. Ad examen quoque revocatum est postulatum Synodi, quo petebatur ut Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, 3. Septembris, 1864, circa Moniales quæ vota solemnia nuncupant, ita reformetur, ut intervallum quinque annorum inter emissionem votorum simplicium et solemnium ad decem annos protrahatur. Ac Sanctitas Sua ad preces S. Congregationis annuendum censuit; uti adnexum Decretum, N°. VII., docebit.

Hæc quidem, circa postulata Patrum Plenarii Concilii, Amplitudini Tuæ significanda erant; Deumque precor, ut Te diu sospitem atque incolumem servet.

Romæ, ex Æd. S. C. de Prop. Fide, die 24. Januarii, 1868.

Ad officia paratissimus,

AL. C. BARNABO, *Præfectus.*

H. CAPALTI, *Secretarius.*

Rev^mo D. MARTINO JOANNI SPALDING,
Archiepiscopo Baltimorensi,
Baltimoram.

IV. DECRETA S. CONG. DE PROP. FIDE.

I. DECRETUM.

DE CENSURIS LATIS IN CONSTITUTIONE SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

Cum in generalibus comitiis S. Cong. de P. Fide, habitis diebus 16, 23, 27 Septembris, 1867, relata fuissent quæ ab Episcopis Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis, in Secundo Baltimorensi Concilio Plenario congregatis, proposita erant, ut instruerentur de modo sese gerendi cum confessariis misere prolabentibus in casus reservatos a Constitutione S. M. Benedicti XIV., quæ incipit *Sacramentum*

Pœnitentiæ, nec absque evidenti periculo provocandi fidelium scandalum censuras in eâdem Constitutione latas observare valentibus, donec pro beneficio absolutionis ad S. Sedem confugientes illud obtinere potuerint, EE. PP. expositæ difficultatis gravitate perpensâ, SS^{mo} D. N. Pio Div. Provid. PP. IX. supplicandum censuerunt, ut prædictorum Antistitum angustiis opportuno remedio succurrere dignaretur.

His itaque S. C. supplicibus precibus Beatissimo Patri per subscriptum Secretarium relatis, in Audientia habita die 6. Octobris, 1867, Sanctitas Sua singulis Archiepiscopis, Episcopis, ac Vicariis Apostolicis Statuum memoratorum, facultatem benigne concessit, quâ illorum quisque pro quindecim casibus in propria Diœcesi vel Vicariatu uti possint, sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, sive per idoneos confessarios, a se vel a dicto Vicario ad hoc specialiter, et cum expressâ mentione Apostolicæ Auctoritatis deputandos, absolvendi nimirum a censuris et pœnis Ecclesiasticis sacerdotes, qui personæ complicis in peccato turpi confessiones excipere, eamque absolvere ausi fuerint, et cum iisdem super irregularitate a violatione dictarum censurarum quomodocumque contracta misericorditer dispensandi; sub eâ tamen lege, ut sic absoluti et dispensati infra duos menses, vel aliud congruum tempus a dispensante decernendum, directe, vel per medium proprii confessarii, suppressis nominibus, ad S. C. de P. Fide recurrere, eique explicare, quot personas complices in re turpi, et quoties a peccato complicitatis absolverint, et mandatis ejusdem S. C. desuper ferendis obedire teneantur; sub reincidentia in easdem censuras et pœnas, si contravenerint; injunctâ singulis pro modo culparum congrua pœnitentia salutari, quodque ab audiendis personæ complicis confessionibus omnino abstineant, aliisque injunctis de jure injungendis.

Datum Romæ, ex Ædib. S. C. de P. F., die 24. Januarii, 1868.

AL. C. BARNABO, *Præfectus*.

H. CAPALTI, *Secretarius*.

II. DECRETUM.

DE ORDINTIONE TITULO MISSIONIS.

Cum Patres Concilii Plenarii Secundi Fœderatorum Statuum, Baltimoræ, anno 1866 habiti, enixe postulassent, ut omnibus earum Provinciarum Episcopis facultas ordinandi subditos suos ad titulum Missionis confirmaretur, EE. PP. S. Congregationis de Propaganda

Fide, in generalibus comitiis habitis diebus 16, 23, et 27 Septembris 1867, re mature perpensa, supplicandum Sanctissimo D. N. Pio Div. Provid. PP. IX. censuerunt, ut singulis illorum Statuum Præsulibus concedere dignaretur Indultum promovendi clericos sibi subditos ad Subdiaconatum aliosque Majores Ordines usque ad Presbyteratum inclusive, titulo Missionis, præstito tamen ab iisdem Clericis antequam Subdiaconi ordinentur juramento, quo, ad instar Pontificiorum Alumnorum, spondeant suæ Diœcesi vel Missioni sese perpetuo inservituros; usque ad terminum unicuique eorum assignatum pro exercitio facultatum Formulæ I.

Hanc vero S. Congregationis sententiam, cum subscriptus ejusdem S. C. Secretarius Sanctitati Suæ, in audientia habita die 6. Octobris, anni 1867, retulisset, Summus Pontifex omnino probavit, ac de re hujusmodi præsens Decretum expediri jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus S. C. de Propaganda Fide, die 24. Januarii, 1868.

AL. C. BARNABO, *Præf.*

H. CAPALTI, *Secret.*

III. DECRETUM.

DE MISSA PRO POPULO.

Post datam a SS^mo^ D. N. Pio, Divina Providentia PP. IX., die 3. Maii, anni 1858, Epistolam Encyclicam incipientem *Amantissimi Redemptoris,* dubitari coepit an per ea, quæ inibi habentur de obligatione parochorum aliorumque curam animarum actu gerentium celebrandi et applicandi Missam *pro populo* omnibus dominicis, festisque aliis diebus, haud exceptis iis, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia e dierum de praecepto festorum numero sublati vel translati sunt, derogatum fuerit prioribus aliis laudatae Sanctae Sedis declarationibus, quibus nunciatum fuerat in missionum locis, ubi neque parochi neque paroeciae rite adhuc institutae inveniuntur, Vicarios Apostolicos et Missionarios, licet animarum curam exercentes, supradictae obligationi implendae *tantummodo titulo charitatis, non vero ex justitia* obstringi. Porro quamvis, annuente Sanctitate Sua, Sacra Congregatio de Propaganda Fide, die 5. Augusti, anni 1860, *negative* responderit, nonnulli tamen Vicarii et Missionarii Apostolici, rati non omnem prorsus ambigendi rationem hoc responso amotam fuisse, sequentes proposuerunt quaestiones:

1. An Vicarii Apostolici ac missionarii, qui quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur *ex justitia* ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

2. An vero de illis, qui ex justitia non obligantur, dici debeat *decere* ex charitate, aut *teneri* ex charitate, ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

Jam vero cum de his quaestionibus actum fuerit in generalibus comitiis ejusdem S. Congregationis habitis die 23. Martii, anni 1863, E^{mi} Patres respondendum censuerunt:

"Ad 1. negative, dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes Episcopales ac Paroeciae canonice erectæ jam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et Missionarii missi sint ut legitimorum Pastorum vices gerant.

"Ad 2. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate,* dicendum vero esse *decere ex charitate,* idque ita ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat."

Has autem Sacrae Congregationis resolutiones SS^{mus} D. N. Pius PP. IX. referente infrascripto Secretario, in audientia die 29. Martii, benigne in omnibus approbavit.

Datum Romae, ex Ædibus praefatae S. Congregationis die 18. Augusti, anni 1866.

ALEXANDER CARD. BARNABO, *Praefectus.*
HANNIBAL CAPALTI, *Secretarius.*

IV. DECRETUM.

DE EXPOSITIONE QUADRAGINTA HORARUM.

Cum Patres Concilii Plenarii Secundi Fœderatorum Statuum, Baltimoræ, anno 1866 habiti, enixe postulassent, ut ad omnes Diœceses illarum Provinciarum extenderetur privilegium utendi more Diocesi Baltimorensi concesso, in exponendo SS^{mo} Sacramento, atque in devotione Quadraginta Horarum: quo scilicet, 1°. expositio horis nocturnis non fit; 2°. processio omittitur, prudenti pastoris judicio: ac pariter petierint, ut fidelibus ecclesiam in quâ SS^{mum} Sacramentum ita exponitur visitantibus eædem indulgentiæ concedantur, quas consequuntur peragentes hanc devotionem juxta constitutionem Clementis VIII., quæ incipit *Graves et diuturnæ,* EE. PP. S. C. de P. F., in generalibus Comitiis habitis diebus 16, 23, 27 Septembris, 1867, re mature perpensa, SS^{mo} D. N. Pio Div. Provid. PP. IX. supplican-

dum censuerunt, ut prædicta privilegia et indulgentias omnibus memoratorum Statuum Diœcesibus extendere dignaretur.

Hanc vero S. C. sententiam, cum subscriptus ejusdem S. C. Secretarius Sanctitati Suæ, in audientia habita die 6. Octobris, 1867, retulisset, Summus Pontifex benigne in omnibus annuit juxta preces, ac præsens Decretum eâdem super re expediri jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. C. de P. F., die 24. Januarii, 1868.

AL. C. BARNABO, *Præf.*

H. CAPALTI, *Secr.*

V. DECRETUM.

DE FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

Cum subscriptus Secretarius S. Congregationis de Propaganda Fide preces Patrum Plenarii Concilii Secundi Fœderatorum Statuum, Baltimoræ, anno 1866, celebrati, Sanctissimo D. N. Pio Div. Provid. PP. IX., in Audientia habita die 6. Octobris, 1867, retulisset, quibus enixe postulabant, ut Festum Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, earundem Provinciarum Patronæ, de præcepto pro omnibus memoratis Statibus declararetur ipsâ die viii. Decembris, dempto privilegio hucusque concesso solemnitatem in Dominicam infra Octavam transferendi; Sanctitas sua, audito voto ea de re emisso a laudata S. Congregatione de Propaganda Fide, in generalibus Comitiis dierum 16, 23, 27 Septembris, anni 1867, petitam gratiam juxta Synodi preces benigne concessit, ac præsens in rem Decretum expediri jussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Æd. S. Congregationis de Propaganda Fide, die 24. Januarii, 1868.

AL. C. BARNABO, *Præfectus.*

H. CAPALTI, *Secr.*

VI. DECRETUM.

DE BENEDICENDIS CŒMETERIIS ET CAMPANIS.

Cum in Generalibus Comitiis S. Congregationis de Propaganda Fide, habitis diebus 16, 23, 27 Septembris, 1867, relatæ fuissent preces Patrum Concilii Plenarii Secundi Fœderatorum Statuum, Baltimoræ,

anno 1866 celebrati, quibus demisse petebant, ut omnibus illarum Provinciarum Episcopis conferretur potestas communicandi Sacerdotibus facultatem benedicendi cœmeteria et campanas; EE. Patres, omnibus diligenter expensis, censuerunt, quoad cœmeteria satis provisum in Rituali Romano, titulo qui inscribitur, *Ritus benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum;* quoad Campanas vero, consulendum Sanctissimo D. N. Pio Div. Provid. PP. IX., ut singulis Fœderatorum Statuum Episcopis concedere dignaretur, usque ad terminum unicuique eorum assignatum pro exercitio facultatum Formulæ I., potestatem delegandi benedictionem Campanarum, quandocumque eam ipsi absque gravi incommodo perficere nequeant, Sacerdotibus sibi benevisis, servato Ritu Pontificalis Romani, atque adhibitis oleis et aqua ab Episcopo benedictis, nec non etiam sine aqua ab Episcopo benedicta, si gravis causa concurrat.

Has vero S. Congregationis supplices preces, cum subscriptus ejusdem S. Congregationis Secretarius Sanctissimo Domino Nostro, in Audientia habita die 6. Octobris, anni 1867, retulisset, Sanctitas Sua petitam gratiam, juxta modum ab eadem S. Congregatione expressum, benigne concessit, eademque super re præsens Decretum expediri jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. Congregationis de P. Fide, die 24. Januarii, 1868.

AL. C. BARNABO, *Præf.*

H. CAPALTI, *Secr.*

VII. DECRETUM.

DE VOTIS MONIALIUM SOLEMNIBUS.

Cum PP. Concilii Plenarii Secundi Fœderatorum Statuum, anno 1866 Baltimoræ celebrati, demisse postulassent, ut in iis illarum Provinciarum Asceteriis in quibus moniales ad vota solemnia admittuntur, probatio quinque annorum, quæ juxta decretum S. Congregationis Episcoporum et RR., die 3 Septembris, 1864, datum, ab emissione votorum simplicium ad solemnem professionem decurrere debet, ad decem annos, attentis gravibus earum regionum adjunctis, protraheretur; EE. PP. S. Congregationis de Propaganda Fide, in generalibus comitiis habitis diebus 16, 23, 27 Septembris, anni 1867, petitione hujusmodi diligenter considerata, supplicandum Sanctissimo censuerunt, ut preces Patrum admittere dignaretur.

Has vero S. C. supplices preces, cum subscriptus ejusdem S. Congregationis Secretarius Sanctissimo D. N., in audientia habita die 6. Octobris, anno 1867, retulisset, Sanctitas Sua benigne adnuit pro gratia, juxta petita, firmo in reliquis prædicto decreto S. Congregationis Episcoporum et RR.; atque ea super re præsens Decretum expediri jussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Æd. dictæ S. C. de P. F., die 24. Januarii, 1868.

Al. C. Barnabo, *Præf*[s.]

H. Capalti, *Secr*[s.]

V. LITERÆ S. C. DE PROP. FIDE,

De Sedium et Vicariatuum Novorum Erectione, Episcoporumque Nominatione.

Illustrissime et Reverendissime Domine:

Cum in Generalibus Comitiis, habitis diebus 16, 23, 27 Septembris anni elapsi, S. Consilium Christiano Nomini propagando mature expendisset postulationes Patribus Concilii Plenarii II. Baltimorensis, quæ de novis erigendis Sedibus Episcopalibus, novisque Vicariatibus Apostolicis constituendis agebant; SS[mus] D. N. voto inhærens ejusdem S. Consilii, sequentes novas Sedes erigere dignatus est, iis vero, aliisque Sedibus jam constitutis, et in præsentiarum vacantibus, Sacerdotes quorum nomina hic recensentur præfecit.

Itaque, in Baltimorensi Provincia Sedem Wilmingtoniensem (Wilmington, Delaware) erexit, cui præposuit R. D. Thomam Becker, Sacerdotem Diœcesis Richmondiensis; Scrantoniensem, (Scranton, Pennsylvania) ad quam assumpsit R. D. Willelmum O'Hara, Sacerdotem Diœcesis Philadelphiensis; Harrisburgensem (Harrisburg, Pennsylvania), cui præfecit R. D. Jeremiam Shanahan, Missionarium ejusdem Philadelphiensis Diœcesis.

In Provincia Neo-Eboracensi, Idem SS[mus] D. N. decrevit Buffalensem Diœcesim ita in duas partes dividi, ut ex territorio a Patribus Concilii descripto nova Diœcesis, (Rochester, New York) *Rossensis,* in statibus Fœderatis constitueretur, reliqui terræ tractus Episcopatui Buffalensi subjecti remanerent. Porro eidem Buffalensi Diœcesi R.

Vincentium Stephanum Ryan ex Diœcesi S. Ludovici, Præsulem dedit; ad novam autem Sedem Rossensem R. Bernardum McQuaid, e Diœcesi Novarcensi, assumpsit.

In Provincia Cincinnatensi, novam Diœcesim Columbensem (Columbus, Ohio), instituit, juxta votum expressum a Metropolitis in conventu Romæ habito: porro ad ipsam transtulit RR. D. Sylvestrum Rosecranz, hactenus Episcopum auxiliarem Cincinnatensem.

In Provincia S. Ludovici, erexit sequentes Episcopatus: Greenbay, (Wisconsin) nomine Diœcesis *Sinus Viridis,* ad eumque regendum R. Joseph Melcher, Sacerdotem Provinciæ S. Ludovici nominavit: La Crosse, (Wisconsin) *Crossensem,* cui præposuit R. D. Michaelem Heiss, Sacerdotem Milwauchiensem: S. Josephi, (Missouri,) eumque Episcopatum contulit in R. Joannem Hogan, Sacerdotem Diœcesis S. Ludovici.

In Provincia S. Francisci, Vicariatum Apostolicum Marysvillensem in novam Diœcesim, sub nomine Episcopatus *Vallispratensis* erexit.

Præter hæc, ad vacantem Sedem Eriensem R. Tobiam Mullen, Sacerdotem Pittsburgensem nominavit: ad Sedem vero Ludovicopolitanam vacantem, R. D. Willelmum McCloskey, Collegii Americani in alma urbe Moderatorem, assumpsit.

Denique eos, qui hic recensentur, Vicariatus Apostolicos constituit: 1°. Carolinæ Septentrionalis, (North Carolina) eique gubernando R. Jacobum Gibbons, Sacerdotem Baltimorensem præfecit; 2°. Vicariatum Territorii Idaho, cui præposuit R. Ludovicum Lootens, Sacerdotem Diœcesis S. Francisci; 3°. Vicariatum Territoriorum Colorado et Utah, ad quem regendum nominavit R. Joseph Projectum Machebeuf, Sacerdotum Diœcesis S. Fidei; 4°. Vicariatum Territorii Montana, cui præfecit R. Augustum Ravoux, Sacerdotem Diœcesis S. Pauli de Minnesota.

Ceteræ Patrum petitiones, quæ hisce non continentur, in aliud tempus remissæ sunt. Earum vero erectionum ac nominationum, quæ supra retuli, Litteras Apostolicas in forma Brevis, ut primum paratæ fuerint, ad Te mitti curabo. Interea his meis alligo totidem Epistolas, quas singulis qui ad novos Episcopatus, Vicariatus, ac vacantes Sedes nominati sunt, tradere satages, una excepta Epistola ad R. D. McCloskey, quam ipse ad illum mittam.

Duo tantum animadvertenda supersunt: 1°. EE. PP., quamvis designationem Coadjutoris cum jure successionis Episcopo Marianopolitano et Marquettensi admiserint, personæ tamen electionem dif-

ferri mandarunt, donec ad normam Quæstionarii accurata singulorum Candidatorum informatio ad S. Congregationem mittatur; 2°. Ad preces Episcopi Nashvillensis, eidem concedendum censuerunt, ut illi liceret Episcopalem Sedem in urbem Memphis transferre, servata tamen etiam veteri titulo Ecclesiæ Nashvillensis.

Post hæc, precor Deum ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romæ, ex Æd. S. C. de P. Fide, die 24. Januarii, 1868.

Ampl^s. Tuæ,

Ad officia paratissimus,

AL. CARD. BARNABO, *Præf.*

H. CAPALTI, *Secretarius.*

R. P. D. MARTINO JOANNI SPALDING,
Archiepiscopo Baltimorensi.

Concilii Plenarii Baltimorensis II.

DECRETA.

Concilii Plenarii Baltimorensis II.

DECRETA.

TITULUS I.

De Fide Orthodoxa, deque Erroribus serpentibus.

CAPUT I.

De Revelatione divina; et de Unica Christi Ecclesia, extra quam nulla est salus.

1. Quam utilis, quamque necessaria fuerit divina Revelatio homini ad finem suum ultimum consequendum, vel ex eo patet, quod ignorantiæ tenebræ ac vitiorum immunditiæ totum obduxerant orbem, antequam "per viscera misericordiæ Dei nostri visitaret nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris sedebant et in umbra mortis, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis."[1] Tristissimæ enim ac luctuosissimæ per sæcula quadraginta experientiæ humanæ documenta luculentissime probaverant, rationem humanam, prout hominum inerat universitati, haud valuisse ad illos edocendos viam

[1] Lucas, i., 78, 79.

veritatis et rectæ vitæ quæ ad Deum duceret, hominesque qui se maxime sapientes philosophosque jactitabant nec potuisse, nequidem voluisse, huic mederi communi populorum ignorantiæ.

Philosophi quippe Pagani nec inter se conveniebant vel de primariis ipsis religionis principiis, nec sibi proponebant in populum, quem profanum vocabant vulgus, sua spargere systemata, ipsique omnis generis erroribus involvebantur, omnibusque vitiis inserviebant. Uti enim ait Cicero, antiquorum philosophorum disertissimus: "Simul atque in lucem editi ac suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur."[1] "Ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat."[2] Et saniores quidem gentilitatis philosophi in eam pervenerunt sententiam: "docere pietatem neminem posse, nisi Deus tanquam dux et magister præiverit."[3] Alii autem, juxta gentium Apostolum, "evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis."[4]

2. Tantæ miseriæ humanæ spectaculo in compassionem motus Deus, "dixit de tenebris lucem splendescere, et illuxit Ipse in cordibus nostris;"[5] "loquens nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum,"[6] quemque fecit nobis, "Viam, Veritatem, et Vitam."[7] Et certe, uti clamat summus Pontifex Pius IX.:

3. "Quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime convinci omnino debet, divinam esse Christi Religionem, et 'omne dogmatum nostrorum principium, radicem desuper ex cœlorum Do-

[1] Tuscul. Quæst. L. 3, No. 1.
[2] Ibid.
[3] Plato, in Epimonide.
[4] Roman. i., 21, seqq.
[5] II. Corinth. iv., 6.
[6] Heb. i., 1.
[7] Joan. xiv., 6.

mino accepisse' (Sti. Joannis Chrysost. Homilia 1. in Isaiam); ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, et quod firmioribus innitatur principiis. Hæc scilicet fides, vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fœcunda parens et altrix, divini sui Auctoris et Consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac cœlestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum prædictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis Vexillo pervasit; atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinæ cognitionis lumine illustravit, ac suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuncians omnibus pacem, annuncians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ Sapientiæ et potentiæ fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, Christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio, ex splendidissimis æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei Auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta ac remota, omne eidem fidei obsequium præbeat oportet, quum pro certo habeat a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit."[1]

4. Ad custodiendam pretiosissimam hanc Revelationem, eamque usque ad mundi consummationem inviolatam conservandam, Christus Dominus Ecclesiam suam fundavit, in qua,

[1] Encyclica, 9, Nov. 1846.

tanquam in veritatis arce ac securo propugnaculo, omnes Religionis suæ veritates, sacramenta sancta, cæteraque omnia, quæ Ipse docuerat, instituerat, vel mandaverat pro hominum salute, secure conservarentur. Ecclesiam hanc Ipse, tanquam sapiens Architectus, supra petram ædificavit, eamque in basi solida constitutam divina sua promissione, quæ nunquam fallere poterit, licet cœli et terra transeant, quod "portæ inferi adversus eam non prævalebunt,"[1] Ipse firmavit. Omnibus autem districtum dedit præceptum hanc Ecclesiam audiendi, sub comminatione omnimodæ gratiæ Suæ privationis: "Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus."[2] Est quippe Ipse constitutus "Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus Ipsius, et plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur."[3]

5. Cum Catholica vero Ecclesia Deum Vivum ac Verum habeat Auctorem et Caput, sit oportet, sicut Ipse Deus, necessario unica ac divina; et qui illi voluntarie resistunt Dei ipsius auctoritati resistunt, sibique damnationem adquirunt. Cum nimirum plane omnibus præceperit Christus, ut Ecclesiæ Suæ obtemperent, ejusque membra fiant ac obedientes filii, si velint salvi fieri, non modo nunquam extra Ecclesiam degentibus salutem promisit, verum etiam æternam damnationem comminatus est iis qui propria culpa extra Ecclesiam decedunt ex hac vita. Quod si invincibiliter errent, nec per ipsos steterit, quominus ad veræ Ecclesiæ agnitionem venerint, profecto Deus, qui neminem absque propria culpa punit seu damnat, quamvis hac inculpabili ignorantia detenti extra Ecclesiæ corpus, tamen si, gratia divina opitulante, obsecuti fuerint divinis mandatis, atque illis Christianæ fidei veritatibus quas agnoscunt, eorum miserebitur, ne in æternum pereant.

[1] Matt. xvi., 18.
[2] Ibid., xviii., 17.
[3] Ephes. i., 22, 23; Coloss. i., 18.

6. Uti enim egregie hac super re disserit Beatissimus Pater Pius Papa IX.: "Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas Catholici orbis partes occupasse non sine mœrore novimus, animisque sedisse plerumque Catholicorum, qui bene sperandum de æterna illorum salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco prercontari sæpenumero solent, quænam futura post obitum sit eorum sors et conditio, qui Catholicæ fidei minime addicti sunt, vanissimisque adducti rationibus responsum præstolantur, quod pravæ huic sententiæ suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiæ divinæ, quæ infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici Nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam æque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse æternæ salutis viam. Ea qua potestis solertia et doctrina, demonstretis curæ vestræ populis, miserationi ac justitiæ divinæ dogmata Catholicæ fidei neutiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui veræ Religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujus rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero, quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiæ designare limites queat, juxta populorum, regionum, ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem. Enimvero, cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulchroque nexu miseratio ac justitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versa-

mur, mortali hac gravati mole quæ hebetat animam, firmissime teneamus ex Catholica doctrina, unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout caritatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus; neque enim abbreviata est manus Domini, gratiæque cœlestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent." [1]

7. Animarum vero Pastores ardenti zelo pro errantium conversione et salute anhelent. Dum nequidem apicem unum sacri fidei depositi omittere, etiam pro totius mundi salute, illis licebit, studeant se omnia omnibus exhibere, ut omnes faciant salvos; [2] et alliciendo magis quam comminando omnes ad viam veritatis reducere satagant, atque tam verbo quam exemplo errantibus suadeant, quam pulchra et immaculata sit Christi Ecclesia, vera et unica sponsa Christi, et "quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum." [3]

8. Dum fortiter in re, suaviter tamen in modo, cum hæreticis et deviis pertractent, memores Pii Papæ IX. moniti: "Notum Nobis Vobisque est, eos qui invincibili circa sanctissimam nostram Religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem ejusque præcepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinæ lucis et gratiæ operante virtute, æternam consequi vitam; cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque plane intuetur, scrutatur, et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam æternis puniri suppliciis, qui voluntariæ culpæ reatum non habeat. * * Absit vero, ut Ecclesiæ Catholicæ filii ullo unquam modo inimici sint iis, qui iisdem fidei

[1] Allocutio in Consist. secreto, 9 Dec., 1854.

[2] I Corinth. ix., 22.

[3] Psalm. cxxxii., 1.

charitatisque vinculis nobiscum minime sunt conjuncti; quin immo illos sive pauperes, sive ægrotantes, sive aliis quibusque ærumnis afflictos, omnibus Christianæ charitatis officiis prosequi, adjuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere jacent eripere, atque ad Catholicam veritatem et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quæ maternas suas manus ad illos amanter tendere, eosque ad suum sinum revocare nunquam desinit, ut in fide, spe, et charitate fundati ac stabiles, et in omni opere bono fructificantes, æternam assequantur salutem." [1]

CAPUT II.

De Fidei Natura ac Necessitate.

9. "Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;" [2] certa nimirum et immobilis animi convictio, auctoritati Dei ipsius revelantis nisa, quæ omne prorsus excludit dubium animique incertitudinem. Donum Dei est præcipuum, descendens in mentes et corda nostra a Patre Luminum, includens, secumve trahens omnia alia bona spiritualia. Nemini denegatur, qui a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, hanc sapientiam corde humili ac sincero postulat in fide nihil hæsitans; [3] nemini vero obtruditur invito. Coöperari enim necesse est liberum hominis arbitrium cum summa Dei bonitate, "ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit." [4]

[1] Encyclica ad Cardinales, Archiepis. et Episcop. Italiæ, Aug. 10, 1863.
[2] Heb. xi., 1. [3] Jacobi. i., 5, 6. [4] Concil. Trid., Sess. vi., c. 5

10. Rationem vero humanam fidemque divinam minime esse sibi contrarias, potius autem esse inter se consentaneas, vel ex eo apparet, quod utraque ex Deo proveniat Auctore, qui in donis ac operibus suis sibi plane contradicere non potest. "Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabilis æternæque Veritatis Fonte, Deo Optimo Maximo orientes, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet, atque perficiat." [1] Omnino igitur detestandus est error illorum philosophorum, qui infaustis in quos incidimus diebus scientiam vanam, quæ inflat, jactitantes, evanuerunt plane in cogitationibus suis; et "Religionem quidem munus esse fatentur longe præstantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilomimus rationem tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel ipsi Religioni æquiparandam stultissime putent. Hinc, ex vanâ ipsorum opinione, Theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt, cum tamen illæ fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius, ista vero humana explicentur ac illustrentur ratione, quæ fallaciis ac præstigiis obnoxia est. Ita quidem rejecta Ecclesiæ auctoritate, difficillimis quibusque reconditisque quæstionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens, turpissimos in errores lapsa est, qui in Religionis civilisque rei detrimentum illudque maximum redundarunt." [2]

11. Contra scriptores varios, qui ultimis hisce temporibus circa fidei ac rationis limites veramque relationem huc illuc

[1] S. Pont. Pii Papæ IX., Encyclica, 9 Nov. 1846.

[2] Allocutio, S. D. Pii PP. IX., in Consist. Secreto, 9 Dec. 1854.

errarunt, sancta Sedes Apostolica sequentes statuit Theses quatuor, quibus omnes fere quæ hinc enascuntur difficultates enucleantur, quæque contra iniquos alterutrius osores rem Catholicam optime tuentur. Has igitur publice promulgandas duxerunt Patres:

I. "Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant.

II. "Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem, cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione; proindeque, ad probandum Dei existentiam contra atheum, ad probandum animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem, allegari convenienter nequit.

III. "Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem, ope revelationis et gratiæ, conducit.

IV. "Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura, et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint."[1]

Hisce adjicere juvat propositionem Raymundi Lulli a Papa Gregorio XI. damnatam:

"Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus, et non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem et diligunt cognoscere per fidem; sed homo subtilis facilius trahitur ad veritatem Christianam per rationem quam per fidem."[2]

[1] Decret. S. C. Indicis, Junii 11, 1855, a Pio Papa IX. probat. Junii 15, ejusdem anni.
[2] Damnata, 7 Cal. Feb., 1376.

12. Fidei utilitatem omnimodamque ad salutem necessitatem declarat gentium Apostolus, scribens: "Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit."[1] Ejusdem autem eximias divitias miro compendio exponit S. Augustinus: "Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est Fides Catholica; quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et conjuges casto pudore conservat, clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna hæreditate cum angelis sanctis communicat."[2]

13. Pastoribus igitur animarum nihil altius, nihil sanctius esse deberet, quam ut gregem sibi creditum Catholicæ Fidei pretium inestimabile edoceant, ejusque sancta principia omnium cordibus, opitulante Deo, magis magisque pro viribus imprimant; simulque pericula quæ illam ubique labefactari minitantur, præsertim vero apud juventutem incautam, demonstrare omni industria ac sollicitudine satagant. "Prædicent verbum; instent opportune, importune, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina; erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur."[3] Hortentur fideles, ut "in omnibus sumant scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi extinguere."[4] Moneant omnes præsertim, ut sectentur "Fidem quæ per charitatem operatur;"[5] scientes quod "Fides, si non habeat opera, mortua sit in semetipsa."[6] Omni zelo collaborent, ut eos qui misere errant, vel qui Fidei naufragium fecerunt, ad

[1] Ad. Heb. xi., 6.
[2] Sermo 1, de Verbo Dei.
[3] II Timoth. iv., 2, 3.
[4] Ephes. vi.,16.
[5] Galat. v., 6.
[6] Jacob. ii., 17.

viam veritatis, verbis mansuetudinem et charitatem spirantibus, precibusque Deo pro eorum salute instanter fusis, feliciter perducant; ut omnes "unum Dominum, unam Fidem, unum baptisma"[1] agnoscentes, et "in uno ovili sub uno Pastore"[2] vitam tranquille degentes, tandem in gaudium Domini æternum ingrediantur.

CAPUT III.

De Scriptura Sacra.

14. Sancta Christi Ecclesia "perpetuo sibi ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii conservetur; quod promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis, Dominus Noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicare jussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque Deus sit Auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur."[3]

15. Quum autem plurimum intersit, ut quæ in Sacris

[1] Ephes. iv., 5.
[2] Joan. x., 16.
[3] Concil. Trid., Sess. iv., Decret. de Can. Scripturis.

Scripturis continentur rite intelligantur, ne pro Verbo Dei verbum hominis seu nostrum tantum capiamus, sicque in errores gravissimos Scripturarum prætextu inducamur, memores præsertim moniti Apostolici in ipsis "quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem;"[1] ideo vestigiis inhæremus Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decernentis, "ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei ac morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretare audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur."[2]

16. Cum Sacrarum Scripturarum depositi, a Domino Ecclesiæ commissi, fidelis custodia ab Episcopis requirat, ut totis viribus adnitantur ne verbum Dei, hominum fraude vel incuriâ adulteratum fidelibus præbeatur, omnes hujus Regionis, animarum pastores vehementer hortamur, ut ea omnia quæ in re tanti momenti à S. conc. Trid. decreta, à Summis Pontificibus, præsertim à Leone XII., et à Pio VIII. fel. rec. in suis litteris Encyclicis commendata, atque ab Illmo ac Rev^{mo} Joanne Carroll, Archiepiscopo Baltimorensi, unà cum episcopis aliis hujus Regionis, in conventu habito anno 1810 statuta fuerunt, semper præ oculis habeant: biblia ab acatholicis vitiata à suis ovibus arceant, et nonnisi ex probatis versionibus atque editionibus, verbi Dei pabulum incorruptum illis desumere permittant. Statuimus igitur ut Duacensis versio, quæ in omnibus ecclesiis quarum fideles Anglicè loquuntur recepta, et à prædecessoribus nostris usui fidelium

[1] II Pet. iii., 16.

[2] Sess. iv., Decretum de Edit., &c. Retinetur ultimum Comma, ex Instructione Generali I. S. Congreg. supra.

meritò proposita est, omninò retineatur. Curabunt autem episcopi ut, juxta exemplar probatissimum ab ipsis designandum, omnes tum novi, tum veteris Testamenti Duacensis versionis editiones in posterum emendatissimè fiant, cum adnotationibus quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris tantùm desumptæ sint.[1]

CAPUT IV.

De summa Trinitate; et de Deo Creatore, Redemptore, ac Sanctificante.

17. Inprimis, "Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes Personas, neque Substantiam separantes;" * * ita ut "Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, una sit Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas."[2] "Nullus enim alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superest potestate. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patre extitit; et æternum ac sine initio est, quod Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit."[3] Animo humili cordeque sincero, auctoritati infallibili Dei ipsius revelantis innisi, "firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, * * * Pater, et Filus, et Spiritus Sanctus; tres quidem Personæ, sed una Essentia, Substantia, seu Natura, simplex omnino."[4] Personæ vero divinæ, quamvis inter se distinctæ, non tamen realiter distinguuntur a divina Essentia: nam "in Deo est Trinitas solummodo, non quater-

[1] Balt. Concill. Summarium, Num. 9. Confer quæ hac super re monentur, in I. Instructione Generali S. Cong., num°. 3., supra.

[2] Symb. Athan.

[3] Concil. Florent. Decret. pro Jacobitis.

[4] Concil. Lateran. iv., c. 1.

nitas; quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet Substantia, Essentia, seu Natura divina." [1]

18. Omnes vero tres Augustissimæ Trinitatis Personæ in bonum ac salutem hominum sunt coöperatæ. Et quamvis unica sit in Trinitate voluntas et operatio in omnibus ad extra, attamen speciales effectus unicuique personæ tribuuntur nuncupative, per appropriationem, nempe Creatio Patri, Redemptio Filio, Sanctificatio Spiritui Sancto. Pater enim de nihilo solaque sua volitione creavit cœlum et terram, angelos et homines, omnesque omnino creaturas, visibiles ac invisibiles; Filius vero, "propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est," [2] vitamque suam dedit sanguinemque in cruce amantissime fudit, ad expianda omnium hominum peccata; Spiritus demum Sanctus, Dominus et vivificans, qui a Patre Filioque procedit, qui locutus est per prophetas,[3] Fons est luminis, gratiarum, et amoris, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, quique dulcis est noster Comes ac Paraclitus in via nostra tenebris obducta, illuminans ac confortans in hac lacrymarum valle, donec nos tandem ad regna feliciter perducat cœlorum.

19. Caveant autem Pastores ac doctores, ne fallaci humanæ scientiæ nimis fidentes, et a fidei simplicitate, et ab "intellectu quem Deus dat parvulis" [4] deflectentes, "plus sapiant quam oporteat sapere;" [5] memoresque sint Sapientiæ divinæ moniti, "qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria." [6] Potius vero arma arripiant "militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi." [7]

[1] Ibid., c. 2, De errore Ab. Joachim.
[2] Symbol. Nicæno Constantinop.
[3] Ibid.
[4] Psalm. cxviii., 130.
[5] Rom. xii., 3.
[6] Prov. xxv., 27.
[7] II Corinth. x., 4, 5.

20. Hæc est "fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit."[1] Sublato enim Sanctissimæ Trinitatis dogmate, nullus esset Redemptor, Sanctificator animarum nullus; nulla maneret gratia supernaturalis, dempto ipsius Fonte vivo ac perenni; nulla forent sacramenta gratiam conferentia: uno verbo, nihil supernaturale remaneret, universa penitus destrueretur Christiana Religio, hominesque adhuc in eodem forent statu, ac si non fuisset promissus nec advenisset Redemptor, qui altiorem securioremque illis ad salutem demonstraret viam.

CAPUT V.

De Altera Vita.

21. Semper docuit ac docet Sancta Catholica Ecclesia, justos qui in Christo dormiunt in vitam æternam in cœlis esse ingressuros, impios vero qui peccato mortali fœdati moriuntur in inferno igni æterno, "qui paratus est diabolo et angelis ejus," esse deputandos, juxta sententiam a Domino nostro Jesu Christo solemniter in judicio ultimo proferendam; testante Evangelista de malis, "et ibunt hi in supplicium æternum," de bonis vero, "justi autem in vitam æternam."[2] Justi igitur cum Christo et angelis in perpetuas æternitates regnabunt, et "inebriabuntur ab ubertate domus ejus, et torrente voluptatis ejus potabuntur;"[3] impii autem "in ardoribus sempiternis,"[4] ubi erit "fletus et stridor dentium,"[5] pœnas peccatorum suorum sine fine duraturas luent.

Illorum autem penitus damnamus Neotericorum errorem, qui, divinam prætexentes misericordiam, vel pœnarum in

[1] Symb. Athan.
[2] Matth. xxv., 31–45.
[3] Psalm. xxxiii., 9.
[4] Isaias xxxiii., 14.
[5] Luc. xiii., 28.

inferno æternam denegant durationem, vel adeo earundem mitigant severitatem, ut vix atrocitati peccatorum justissimo Dei judicio puniendæ, idoneæ ac dignæ videantur; monemusque Catholicos scriptores omnes, quatenus in ejusmodi arcanis Dei consiliis pertractandis ab omni speculationis novitate sedulo abstineant, sanæque doctrinæ forma verborum utantur.

22. Qui autem non peccato lethali, sed veniali tantum culpa maculati vita decedunt, vel qui nondum pro peccatis jam remissis divinæ justitiæ satisfecerint, profecto non in ignem æternum, diaboli angelorumque ejus consortio sociandi, tradentur, nequidem illico poterunt Jerusalem cœlestem ingredi, "in quam non intrabit aliquod coinquinatum;" [1] sed per ignes piaculares, donec divina fuerit propitiata justitia, transeuntes, "ipsi salvi erunt, sic tamen quasi per ignem." [2] Sic et "justus Judex reddet unicuique secundum opera ejus." [3] Nam, uti Synodus Tridentina declarat, "cum Catholica Ecclesia, Spiritù Sancto edocta, ex sacris literis et antiqua patrum traditione, in sacris conciliis, et novissime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcepit S. Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a sanctis patribus et sanctis Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem plebem difficilores ac subtiliores quæstiones, quæque ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant evulgari, ac tractari non permittant. Ea vero quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem, spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum

[1] Apocal. xxi., 27. [2] I Corinth. iii., 25. [3] Matth. xvi., 27.

suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta pie et devote fiant."[1]

CAPUT VI.

De pia Veneratione et Invocatione Beatissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ, Sanctorumque cum Christo regnantium.

23. Sanctos cum Christo regnantes, utpote præcipuos Dei amicos, qui Ejus sanguinis pretiosi meritis vitam assequuti sunt æternam, quorumque "cum Deus coronat merita, nihil aliud coronat quam munera sua,"[2] Ecclesia Catholica semper est venerata, eorumque potentia per Christum Dominum suffragia semper pie invocavit. S. Synodus Tridentina igitur "mandat omnibus Episcopis, et cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, in primis de Sanctorum Intercessione, Invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum Nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel

[1] Sess. xxv., Decret. de Purgatorio.

[2] S. Augustinus, Ep. cxciv. ad Sixtum, No. 19.

eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, Invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare; impie sentire."[1] Sapientissime autem Episcopos monet, quatenus curent, ut "omnis superstitio in Sanctorum Invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur."[2] Caveant igitur animarum Pastores aliique sacerdotes, ne in concionibus ad populum habitis, vel in scriptis, exaggerationibus indulgeant, quæ nedum Sanctorum debitæ Venerationi conferrent, magis vero obessent; potius doctrinæ ab Ecclesia traditæ simpliciter adhæreant, illamque fidelibus sine verborum ambiguitate diligenter et amanter explicent.

24. Inter omnes vero Dei charos, in cœlesti habitatione pro iis parata regnantes, facile præeminet Beatissima illa ac Immaculata Virgo, flos domus regiæ David, quam Gabriel plenam gratiæ salutavit; quam Elizabeth Spiritu Sancto plena Matrem Domini sui est pie venerata; quam, juxta ipsius vaticinium, omnes generationes Beatam prædicant in æternumque prædicabunt; quam Rex ipse Regum et Dominus Dominantium, cui omnis potestas est tradita in cœlo et in terra, in dulcem et purissimam suam Matrem elegit, cuique Ipse, Verbum Caro Factum, erat in terris subditus; quam angeli et archangeli, cherubim et seraphim, in cœlis venerantur; quam in cruce pendens, et pro nobis moriens, Dominus Noster Jesus Christus, mediante discipulo Suo dilecto, nobis omnibus ceu Matrem tenerrimam tradidit; quamque pro Matre omnes sancti Dei vel a Christianæ Religionis exordio pie susceperunt. Hanc, ob prævisa Filii sui merita, fuisse ab omni labe originalis peccati exemptam, vel a primo Conceptionis suæ instante, solemniter definivit Ecclesia; hancque

[1] Sess. xxv. De Invoc., &c., SS.

[2] Sess. xxv. Ibid.

demum, Patres Concilii Baltimorensis Provincialis VI., "ardentibus votis, plausu, consensuque unanimi, SINE LABE CONCEPTAM, in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum elegerunt." [1]

Placet autem in re tam gravi verba ipsa referre, quibus Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis Pius Papa IX. solemniter definivit, orbe Catholico universo plaudente, ac vocem ejus tanquam Petri et ipsius Christi oraculum lubenter ac reverenter audiente et acceptante: "Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejunio privatas Nostras et publicas Ecclesiæ preces Deo Patri per Filium Ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universæ cœlestis curiæ præsidio, et advocato cum gemitibus Paracleto Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctæ et Individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem fidei Catholicæ et Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, declaramus, pronunciamus, et definimus doctrinam, quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse, singulari Dei omnipotentis gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac præterea facto ipso suo semet pœnis a jure statutis subjicere, si quod corde sentiunt verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint." [2]

[1] Balt., Num. 69. Cf. etiam, Num. 73, 74.

[2] Constitutio, Ineffabilis Deus, 10. Dec., 1854.

CAPUT VII.

De Erroribus serpentibus.

I.—Sectarum Colluvies.

25. Cum rejecissent novatores auctoritatem a Christo Domino Pastoribus Ecclesiæ Suæ traditam, "ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi,"[1] inde secutum est, ut unusquisque post consilium suum abierit, tanquam ovis sine pastore, et proinde sectæ ac dissensiones in terris pullulaverint, ubi prius pax et unitas abundaverant; factique sint homines "sicut parvuli fluctuantes et circumlati omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris."[2] Jugum enim Christi et Ecclesiæ sponsæ ejus immaculatæ de humeris suis rejicientes, et falsam libertatem jactitantes, non amplius attulerunt fructus Spiritus, qui sunt "charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas;" sed potius operibus carnis se manciparunt, quæ sunt manifesta, nempe, "fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, ebrietates, commessationes, et his similia."[3]

Hi sunt nimirum illi homines, quos gentium Apostolus clare prædixit in novissimis diebus, quando instabunt tempora periculosa, esse venturos: "Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores,

[1] Ephes. iv., 12, 13. [2] Ibid. [3] Galat. v., 19, seqq.

protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita."[1]

Hi sunt quos meminit idem Apostolus, scribens ad Romanos, quorum "obedientiam in omnem locum divulgatam esse" testatur: "Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis; hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium."[2] "Hi autem," ait S. Judas, "quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur; * * nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, * * fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum."[3]

26. Vestigia enim prementes hæreticorum, qui a primis etiam Ecclesiæ temporibus pullulaverant, novatores hodierni magis odio quam amore moventur, zelumque habent non in ædificationem, sed potius in destructionem;[4] et quod Tertullianus de sæculi secundi sectariis scripsit, nostratibus etiam apprime convenit:—"Quid dicam? Cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur; quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent."[5]

27. Ad horum misere errantium conversionem, quorum plurimi sunt bene dispositi, sed ab hominibus nequam et astutis in circumventione erroris seducti, zelo flagrare debent

[1] II. Timoth. iii., 2, seqq.
[2] Rom. xvi., 17, 18.
[3] Jud. 10, seqq.
[4] II. Corinth. x., 8.
[5] De Præscript., c. 41.

vel maximo animarum Pastores, fortiter quidem contra errorum duces eorumque principia pestifera invehentes, at leniter suaviterque cum multitudine pertractantes, qui magis persuasione quam denunciatione moventur. Ad unitatem et pacem omnes dulciter hortentur, annunciantes dictum Apostolicum: "Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo;"[1] et orationi continuæ instantes, Deum Omnipotentem magna fiducia invocent, ut omnibus ubique terrarum sublatis erroribus, veritas Dei et pax Christi, quæ omnem exsuperat sensum, hominum omnium mentibus cordibusque insideant ac dominentur. Cum dilecto enim Christi discipulo, bonus animarum Pastor sentire ac dicere deberet: "Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare."[2]

Spiritum Summi Pontificis feliciter regnantis hac in parte imitentur, ejusque verbis amorem paternum spirantibus sæpius utantur: "Cum autem Apostolica illa caritas, qua omnes populos et nationes in Christo complectimur, ita Nos urgeat, ut nihil prorsus aliud tam vehementer optemus, quam ut omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, verba Nostra ad illos omnes qui a Nobis dissident, toto cordis affectu convertimus, eosque obtestamur in Domino, ut depulsa errorum caligine, veritatis lucem aspiciant, et ad sinum confugiant sanctæ Matris Ecclesiæ, atque ad hanc Petri Cathedram, in qua Christus ejusdem Ecclesiæ suæ fundamentum posuit."[3]

II.—Indifferentismus.

28. Quid mirum, si inter tot sectarum perpetuo variantium fluctus agitati homines, in Indifferentismum quoad omnes sanctæ Religionis doctrinas cadant, eoque veniant usque dementiæ, ut palam asserant, parum interesse quid credant

[1] I. Corinth. xiv., 33   [2] S. Joannes, Epist. iii.   [3] Allocutio, Maii 20, 1850.

homines, quamve religionem amplectantur, dummodo mores suos juxta rectitudinis regulas atque ad honestatis ac justitiæ tramitem componere studeant! Hanc pestem nostris temporibus, sub specie caritatis ac benevolentiæ, late grassantem, gravibus verbis et monitis cohibere sategerunt summi Pontifices, qui ultimis temporibus in Petri Cathedra tam magno Religionis profectu sederunt; illorumque declarationibus majestate Apostolica plenis, potius quam nostris, in re adeo gravi utemur:

"Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in præsens comploramus Ecclesiam, Indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem; quæ improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione æternam posse animæ salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio, in re perspicua planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestræ curæ concreditis propelletis. Admonente enim Apostolo, unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma, extimescant qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt, seque infeliciter dispergere, quia cum ipso non colligunt."[1]

29. "At quorsum hæc?" clamat alius Pontifex. "Secta quædam, vobis certe non ignota, Philosophiæ nomen sibi immerito usurpans, inordinatas omnium propemodum errorum phalanges e cineribus excitavit. Hæc siquidem blandam pietatis et liberalitatis speciem præseferens, Tolerantismum, (sic enim aiunt,) seu Indifferentismum profitetur, atque extollit, non modo in rebus civilibus, de quo non est Nobis sermo, verum etiam in Religionis negotio, docens amplam unicuique libertatem a Deo factam esse, ut quæ cuique secta

[1] Gregorii XVI. Encyclica, Aug. 15, 1832.

juxta suum privatum judicium, vel opinionem arriserit, eam quisque sine salutis periculo amplecti, vel adoptare valeat."[1]

30. Nec minori vigore verborumque solemnitate contra hanc pestem invigilandum Episcopos monet Pius noster Papa IX.: "Ignotum certe vobis non est, Venerabiles Fratres, multos hostium Catholicæ veritatis in id præsertim nostris temporibus conatus suos intendere, ut monstruosa quæque opinionum portenta æquiparare doctrinæ Christi, aut cum ea commiscere vellent, atque ita impium illud de cujuslibet religionis Indifferentia systema magis magisque propagare commoliuntur."[2] Et iterum: "Huc spectat horrendum, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis Indifferentia systema, quo isti veteratores, omnis virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio justitiæ cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial."[3]

III.—Unitarianismus et Universalismus.

31. Indifferentismus ad incredulitatem infidelitatemque parat viam; nam si, contra Domini apertam declarationem, "qui non crediderit condemnabitur,"[4] omnis homo quidquid credat, cuicumque adhæreat religioni, salvus nihilominus esse possit, parum interest, parumque ejus saluti nocet, si ipsa etiam Religionis Christianæ fundamenta subvertat, Christique Domini divinitatem aperte neget; si æternitatem pœnarum in altera vita, vel ipsarum etiam pœnarum existentiam, tanquam Dei bonitati repugnantem, penitus rejiciat; si demum, una cum divino Auctore Religionis Christianæ, ac principali

[1] Leo XII. Encyclica, Maii 3, 1824. Citat etiam textum Sti. Pauli ad Romanos, c. xvi., jam superius allatum.

[2] Allocutio, Dec. 17, 1847. [3] Encyclica, Nov. 9, 1846. [4] Marc. xvi., 16.

ejusdem per pœnarum comminationem sanctione, quidquid Religioni ipsi inest supernaturale omnino respuat, eamque systematibus philosophicis et ethicis mere humanis in omnibus fere æquiparet. Huc tendunt Unitarianorum ac Universalistarum hodiedum vigentia systemata; quorum primum Christi divinitatem, alterum vel pœnas inferni æternas, vel ipsum infernum negat. Atque infaustis quibus vivimus temporibus, hisque in Statibus, nefandæ istæ hæreses, seu potius impietates, quæ radices ipsas Religionis penitus evellere conantur, magis magisque, eheu! in dies crescunt; ita ut doctiores cultioresque inter sectarios nostrates illis libenter nomen dent, aperteque opprobrio suo glorientur, tanquam ipsi majori cæteris minus in philosophia provectis sint lumine illustrati, sacrasque ipsas Scripturas in partes suas detorquere laborent. Quorum blasphemiis, ne simplices decipiantur, fortiter resistant Episcopi cæterique animarum Pastores.

IV.— Transcendentalismus et Pantheismus.

32. Quæ cum ita sint, quid mirandum si indies eorum numerus augeatur, qui, vix speciem seu larvam ipsam Christianitatis retinentes, in infidelitatem ruunt, sub nomine specioso et grandiloquo Transcendentalismi, vel ipsius Pantheismi! Cum Deum ipsum throno suo impie detrudant, quid mirum si hominem Deum facere satagant; si Omnia Deum, Deumque Omnia esse stultissime delirent? Rejecta enim Ecclesia Christi; rejecta summi Pontificis auctoritate; quid supererat, nisi ut rejiceretur Christus ipse, et Pater qui illum misit? Apostolis, nimirum, primis suis in terris ministris, dixerat Christus Dominus: "Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me."[1]

[1] Lucas x., 16.

V.—Magnetismi Abusus.

33. "Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes,"[1] sectarii hodierni, semper inquieto animo, ac in nova systemata quæ progressui, uti somniantur, religioso magis faveant anhelantes, nuper Magnetismi scientiam in adjutorium suum advocare, eamque contra Religionis sacra principia pervertere sunt conati. "Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phenomenis Magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota, ac futura detegi Magnetismi arte vel præstigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a Magnetizatoris nutu pendent."[2]

34. Ut Magnetismi autem abusus eliminarentur, simplicesque ejus præstigiis haud seducerentur, simulque scientiæ veræ jura indubia sarta tacta servarentur, sapiens hæc regula agendi fuit a Sancta Sede constituta: "Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus Magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis."[3]

35. Propositæ vero regulæ explicationem eadem S. Congregatio tradit hujusmodi: "Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo, in usu aut abusu Magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes, magna cum animarum

[1] II. Timoth. iii., 7.
[2] Encyclica C. S. O. ad omnes Episcopos, contra Magnetismi abusus, Aug. 4, 1856.
[3] Decisio S. C. S. O., Julii 28, 1847.

jactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *Somnambulismi*, et *Claræ Intuitionis*, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas, et Religioni et civili societati infestissimum, efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia, ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adjutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternæ caritatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adjunctis, expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi Magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut Dominicus grex defendatur ab iniquo homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione præserventur." [1]

VI.— Spiritismi Hallucinationes et pericula.

36. Demum, inter serpentes nostratium errores, in ruinam animarum invectos, locum principalem tenet *Spiritismus;* systema quoddam crudum et indigestum, ei de quo supra disseruimus, quodque *Magnetismi Animalis* nomine vulgo venit, in quibusdam affine, in hisce Statibus, uti videtur, primo

[1] Decisio S. C. S. O., Julii 28, 1847.

inventum, quo per signa quædam præstituta, et mediantibus quibusdam nervosi temperamenti personis — præcipue autem fœminis — cum spiritibus mundi invisibilis communicatio haberi prætenditur. Bene vero videtur esse exploratum, plura, quæ in Circulis Spiritismi exhiberi phænomena miranda dicuntur, esse vel omnino ementita et operatorum inter se collusione fraudulenta producta, vel personarum quæ dicuntur media imaginationi et spectatorum credulitati esse præsertim adscribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud præstigiatores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videtur, quædam saltem ex eis a Satanico interventu esse repetenda, cum vix alio modo satis explicari possint. Nec mirum videatur, si novissimis hisce diebus, in quibus instant tempora periculosa,[1] "in nos descendat diabolus, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet;"[2] et si antiquus ille humani generis hostis iterum Magiæ antiquæ Artem, sub aliis tamen formis, mundi conditioni præsenti magis convenientibus, ad hominum ruinam invehere studeat. Antiquum quippe illi est, qui "tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret,"[3] ut "se transfiguret in angelum lucis,"[4] majorem boni ac mali scientiam, sicut olim primis nostris parentibus, prætendens ac promittens.

37. Ex Scripturis Sacris sanctorumque patrum documentis constat, Angelos, tam bonos quam malos, in res humanas hominumque mentes et corda mirum sane in modum agere posse, eo potentius quo naturæ sint quam homines subtilioris; nihil vero omnino in homines posse, nisi mandante seu permittente Deo, cujus supremo imperio omnia subjiciuntur. De bonis Angelis nimirum clamat Apostolus: "Nonne omnes sunt administratorii spiritus, missi propter eos qui hæredita-

[1] II. Timoth. iii., 1.
[2] Apocalyps. xii., 12.
[3] I. Pet. v., 8.
[4] II. Corinth. xii., 14.

tem capient salutis?"[1] et Psalmista: "Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum."[2] De malis vero scribit S. Paulus: "Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare."[3] Jacobus autem Apostolus posse nos, adjuvante Dei gratia, insidias diaboli superare plane asserit: "Resistite autem diabolo, et fugiet a vobis."[4] Familiare demum erat Christo Domino nostro declarare, Se ideo in mundum venisse, ut principem ejus diabolum foras ejiceret: "Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras."[5] Dilectus autem ejus discipulus idem asserit: "Apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli."[6]

38. Nihil igitur potest diabolus in membra Christi, et filios Dei, qui "illi resistunt fortes in fide."[7] Quia, uti ait S. Augustinus, "ad hoc ergo ligatus est diabolus et inclusus in abysso, ut jam non seducat gentes, ex quibus constat Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia."[8] "Non enim possunt dæmones quod non sinuntur efficere; sinuntur autem alto Dei summi justoque judicio, pro meritis eorum quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam subjici ac decipi justum est."[9] Et iterum: "Quia etsi aliquid in his (hominibus) dæmones possunt, tantum possunt quantum secreto omnipotenti arbitrio permittuntur."[10] In illos vero solos homines habet potestatem diabolus, qui servi sunt peccatis et cupiditatibus subjiciuntur: "Non enim aliquem

[1] Heb. i., 14.
[2] Psalm. xc., 11, 12.
[3] Ephes vi., 12, 13. Vide etiam Deut. xviii., 9–12; et Act. xvi., 16–18.
[4] Jacob. iv., 7.
[5] Joan. xii., 31.
[6] I. Joan. iii., 8.
[7] I. Pet. v., 8.
[8] De Civitate Dei, L. xx., c. 7.
[9] Ibid., L. vii., c. 35.
[10] Ibid., L. ii., c. 23.

vincit, nisi societate peccati."[1] "Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, et cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt mundum."[2] Pro cæteris autem, Christi veris militibus, "Dæmon est quasi canis, a Christo ligatus: latrare potest, sollicitare potest, mordere non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a nobis consensum, sed petit."[3]

39. Quæ cum ita sint, quid mirum, si infaustis hisce temporibus, quando mundo et cupiditatibus magis quam Deo serviunt homines, etiam ii qui Christianos magis cæteris illuminatos sese jactitant, et quando "mundus totus in maligno positus est,"[4] diabolus, pravorum hominum electione, sit iterum mundi hujus princeps constitutus; et si dominium suum in eos qui morderi ab eo volunt, per Spiritismi hallucinationes, iterum plane asserat? Cum numerus adeo ingens eorum, qui apud nos Christianos se nominant, nequidem sacro Baptismi lavacro sint mundati, et ideo nec de tenebris in lucem sint emersi nec Christum induerint, quid mirandum, si adhuc sub potestate principis mundi, tenebrarum harum, maneant, vel saltem ejusdem incursibus inermes exponantur?

40. De cætero, omnibus qui ephemerides librosque a Spiritismi ducibus nuper concinnatos perlegerunt perspicuum est, illos vel implicite vel etiam explicite Christum Dominum ejusque sanctam respuere Religionem, Christum Deum non esse, ejusque Religioni nihil inesse supernaturale blasphemare, veramque ac altiorem philosophiam et sapientiam in Spiritismi fallacibus manifestationibus seu revelationibus esse quærendam insanire! Vere "evanuerunt in cogitationibus suis;" "dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt."[5] Velle enim videntur, cum ipso paganismo, magiæ etiam paganæ ritus impuros sæculo nostro omni quo possunt modo restaurare.

[1] De Civ. Dei, L. x., c. 22.
[2] Augustinus, de Agone Christiano, Liber unicus, 1.
[3] Sermo xxxvii., de David et Golia, etc., inter supposit. S. Augustini.
[4] I. Joan. v., 19.
[5] Rom. i., 21, 22.

41. Gaudemus autem in Domino, dilectos nostros in Christo filios, Catholicos fideles, haud fuisse hactenus peste ista infectos; hortamurque eos in Christo, ut nulla, vel indirecta ratione, Spiritismo faveant, et ne quidem ex curiositate ejus Circulis unquam adsistant. Qui domum enim diaboli ingrediuntur, timeant ne machinationibus ejus decipiantur imperioque subjiciantur. Contra nefandas nimirum horum hominum insidias, Spiritu afflatus prophetico, nos monet Apostolus: "Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentes suam conscientiam."[1]

[1] I. Timoth. iv., 1, 2.

TITULUS II.

De Hierarchia et Regimine Ecclesiæ.

CAPUT I.

De Romano Pontifice.

42. Patres hujus Concilii Plenarii, ex omnibus Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis congregati, præside Archiepiscopo Baltimorensi tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, summum quo Sedem Apostolicam Romanam prosequuntur obsequium profitentur: agnoscunt quippe, juxta definitionem in concilio Florentino promulgatam, Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Beatissimum igitur Pontificem Pium IX., caput totius episcopatûs agnoscunt divino jure constitutum, ejusque esse fratres in fide confirmare, cùm unus sit omnium pastor. Doctrinam insuper, quam ab Apostolis traditam in Ecclesiâ Romanâ constat semper esse servatam per episcoporum successionem, profitentur integram, prout in conciliorum œcumenicorum, præsertim Tridentini decretis, et in Summorum Pontificum constitutionibus explicata est.[1]

43. Inter acerrimas procellas ab impiis hominibus excitatas, quibus nunc agitatur Christi Ecclesia, et inter errorum pessimorum deliramenta, quæ ubique terrarum in animarum

[1] Balt. Plen. 1. Num. 78.

ruinam disseminantur, perlibenter oculos convertimus ad Summum Pontificem, beati Petri Apostoli successorem, et ad illam Romanam Ecclesiam ad quam, teste Irenæo, "propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles;"[1] ad firmissimam "Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est"[2]—juxta Cyprianum—quæ est etiam Ecclesiæ Catholicæ "radix et matrix;"[3] ad quam Romanorum Ecclesiam, "quorum fides Apostolo prædicante laudata est, perfidia habere non possit accessum;"[4] in qua, juxta Augustinum "semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus:"[5] atque Pio IX., Pontifici feliciter regnanti, verba reverentiæ ac obedientiæ plena proferimus, quibus quarto Ecclesiæ sæculo Hieronymus Damasum est allocutus: "Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio."[6]

44. Petrum enim, a Christo Domino petram constitutum super quam ædificata est Ecclesia, adhuc vivere et loqui in successoribus in ejus Cathedra sedentibus, omnis antiquitas unanimi voce testatur. Romanus quippe Pontifex pro tempore existens totius gregis, et agnos et oves in orbe terrarum complectentis, curam pastoralem et paternam semper habuit habetque; quod præclare quidem explicat S. Leo Magnus: "Quamvis singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis præsint, sciantque se pro commissis sibi ovibus red-

[1] Adv. Hæreses, L. iii., c. 3.
[2] Epist. ad Cornelium, 55, No. XIV. Edit. Migne.
[3] Id., Ep. 45.
[4] Id., paulo post verba citat. Epist. ad Cornelium; Edit. Migne.
[5] Epist. 43, al. 162, ad Glorium, Cap. 3, Ibid.
[6] Epist. XV., alias 57, ad Damasum Pap. edit. Migne.

dituros esse rationem, Nobis tamen cum omnibus cura communis est, neque cujusquam administratio non nostri laboris est portio; ut dum ad beati Apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiæ a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis majora debemus."[1]

45. Quæ cum ita sint, Nos reverenti profecto amore ac filiali obedientia suscipimus, ac, opitulante Deo, fideliter observabimus, ac a Nobis subditis observari curabimus, omnes et singulas Constitutiones Apostolicas, sive de fidei expositionibus ac declarationibus, sive de moribus ac disciplina tractent, quæ hactenus a Petri Cathedra emanaverunt, vel quæ deinceps in lucem edentur; atque quo hæ Constitutiones omnibus quorum intersit melius innotescant, illas, vel earum saltem summam promulgare diligenter satagemus, vel in hujus concilii Appendice, vel in Synodis nostris Provincialibus ac Diœcesanis, quæ in posterum celebrabuntur.

46. Cumque Pontifex Romanus Primatus sui munera et jura, ut plurimum, mediantibus Cardinalium Congregationibus exercet, mandant hujus concilii Patres omnes ejusmodi decisiones seu instructiones, quæ vel pro universali Ecclesia datæ sunt, vel res ecclesiasticas in horum statuum Provinciis sive Diœcesibus respiciunt, esse non solum debite publicandas reverenterque suscipiendas, sed rite et ad amussim ab omnibus observandas. Nam de iis disserens quæ sunt ab Ecclesia clare definita ac proinde de fide, deque aliis quæ licet non quidem de fide sint, tamen non sine temeritatis nota a Catholicis rejicerentur, hæc sapienter scribit Pius PP. IX.:

"Sed cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes Catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant

[1] S. Leo, Sermo 4, al. 5, c. 2, in anniversario assumpt. suæ.

utilitates, idcirco ejusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus Catholicis haud satis esse, ut præfata Ecclesiæ dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subjiciant tum decisionibus, quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ, ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ, quanquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram." [1]

Hinc Patres Concilii sentiendi et agendi rationem eorum rejiciunt et reprobant, qui omnia, quæ non expresse sunt definita quâ de fide Catholica, parvipendunt, atque opiniones tenent et propositiones ventilant, quæ a sensu Catholicorum communi alienissimæ sunt, ideoque scandalosæ et piarum aurium offensivæ.

47. Quamvis autem Romanorum Pontificum dominium temporale in Status Ecclesiæ, seu Petri Patrimonium, nec fuerit ab initio a Deo collatum, nec sit de Primatus essentia, attamen utilissimum, et in præsentibus rerum adjunctis quodammodo necessarium esse videtur, ad hoc, ut possit Pontifex Primatus sui jura et officia pro Ecclesiæ bono ubique terrarum libere exercere: quapropter perlubenter nos suffragia nostra totius Episcopatus Catholici votis addimus, quibus contra violentam Petri Patrimonii spoliationem sacrilegam alte fortiterque protestabantur. "Namque," uti ait Pius Papa IX., "ex omnibus totius Catholici orbis regionibus innumerabiles pene accepimus, tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cujusque dignitatis, ordinis, gradus, et conditionis, Litteras, etiam a centenis Catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam ergo Nos, et hanc Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, et rebellionem, ausus que in nonnullis Nostris

[1] Literæ ad Archiep. Monac. et Frising., datæ Dec. 21, 1863; de Conventibus Theologorum Germaniæ.

provinciis admissos, vehementer detestantes, beati Petri Patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni injuria defendendum esse contendunt."[1]

Nam "cum Catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectæ societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subjaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum, iis indigebat præsidiis, quæ temporum conditioni ac necessitati congruerent, idcirco singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum est, ut cum Romanum corruit imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiæ suæ caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quæ tantopere necessaria est, ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem, et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne Catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio, duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam 'propter potiorem principalitatem necesse est omnem ecclesiam convenire.'"[2]

"Infestissimi igitur Romanæ Ecclesiæ temporalis dominii hostes, civilem ejusdem Ecclesiæ Romanique Pontificis principatum, cœlesti quadam rerum dispensatione, et vetusta per tot jam continentia sæcula possessione, ac justissimo quovis alio optimoque jure comparatum, et communi omnium populorum et principum vel acatholicorum consensione, uti sacrum inviolatumque beati Petri Patrimonium semper habitum ac defensum, invadere, labefactare, ac destruere connituntur; ut

[1] Epist. Encyclica, Jan. 19, 1860. [2] Literæ Apost., Martii 26, 1860.

Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio, Apostolicæ sedis Romanique Pontificis dignitatem majestatemque deprimant, pessumdent, et liberius Sanctissimæ Religioni maxima quæque damna ac teterrimum bellum inferant, ipsamque Religionem, si fieri unquam posset, funditus evertant."[1]

Præclarissimis hisce Summi Pontificis verbis hujus Concilii Patres plenum præbuerunt mentis cordisque assensum.

48. Spectata demum inopia qua, ex sacrilega majoris et locupletioris partis Patrimonii sui spoliatione, laborat amatissimus Pater Pius Papa IX., æquum plane, dignum, justumque omnino esse reputamus, si Catholicus orbis universus, cujus bono spirituali totis viribus magnisque impensis die noctuque incumbit, illi in succursum perlubentissime veniat. Quapropter, ut etiam piæ hac in parte fidelium Nobis commissorum erga Pontificem devotioni faciamus satis, statuimus, ut in singulis horum Statuum ecclesiis, ubicumque existant, omnibus annis, Dominica infra octavam festi SS. Petri et Pauli, sive alio opportuno tempore, mandantibus locorum Ordinariis, quorum mandatum Dominica antecedente populo perlegetur a Pastore, fiant COLLECTÆ in subsidium Confraternitatis Sancti Petri; quarum summæ, et quidem ante festum Assumptæ in cœlum Beatissimæ Virginis Mariæ, ab Ordinariis respectivis locorum ad Metropolitas mittantur, qui illas quamprimum ad Pontificis manus pervenire satagant; aut si uni vel alteri Ordinario magis placuerit, directe mittantur ad Summum Pontificem. Hæ autem Collectæ fient singulis annis per omnes nostras Provincias; donec summus Pontifex in jura sua feliciter restitutus, vel alia ratione a divina Providentia sublevatus, amplius ejusmodi haud indigeat auxilio.

[1] Allocutio in Consist. Secreto, 20 Junii, 1859. Jam recitaverat easdem fere rationes, quæ in parte superius extracta suppeditantur.

CAPUT II.

De Hierarchia docente et regente.

49. Quo Ecclesiæ suæ unitati, integritati, ac perpetuæ durationi securius provideret Christus Dominus, in ea constituit Hierarchiam sacram, Episcopos, Presbyteros, et Ministros complectentem;[1] "ad consummationem" nimirum "sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi,"[2] "quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis."[3] Ordinibus vero superioribus alii etiam gradus ministerii inferiores sunt additi, ut melius dispensationes mysteriorum omnes ad Dei honorem populique fidelis ædificationem ordinarentur. "Hac enim certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur, et regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur; et ex multis et alternæ dignitatis membris unum corpus Christi efficitur."[4]

"Si quis" autem "dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos, sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, esse irritos; aut eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit."[5]

50. Auctoritas quippe Ecclesiæ, a Christo ipso Domino instituta pro salute hominum promovenda, in omnibus illis definiendis moderandisque quæ fidem, mores, Ecclesiæque

[1] Definitio Concil. Trid., Sess. xxiii., canon 6.
[2] Ephes. iv., 12.
[3] I. Timoth. iii., 15.
[4] Pontificale Roman., in ordinatione Presbyteri.
[5] Concil. Trid., Sess. xxiii., canon 7.

ipsius regimen ac disciplinam respiciunt, est prorsus divina, atque nullatenus a civilis potestatis nutu seu arbitrio pendet. Huic enim Ecclesiæ Christus Dominus, qui est ejusdem Caput supremum, plenam docendi, judicandi, ac regendi contulit potestatem, eique, Suo nomine, docenti ac regenti ita sua præsentia ac adsistentia ad usque consummationem sæculi adfuturum se promisit,[1] ut nunquam adversus eam, in petræ soliditate fundatam, portæ inferi prævalere possent.[2] Episcopi igitur, qui sunt successores Apostolorum, quosque "Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo,"[3] una cum suo in terris capite, Romano scilicet Pontifice, Petri successore ac Vicario Christi, consentientes ac judicantes, sive in conciliis generalibus congregati, sive per orbem terrarum sint dispersi, ita dono inerrantiæ divinitus sunt prædití, ut nec a fide possit eorum corpus seu collegium unquam deficere, nec quidquam contra doctrinam a Deo revelatam possit definire: secus enim, homines, pro quorum salute Christus Ecclesiam instituit suumque profudit sanguinem, omni quoad fidem certitudine carerent, et erroris ac ruinæ æternæ periculo subjacerent; idque quidem Christi ipsius ordinatione, qui illis ut Ecclesiam audirent, ejusque ministris, tanquam Sibi ipsi obtemperarent, solemniter mandavit:—quod plane et Dei sapientiæ ac bonitati repugnat, totumque Christi consilium pro mundi redemptione destrueret, omnemque novæ legis œconomiam penitus subverteret.

51. Hæc est nimirum Ecclesia Dei, et varietate et unitate et divina plane soliditate mire distincta, quæ per orbem universum diffusa, omniumque nationum, sicut et omnium sæculorum, populos ulnis maternis complectens, et sub uno capite visibili in charitate ac integritate firmiter consistens, omnes, sicut præceperat Christus, adhuc docet nationes, omnibus easdem ubique ac semper doctrinas, eadem præcepta

[1] Matth. xxviii., 20. [2] Matth. xvi., 18. [3] Acta Apost. xx., 28.

divina, eadem sancta tradit sacramenta. Ab infimis ad summum per varios ministerii gradus mirabili plane ordine ascendentis, tota ejus constitutio imaginem unitatis ac divinitatis ita sibi exhibet impressam, ut nemo, qui animo humili ac sincero veram Christi quærit Ecclesiam, in errorem incurrere posse videatur. Hujus autem soliditatis basis, ac unitatis firmamentum a Petri Cathedra, quæ est totius ædificii petra angularis ac inconcussa, sunt repetenda. Nam vel ab initio Ecclesiæ, teste S. Hieronymo, "inter duodecim (Apostolos) unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio."[1]

52. "Atque hinc plane apparet, in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tanquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum Deus (ipse) vivam constituerit auctoritatem, quæ verum legitimumque cœlestis suæ revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei et morum infallibili judicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, ad circumventionem erroris. Quæ quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quæ a Christo Domino supra Petrum, totius Ecclesiæ caput, principem, et pastorem, cujus fidem nunquam defecturam promisit, ædificata, suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus Cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinæ, dignitatis, honoris, ac potestatis hæredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia,[2] ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur,[3] et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet,[4] ac præstat quærentibus fidei veritatem;[5] idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet hæc

[1] Ad Jovin., L. i., c. 14.
[2] S. Ambros., in Psal. xl.
[3] Concil. Chalced., Act. ii.
[4] Synod. Ephes., Act. iii.
[5] S. Petrus Chrysol. Epist. ad. Eutych., p. 38, Edit. Mansi.

Romana beatissimi Petri Cathedra, quæ omnium Ecclesiarum Mater et Magistra,[1] fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptæ veritatis doctrinam." [2]

53. "Est autem singulorum Episcoporum Cathedræ Petri fidelissime adhærere, depositum sancte religioseque custodire, et pascere qui in eis est gregem Dei. Presbyteri vero subjecti sint oportet Episcopis, quos 'uti animæ parentes suscipiendos ab ipsis esse,' monet Hieronymus: [3] nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere, 'sine sententia Episcopi, cujus fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur.' [4] Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus præstitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiæ, quantum in ipsis est, perturbare." [5]

54. Præclare autem de Ecclesiæ Dei libertate ab omni mundano imperio vel gubernio independenti, deque Ecclesiæ ipsius erga gubernium civile officiis, disserit Pontifex Nicholaus I., ad Michaelem Imperatorem scribens: "Vos autem, quæsumus, nolite præjudicium Dei Ecclesiæ irrogare; illa quippe nullum imperio vestro præjudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius æternam Divinitatem exoret, et pro incolumitate vestra et perpetua salute jugi devotione precetur. Nolite quæ sua sunt, usurpare; nolite quæ ipsi soli commissa sunt velle surripere, scientes quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo clericorum et militantium Deo

[1] Concil. Trid., Sess. vii., de Baptismo.
[2] Pii Papæ IX., Epist. Encyclica, 9 Nov., 1846.
[3] Ad Nepot., Epist. 2, a. 1–24.
[4] Ex Can. Apost., 38. Apud Labb. Tom. 1.
[5] Gregorii XVI., Epist., Encyclica, 15 Aug., 1832.

nullis convenit negotiis sæcularibus implicari. Denique hi, quibus tantum humanis rebus, et non divinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus. * * Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus."[1]

55. Quænam sit demum Ecclesiæ Catholicæ agendi ratio, quamque benefica sint et multiplicia ejus munera ac officia, præclaro præconio docet Augustinus: "Catholica Ecclesia non solum ipsum Deum, sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complectitur, ut omnium morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud illam ipsam medicina præpolleat. Ipsa pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exercet et docet. Ipsa fœminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam sobolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicit; et viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficit. Ipsa parentibus filios libera quadam servitute subjungit, parentes filiis pia dominatione præponit. Ipsa fratribus fratres Religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectit, omnemque generis proquinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis

[1] Epist. 8. in Collect. Regia, p. 171, A. D. 865.

naturæ voluntatisque nexibus, mutua charitate constringit. Ipsa dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docet adhærere; et dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum magis quam coercendum propensiores facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungit. Docet reges prospicere populis, monet populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus exhortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo docet, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria."[1]

CAPUT III.

De Conciliis Provincialibus.

56. Quam sint Ecclesiæ Catholicæ proficua Concilia Provincialia, quinam illis debeant interesse, qui sint fines illis celebrandis præstituti, et qua ratione sint convocanda ac habenda, satis indicat Sacrosancta Synodus Tridentina, antiquam Ecclesiæ legem et consuetudinem hac in parte renovans ac solemniter promulgans: "Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur. Quare Metropolitani per seipsos, seu, illis legitime impeditis, Co-episcopus antiquior intra annum ad minus a fine præsentis Concilii, et deinde quolibet saltem

[1] De Moribus Cath. Eccles., L. 1.

triennio, post octavam Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more Provinciæ, non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere; quo Episcopi omnes, et alii qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis quibus cum imminenti periculo transfretandum est, convenire omnino teneantur. * * * Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis interesse debeant, et quæ ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant."[1]

57. Quæ quidem omnia, ut ad amussim hisce in Provinciis observentur, statuimus. Conciliorum autem Provincialium, quæ in singulis nostris Provinciis celebrabuntur, erit promulgare ac executioni dare fidei sanctæ definitiones generalisque Ecclesiæ disciplinæ statuta, ac nominatim hujus Plenarii Concilii Decreta, postquam fuerint a summo Pontifice recognita ac emendata. Præcipuum quippe hujusmodi Conciliorum, sicut et Plenariorum, munus in eo consistit, ut non solummodo legum Ecclesiæ generalium in Œcumenicis Conciliis et Pontificiis Constitutionibus latarum promulgationi ac executioni efficaciter providere satagant, sed etiam ut abusuum per fragilitatem humanam contra easdem invectorum correctioni invigilent, ac fidei sanctæ principia ab Ecclesia definita contra novatorum machinationes sarta tecta tueantur; ne grex Christi, alimenti salutaris loco, errorum veneno inficiatur.

58. Quum vero membra capiti adhærere in omnibus sit necesse, quumque qui Pontificem Romanum audit Petrum audit, quique Petrum Christum ipsum Dominum audit, supremum scilicet Caput totius Ecclesiæ, quæ est Ejus corpus, sapientissime canonicis etiam sanctionibus est provisum, ut ejusmodi Conciliorum Decreta robur nullum habeant, donec

[1] Sess. xxiv., Cap. 2, de Reform.

Romani Pontificis judicio fuerint rata ac recognita.[1] Hac enim agendi ratione maxime elucet admirabilis Ecclesiæ unitas, cum a fonte ipso communi et perenni veritatis ac sanctitatis, "aquæ vivæ salientes in vitam æternam,"[2] in omnes vineæ Domini effluant partes, rivulisque suis salutaribus palmites omnes ita irrigent, ut "fructum afferant, fructusque eorum maneat."[3] Hinc nimirum est præsertim repetenda mira Ecclesiæ Catholicæ fertilitas, cum omnes "ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei"[4] in Eo, qui est "Vitis vera,"[5] tanquam palmites stipiti adhærentes, permaneant.

59. Quare studeant Metropolitæ ac eorum Comprovinciales Episcopi in Concilio congregati, ut, collatis consiliis, ea statuant Decreta, quæ, perspectis rerum adjunctis, magis in Domino illis idonea videantur ad doctrinas Ecclesiæ contra errores serpentes tuendas, ad mores fidelium sibi commissorum corrigendos; demum ad disciplinæ uniformitatem promovendam, ad tramitem disciplinæ generalis Ecclesiæ Catholicæ, prout in Pontificiis Constitutionibus ac in Conciliis generalibus declaratur ac definitur. Satagant vero præcipue, ut recentiores præsertim Summi Pontificis, qui est omnium Christianorum Pater et Doctor, Constitutiones et Literæ Apostolicæ ad omnium subditorum suorum notitiam quam citissime perveniant.

60. Provincialibus autem Conciliis debent interesse, primum, omnes Episcopi suffraganei; Diœcesium Administratores a Sancta Sede constituti, legitime absentium Præsulum Procuratores, necnon et ii qui sede vacante Diœceses regunt; demum, Vicarii Apostolici, qui intra Provinciæ limites juris-

[1] Vide Benedicti xiv. De Synod. Diœc., Lib. xiii., c. 3; ubi de Constitutione Sixti V. late discurritur.

[2] Joan. iv., 11, 14.

[3] Joan. xv., 16.

[4] I. Corinth. iv., 1.

[5] Joan. xv., 1.

dictionem exercent.[1] Hi omnes et soli, juxta jus commune, votum habent decisivum; deinde, cum voto consultativo, Episcopi auxiliares,[2] Capitulorum si quæ sint Cathedralium Procuratores, Abbates, Præpositi provinciales Regularium, Seminariorum majorum Rectores, si ita videatur Patribus; aliique omnes, qui de jure vel consuetudine vocandi sunt; "et demum, si qui sunt alii, qui, ut interessent, e re communi foret, aut quorum operâ Episcopi uti vellent."[3]

61. Concilii Provincialis Officiales a Metropolitano, consentientibus Patribus, seliguntur; nempe Promotores, Cancellarius, Notarii, Secretarii, Judices Excusationum, Judices Querelarum, Magistri Cæremoniarum, cæterique minores.

Testes quoque Synodales olim nominabantur. Horum testium officium gravissimum ab Innocentio III. in Concilio Œcumenico Lateranensi IV. præfinitum,[4] a S. Carolo Borromæo in Provincialibus suis Conciliis est renovatum, legibusque sapientissimis munitum: "Viri ecclesiastici ætate, moribusque graves, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, et spiritualis vitæ amantes, in Concilio Provinciali a Metropolitano ex unaquaque Diœcesi duo saltem, in Synodo Diœcesana ab Episcopo e Diœcesi suâ septem pluresve, prout expedire viderit, Testes Synodales deligantur."[5] Istorum

[1] Cum ejusmodi enim Vicarii, licet a S. Sede immediate pendentes, et charactere Episcopali sint insigniti, et jurisdictionem intra districtus præfinitos ex mandato Apostolico habeant ab Ordinariis locorum independentem, quæque jurisdictioni Ordinariæ quodammodo æquiparari videatur; cumque ejusmodi districtuum negotia spiritualia ac temporalia in Conciliis Provincialibus repræsentent, æquum profecto videretur, si voto polleant decisivo; quod etiam praxi ac consuetudine hisce in Provinciis firmatur.

[2] Nisi contigerit quod hi, aliive Episcopi Titulares sine ordinaria jurisdictione intra fines Provinciæ degentes, unanimi Patrum suffragio ad votum decisivum habendum admittantur; juxta decisionem, per summaria precum, a Sacra Concilii Congregatione, die 24 Aug., 1850, in Aquensi redditam. Ad quæsitum nempe, utrum ejusmodi Titulares "votum decisivum ferre in Concilio Provinciali possint ac valeant?" Respondit S. C. C.: "Negative, nisi omnes et singuli Episcopi consentiant."

[3] Concil. Colon., A. D. 1860.

[4] Liber V., Decret., Tit. 2, de Accus., Cap. Sicut olim.

[5] Acta Eccles. Mediol., p. 147, Edit. Lugdun. 1683.

erat munus, "discretas personas interrogando simpliciter et de plano, absque ulla jurisdictione," inquirere de modo quo in Diœcesi sua leges Ecclesiasticæ, Constitutionesque conciliares sive synodales observarentur, præcipue circa residentiam, verbi Dei diligentem prædicationem, divini cultus decus ac splendorem, sacramentorum rectam administrationem, animarumque debitam curam, præsertim vero parvulorum, a Pastoribus gerendam; et si quos notaverint abusus, vel quæ emendatione indigerent, ea omnia in scriptis Metropolitano vel Episcopo tenebantur referre, ante habitum Concilium Provinciale, sive Synodum Diœcesanam; ac deinde, post ejusdem inceptionem, examen coram Metropolitano vel Episcopo, ad ejusdem arbitrium, privatum de iisdem rebus subire debebant, omnibusque sibi propositis quæstionibus sincere simpliciterque respondere, singulaque fideliter referre, quæ ad gloriam Dei animarumque salutem promovendas magis ipsis videbantur in Domino opportuna.

At juxta Benedictum XIV., "Synodales Testes fere ubique desueverunt;" "in eorumque locum suffecti sunt Fiscales Episcopi et Vicarii Foranei."[1] Uti enim scribit sapientissimus idem Pontifex: "Mutantur in dies hominum mores, mutantur rerum circumstantiæ, et quod uno tempore utile erat, postea inutile, et quandoque perniciosum evadit. Prudentis autem Prælati est, in iis ad quæ superioris lege non adigitur, se loco et tempore accommodare, et quædam quæ olim in usu erant prætermittere, sicuti ad rectum suæ Diœcesis regimen magis expedire in Domino judicaverit."[2]

62. Inter mala gravissima quæ Ecclesiam Dei ubique terrarum ultimis hisce temporibus misere affligunt, permagnum sane præsidium in Episcoporum Conventibus, juxta sapientes Ecclesiæ leges ac praxim habitis, invenitur. Dum enim, Spiritu Sancto invocato, Episcopi consilia conferunt, se mutuo

[1] De Synod. Diœc., L. iv., c. 3. [2] De Synod. Diœc., L. v., c. 3, Num. 7.

solantur adjuvantque in opere Dei exequendo, et in providendis quæ efficacius animarum salutem promoveant. Nam, uti ait S. Carolus Borromæus, hujusmodi Conciliorum insignis patronus ac coryphæus, "natura et ratione ipsa ducimur, ut in gravioribus rebus deliberandis, aliorum consilia exquiramus, vel quod cautior deliberatio est, si ad nostrum judicium multorum sententia accesserit, vel quia apud illos, quibus consulere maxime cupimus, majorem auctoritatem et pondus habet consultatio, in quam plures consenserint."[1]

CAPUT IV.

De Synodis Diœcesanis; Deque Sacerdotum Pastoralium circa Quæstiones Theologicas Collationibus statutis temporibus habendis.

63. Sacrosanctum Tridentinum Concilium hac super re legem declarat Ecclesiæ generalem hisce verbis: "Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur; ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur; ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse."[2]

64. Utilissimas autem esse Diœcesanas Synodos, quum ex canonicis præscriptionibus, tum ex eo constat, quod præclaræ doctrinæ et sapientiæ Pontifex Benedictus XIV. de iis opus eximium et eruditione ecclesiastica refertum ediderit, in quo tamen singulari qua eminebat moderatione scribit: "Non idcirco tamen illis assentimur qui eas absolute necessarias

[1] Act. Eccl. Med., Ed. cit. p. 49. [2] Sess. xxiv., Cap. 2. De Reform.

affirmant: quemadmodum enim Concilia Generalia, quamvis summopere utilia, non sunt tamen absolute et simpliciter necessaria pro Ecclesiæ universalis regimine, * * * ita Episcopales Synodi, etsi maximæ fructuosæ, non tamen absolute necessariæ dicendæ sunt pro recta Diœcesium administratione, cum alii suppetant modi assequendi eundem finem, ad quem Synodi tendunt."[1]

65. De fine vero Diœcesanis Synodis præstituto disserens, idem Pontifex his utitur verbis: "In Synodis redintegratur unitas, studetur corpori in sua integritate conservando; ubi ea, quæ in Visitatione non dabatur exequi, executionem studiis communibus assequuntur; ubi de capite et membris, de fide et pietate, de Religione et cultu divino, de moribus et disciplina, de obedientia, de judiciis et rebus omnibus ad bene et Christiane vivendum commodis et necessariis tractatur atque statuitur."[2] Et S. Carolus Borromæus: "Est generalis quædam Visitatio Synodus; alias enim per annum particulares quasdam ecclesias duntaxat visitamus, hic vero generatim sacerdotes omnes et clericos, atque in ipsis suo etiam modo populos eis commissos."[3]

66. Præter sacerdotes curam animarum habentes, sive sint Sæculares sive Regulares, omnes etiam in dignitatibus quibuscumque constituti, rectores etiam Seminariorum, hujusmodi Synodis interesse debent. In iis autem solus Episcopus est legislator ac judex, qui proprio nomine leges synodales fert ac promulgat. Etsi vero Constitutiones sola sua auctoritate, ac sine prævio cleri vel capituli consensu ac suffragio possit statuere Episcopus, decet tamen, ut prius omnium Synodalium sententiam exquirat, patienterque audiat ac diligenter consideret; ut quod omnium consensu perficitur majorem sibi conciliet sanctionem, faciliusque efficaciusque executioni mandetur.

[1] Synod. Diœc., L. 1, c. 2, N. 5. [2] De Syn. Diœc., L. 1, c. 2, N. 2.
[3] In Allocut. in Synodo xi., Acta Eccles. Mediol. sup. cit.

67. Quod si, ob locorum distantiam aliaque peculiaria rerum adjuncta, magno foret incommodo Synodum quotannis celebrare, curent Episcopi, ut saltem post habitum ac a Sancta Sede recognitum Concilium Provinciale sive Plenarium, quam levissima interposita mora, Synodum convocent Diœcesanam, in qua Statuta Provincialia seu Plenaria omnibus promulgentur, atque executioni dentur.

68. In succursum Synodorum Diœcesanarum venient, vel earundem rarioris celebrationis defectum quodammodo supplere poterunt, sacerdotum de rebus Theologicis frequentes Collationes; quæ scientiæ sacræ rudimenta in omnium mentibus conservent, praxim sanam ac uniformem pro animarum directione promoveant, intellectus inertiam depellant, ac abusus eliminandi opportunam præbeant occasionem. In votis autem valde habemus, ut pro civitatibus, ubi facile convenire poterunt sacerdotes, quater in anno, vel in feriis secundis hebdomadas Quatuor Temporum antecedentibus, vel aliis diebus ab Ordinariis accurate designandis; in districtibus vero ruralibus, ubi difficilius possent in unum venire, bis saltem in anno hujusmodi habeantur sacerdotum conventus; quibus omnes curam gerentes animarum, sive sint Sæculares sive Regulares, adsistere debeant. Normam etiam statuant Episcopi pro hisce cœtibus tenendis; materiasque suggerant in iisdem pertractandas, quæ deberent esse potius ejusmodi quæ ad praxim spectent, quæque ad animarum salutem promovendam magis idoneæ judicentur.

69. Quæ hactenus sunt tradita, tam de Synodis Diœcesanis quam de sacerdotum Collationibus, non tantum sunt quoad omnia canonicis sanctionibus ac Ecclesiæ Catholicæ et spiritui et praxi consentanea, sed etiam verbis gravissimis a Summo Pontifice Pio IX. Episcoporum sollicitudini sunt nuper inculcata. Imperii enim Austriaci Antistites alloquens, hæc scribit Pontifex: "Nec dissimilem diligentiam impendite in

Diœcesanis Synodis juxta sacrorum canonum normam celebrandis, ea præcipue statuentes, quæ ad majus cujusque Vestræ Diœcesis bonum spectare pro Vestra prudentia duxeritis. Ne vero in sacerdotibus, qui doctrinæ et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ministrandi sacramenta, sacrarum disciplinarum studium unquam restringatur, aut languescat industria, optatissimum Nobis est, ut a Vobis, ubi fieri possit, in omnibus Vestrarum Diœcesium regionibus, instituantur opportunis regulis Congressus de morum præsertim Theologiâ, ac de sacris Ritibus, ad quos singuli potissimum Presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositæ a Vobis quæstionis explicationem, et aliquo temporis spatio a Vobis præfiniendo inter se disserere de morali Theologiâ, deque sacrorum Rituum disciplina, postquam aliquis ex ipsis Presbyteris sermonem de sacerdotalibus præcipue officiis habuerit."[1]

CAPUT V.

De Consultoribus, Vicario Generali, Archidiacono, cæterisque Episcopi Officialibus.

70. Quum Episcopi, hisce præsertim in Provinciis, sint adeo laboribus onusti, curisque in Diœcesana administratione tam in temporalibus quam in spiritualibus distenti, ut gravibus quibus incumbunt muneribus rite adimplendis vix soli sufficiant, in adjutorium suum sacerdotes pietate, zelo, prudentia, ac doctrina conspicuos vocare oportet, qui consiliis sapientibus eos adjuvent, nonnihilque gravissimi oneris ac sollicitudinis Episcopalis in humeros suos libenter suscipiant.

[1] Encyclica, ut sup., 17 Martii, 1856.

Hujusmodi quippe agendi ratione, secundus ordo sacerdotalis ordini primo in succursum venit, communique omnium consensu ac suffragio et unitas administrationis firmatur, et omnia suavius fortiusque, ad majorem Dei gloriam animarumque salutem, peraguntur.

71. Quapropter Concilii Plenarii Baltimorensis primi Patres,

Hortandos Episcopos censuerunt, ut, ubi fieri poterit, in suis Diœcesibus aliquos sacerdotes ætate, scientia, integritate, et rerum agendarum peritia conspicuos seligant, quos Consultores constituant, et quorum sententias in administratione Diœceseos, cum opus fuerit, exquirant. Laudandam etiam censuerunt consuetudinem alicubi vigentem singulis saltem mensibus, die determinato, illos convocandi, ut quæ ad Diœcesim pertinent discutiantur.[1] Visum est etiam Patribus valde expedire, ut in unaquaque Diœcesi Cancellariam statuat Ordinarius, pro faciliore rerum ecclesiasticarum administratione, et ad stabilem in iis negotiis agendi normam consequendam.[2]

72. "In Ecclesia (Romana) alii sunt Vicarii Generales Episcoporum, alii Vicarii Foranei, et alii Officiales."[3] Vicarius Generalis, ab Episcopo designatus, eandem cum eo moralem gerit personam, eandemque ecclesiasticam constituit curiam; atque cum sit Archipresbyter, omnes alios in Diœcesi Presbyteros et dignitates præcellit. Nihil tamen potest sine Episcopi delegata potestate; nec, juxta Sanctæ Sedis Instructionem ultimam, potest uti facultatibus extraordinariis, nisi per unum integrum diem Ordinarius absens sit futurus.

73. Uti præcipit Sacrosancta Tridentina Synodus: "Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in Theologia, seu doctores, aut licentiati in Jure Canonico."[4] Eorum est, Episcopis non solum in functionibus solemnibus peragendis, sed etiam in aliis obeundis administrationis suæ muneribus, præsto esse, alacresque adesse adjutores.

[1] Balt. Num. 83. [2] Ibid., Num. 84.
[3] Concilium Prov. Libanense, A. D. 1736, celebratum: edit. Romæ, 1820, p. 206.
[4] Sess. xxiv., c. 12; De Reform.

74. Præter Vicarium Generalem, poterit Episcopus, magno Religionis bono, quosdam etiam designare Vicarios particulares, cum facultatibus delegatis plus minusve extensis, qui *Vicarii Foranei*, seu *Decani Rurales* vocantur, quique districtibus sibi ab Episcopo adsignatis præsint, juxta normam ab eo tradendam. Horum erit, infirmis sacerdotibus intra suum degentibus territorium impendere curam, mortuorumque exequiis adsistere; sacerdotibus junioribus ac minus peritis suis adesse consiliis; Collationibus sive Congressibus sacerdotum pro rebus theologicis discutiendis præsidere; ecclesiarum ac bonorum ecclesiasticorum custodiæ et conservationi invigilare; demum, Episcopo, seu ejus Vicario Generali, quæ emendatione egere videantur singulis annis, vel sæpius si fuerit opus, referre. Ejusmodi Vicarios constituendos ab Episcopis, statuit S. Carolus Borromæus: "Ut Episcopus in urbe, etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri et curare possit, deligat aliquot probatos sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarii Foranei nomine, tribuat certas regiones Diœcesis suæ. * * Hi autem Vicarii regionis sibi per Episcopum commissæ presbyteros cujuscumque conditionis curam animarum habentes, semel singulis mensibus modo in unam, modo in aliam ejus regionis parochialem ecclesiam cogant, idque in orbem eodem ordine semper faciant. * * * Deinde conferant inter se, quæ ad boni pastoris officium, et ad curam animarum recte gerendam pertinent; et consulant de difficultatibus et incommodis suæ parochiæ, quorum explicatio vel remedium aliorum consilium et operam requirat." [1]

75. Præter Secretarium et Cancellarium, necnon et Notarium quandocumque pro documentis conficiendis testimoniisque muniendis, actis Synodalibus, aliisque hujusmodi instrumentis firmandis erit opus, valde in Episcopi solatium Ecclesiæque utilitatem verteret, si etiam Œconomum, seu

[1] Acta Eccles. Mediol., sup. cit., p. 21.

in temporalibus rebus gerendis Procuratorem, laicum sive clericum nominaret, cujus foret muneris domus Episcopalis curam in temporalibus habere, necnon et ecclesiarum bonorumque ecclesiasticorum ad nutum Episcopi temporalem gerere administrationem, eidemque statutis temporibus omnium sibi commissorum districtam reddere rationem. Cum enim, dicente Apostolo Paulo ad Timotheum Episcopum scribente, "Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit;"[1] profecto deberent Episcopi, in quos incumbit "sollicitudo omnium ecclesiarum,"[2] quibusque "non est æquum derelinquere verbum Dei et ministrare mensis," potius vero "orationi et ministerio verbi instantes esse,"[3] ita in omnibus Diœcesium suarum ordinare administrationem, ut curis rerum temporalium haud nimis distenti, liberiores sint qui muneribus spiritualibus pro animarum salute procuranda vacent.[4]

76. Juxta Tridentini Concilii præscriptum, "Examinatores singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant,

[1] II. Tim. ii., 4. [2] II. Cor. xi., 28. [3] Act. Ap. vi., 2, 4.

[4] Juvat his adjicere, quæ S. Carolus Borromæus, de Adjutoribus ab Episcopo sibi assumendis in temporalium gerenda administratione, sapienter statuit:

"Œconomus exactionibus reddituum Archiepiscopalium, et patrimonialium et pensionum, fideliter ac diligenter operam navet, juxta mandati rationem, quod ab Illus^mo Domino Episcopo accepit. Pari ratione litibus conservationibusque jurium mensæ, locationibus item instaurationibusque possessionum necessariis sedulo incumbat." Act. Eccles. Mediol., p. 719, col. 2.

Et iterum: "Sacrosancti Concilii Chalcedonensis Canon, (Act. xv., Can. 2,) jubet, ab Episcopo Œconomum deligi et constitui, qui Ecclesiæ Cathedralis prædia, bona, resque de illius sententia et arbitrio administret, ut non modo illa non dissipentur, sed testis sit rectæ administrationis et dispensationis. Id ut a Provinciæ nostræ singulis Episcopis servetur, hoc decreto statuimus: nec vero solum, quo bonorum ecclesiæ rectæ administrationi ad illius Concilii præscriptum consulatur, verum etiam quo studiosius Episcopus, cum census, supellectilis, bonorumque curatorem administratoremque habuerit, in rerum spiritualium officiis, quæ episcopalis muneris propria sunt, ipse omni consideratione totoque animo incumbat." Ibid., Concil. v., Prov. p. 231, col. 1.

Demum: "Episcopus Procuratorem Advocatumque constituere omni ratione curet, qui in bonorum juriumque ecclesiasticorum recuperationem incumbat." Ibid., p. 83, col. 1.

et ab ea probentur."[1] Quamvis autem Examinatorum munus ad ea quæ Parochiales Concursus respiciunt, qui hisce in Provinciis haud adhuc obtinent, præcise spectet, tamen ad examina etiam, quæ sacrorum Ordinum collationem facultatumque confessiones excipiendi concessionem debeant præcedere, jure merito extendi poterit, necnon et ad Literas Testimoniales exarandas quæ Episcopo sint prævie tradendæ. Hinc nominandos esse ejusmodi Examinatores in Diœcesanis Synodis vel cleri Conventibus consulimus. Ob sacerdotum vero hisce in Provinciis inopiam, poterunt etiam inter Consultores Episcopi numerari, de quibus in Decreto superiori erat mentio.

77. Demum, ex eorundem Consultorum numero, si Episcopo videatur, seligantur Judices Causarum, qui sacerdotes criminis postulatos in prima instantia, ex Episcopi delegatione, judicent; juxta normam quæ in Concilio Provinciali Sancti Ludovici, anno 1855 habito, a Sancta Sede recognitam, præscribebatur, quamque legis esse communis statuunt hujus Plenarii Concilii Patres. Decretum autem prædictum est hujusmodi:

"Sacerdotes quibus per Ordinarii sententiam sacerdotii exercitium interdictum fuerit, nullum jus habent ad sustentationem ab eo petendam, cum ipsi se sua culpa missionibus operam navandi incapaces reddiderint. Ut autem omnis causa querelarum tollatur, censent Patres omnino expedire, ut Ordinarii, in causis criminalibus clericorum aut presbyterorum, servent certam judicii formam, quæ ad illam a Concilio Tridentino[2] præscriptam quam proxime accedat; scilicet, ut Episcopus, seu ejus Vicarius Generalis, de ipsius commissione, duos ejusdem Episcopi Consultores, nec semper eosdem eligat, qui ei presbyterum criminis postulatum judicaturo, coram Notario tamen ipsius Episcopi, assistant. Unum autem sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo, seu ejus Vicario, discordes fuerint, tertium tunc ex prædictis suis Consultoribus ipse eligat, et

[1] Sess. xxiv., cap. 18; De Reform.

[2] Sess. xxv., c. 6; De Reform.

juxta eam partem, cum quâ tertius convenit, causa terminetur. Si autem contigerit omnes Consultores, ab Ordinario electos, ab ejus sententia dissidere, tunc ad Metropolitanum causa referri debet, qui sententiarum motiva expendet et judicium feret. Quando autem quæstio erit de subdito Metropolitani criminis postulato, et omnes Assessores Metropolitani ab ejus sententia dissenserint, tunc appellatio fiat ad seniorem Episcopum comprovincialem, cujus sententia finalis erit, salvis semper Sedis Apostolicæ privilegiis et auctoritate."

TITULUS III.

De Personis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De metropolitis.

78. Metropolitæ nomen originem ducit a principaliori provinciæ civitate, quæ metropolis, quasi cæterarum urbium mater, vocabatur. Officium autem Metropolitæ vel ab ipsis temporibus repeti potest Apostolorum, qui latiorem Episcopo in insigniori urbe constituto jurisdictionem tribuebant. Quod ex verbis D. Pauli ad Titum scribentis satis liquet: "Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi."[1] Sic etiam, ut ex historiæ ecclesiasticæ monumentis apparet, Timotheus Ephesi,[2] aliique aliis in locis constituti sunt, qui cæteros earum regionum Episcopos et dignitate anteirent, et in eos jurisdictionem ecclesiasticam exercerent.

79. Metropolitæ dignitatem et potestatem vetus concilium his verbis commemorat: "Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit, eum et honore præcellere, et nihil amplius præter

[1] Tit. I., 5.

[2] I. Tim. i., 3; v., 19.

eum cæteros Episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam . . ."[1] Quemadmodum autem Episcopi cujusvis provinciæ Metropolitano Episcopo subjiciebantur, ita Metropolita ipse Romano Pontifici, sive directe, sive indirecte, interveniente nempe Primate aut Patriarcha, subdebatur; adeo ut ab ipsius incunabulis Ecclesia Christi formam unius ovilis sub regimine unius Pastoris,[2] Vicarii scilicet Christi, exhibuerit. Miram hanc Hierarchiæ Catholicæ in media diversitate uno capiti cohærentem unitatem optime sane perstrinxerunt Concilii Montis Libani Patres, quorum hic juvat ponere verba, ut vox ab una orbis terrarum parte emissa in aliam etiam resonet extremitatem:

80. "Etsi ratione ordinis omnes episcopi sint æquales, at ratione jurisdictionis nonnulli sunt aliis superiores. Primum autem in ea prælatorum subordinatione locum tenet Romanus Pontifex, utpote Christi Domini ac Dei nostri in terris Vicarius, et Petri Apostolorum principis in potestate super universam Ecclesiam ejusque prælatos successor; alterum locum tenent Patriarchæ; tertium Primates seu Catholici, qui et Exarchæ; quartum Metropolitani, sive Archiepiscopi; ultimum Episcopi simpliciter dicti. Nam Ecclesiæ a se institutæ Apostolos Christus Dominus, et Apostolis Petrum præfecit; Episcopi autem in locum Apostolorum succedentes, distributis per orbem terrarum ecclesiis præsunt, iisque omnibus præest qui Petro in Romana Cathedra succedit. Ut autem unus alteri Episcopus subesset, ex eo factum est, quia etsi ab ipsis Ecclesiæ incunabilis, quum exiguus esset credentium numerus, pauci Episcopi reperirentur, iis tamen semper aliquis major Episcopus superpositus fuit, quemadmodum Apostoli præerant illis Episcopis quos ipsi in diversis urbibus consecraverant.

"Ecclesiasticarum Diœceseon in Episcopales, Metropolitanas, Primatiales, et Patriarchicas divisio, etsi non quoad nomen, certe quoad rem et potestatem, ipsa Apostolorum tempora attingit, et ad S. Petrum, Apostolorum principem, non immerito refertur. Nam Apostolicis temporibus, Romani imperii, quod

[1] Conc. Antioch., an. 341, Can. 9. Concil. Coll , ed. Harduin I., col. 596.
[2] Joan. x., 16.

Europam, Africam, et Asiam obtinebat, tres primariæ urbes erant: Roma scilicet, totius mundi Caput et Regina; Alexandria, Ægypti et Africæ Metropolis; et Antiochia, totius Orientis et Asiæ Mater. Idcirco beatissimus Petrus, cui Ecclesiæ universæ regimen a Domino commissum fuerat, Romam sibi sedem elegit. Reliquis duabus civitatibus, Alexandriæ nimirum et Antiochiæ, Episcopos præfecit, qui tanquam ipsius Vicarii et Administri vastissimas illas Diœceses regerent. Horum autem præsulum commune ab initio Episcopi seu Principis Sacerdotum nomen fuit; re tamen ipsa, potestate atque jurisdictione id unusquisque erat, quod subsequutis temporibus excogitata nomina clarius significarunt, Patriarchæ scilicet, Primatis, et Metropolitani: nam qui Episcopos sibi subjectos habebat, Metropolitanus; qui Episcopos et Metropolitanos, Primas; qui demum Primates, Metropolitanos, et Episcopos, Patriarcha sequiori ævo dictus est."[1]

81. Varia fuit variis temporibus Metropolitarum jurisdictio; plura enim iis olim jura competebant, quæ nostris temporibus aut desuetudine abrogata, aut positiva Ecclesiæ lege coarctata et certis limitibus circumscripta fuerunt. Ad quinque fere reducuntur jura, quæ ex hodierna Ecclesiæ praxi Metropolita in suffraganeos exercet:

I. Comprovincialem Episcopum non residentem, et ultra tempus a sacris canonibus concessum cum contumacia absentem, tenetur intra tres menses per literas seu nuntium Sedi Apostolicæ denuntiare; ipsum vero Metropolitam similiter absentem antiquior provinciæ Episcopus denuntiare tenetur.[2]

II. Suffraganeos unoquoque saltem triennio ad Concilium Provinciale convocat; Metropolita autem legitime impedito, coepiscopus antiquior id præstabit.[3]

III. Negligentiam suffraganeorum in casibus a jure statutis supplet.[4]

[1] Concil. Prov. Libanensis; Romæ, 1820, pp. 213, 214.

[2] Conc. Trid., Sess. vi.; De Reform., Cap. 1.

[3] Ibid., Cap. 2.

[4] Cap. 8, de Offic. Jud. Ordin. Cap. 7, de Sent. Excom. in 6to. Vide etiam: Cap. 1. de censibus § notoria, in 6to. Conc. Trid., Sess. xxiv.; de Ref., Cap. 3. Ibid., Cap. 16. Cf. Decreta S. Congr. Concil., 19 Dec., 1569, et Nov. 1590, apud Zamb. Coll. Decl. S. Cong. Conc., Tom VI., p. 63.

IV. Appellationes a sententia suffraganeorum, juxta regulas a sanctis canonibus definitas, recipit.

V. Metropolitæ licet ubicumque per Provinciam crucem, jurisdictionis suæ insigne, præ se ferre, populo benedicere et Pallio uti, quotiescumque in Ecclesia Metropolitana illa uti posset.[1]

CAPUT II.

De Episcopis.

82. Episcopos "posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo."[2] Omnem vero sacerdotii plenitudinem in se continet Episcopatus. Dubitari enim nequit Filium Dei, humanæ naturæ consortem factum, universam a Patre accepisse sacerdotii plenitudinem; eamdemque in sinum Patris reversurum Apostolis suis infudisse. "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos."[3] Quumque Episcopatus nihil aliud reapse sit, quam ipsum Christi sacerdotium, per Apostolos in Ecclesia propagatum, totam, quanta est, sacerdotii plenitudinem complectatur necesse est. Scribit Ignatius Martyr: "Revereantur omnes Episcopum ut Jesum Christum existentem Filium Patris."[4] S. Cyprianus ex æquo Episcopis omnibus idem tribuit sacerdotium: "Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur."[5]

83. Potestas Episcopalis alia est ordinis, alia jurisdictionis. Quæ ordinis est characterem Episcopalem postulat, nempe consecrationem. Quæ jurisdictionis est ecclesiæ administrationem respicit; et ab Episcopo per summum Pontificem confirmato, quamvis nondum consecrato, exerceri potest.

[1] Clementin., Cap. 2; Archiepiscopo de Privileg.
[2] Act. Ap. xx., 28.
[3] Joan. xx, 21.
[4] Ep. ad Trall.
[5] De Unitate Eccles.

84. Episcoporum officium, quod oneris potius quam honoris loco pii homines semper habuerunt, adeo arduum est, ut vix ullus inter mortales reperiri queat, qui illud digne, id est, perfecte et absolute exequatur. Laboriosissimum quippe est onus, quodque ob innumera fere pericula et molestias vel Angelorum humeri ferre recusent. Diligentissime igitur perpendat Episcopus, Cujus in locum suffectus sit, qua dignitate et potestate fruatur, quot præstantissimarum rerum sibi curam demandatam habeat, et quam districtam suscepti muneris rationem summo Judici reddere aliquando debeat. Noverit se exemplar esse in monte positum, id est, in loco alto ac sublimi collocatum, ad cujus normam cæteri homines mores suos vivendique rationem componant oportet. Imprimis, domui suæ bene præsit, eamque probe, recte, laudabiliter regat: secus enim quomodo Ecclesiam Dei ea, qua decet, prudentia, consilio, ac sapientia moderetur?[1] A terrenis negotiis et lucris turpibus abhorreat, sitque totus divinis negotiis mancipatus.[2] Eorum vero, quos Christus carissimos sibique conjunctissimos habet, pauperum scilicet, curam gerat singularem. Iisdem et peregrinis, omnibusque indigentibus affabilem ac misericordem se præstet,[3] eorumque mala et ærumnas omni officiorum genere levet. Subditos suos, ex humana fragilitate in vitia lapsos, non minis et imperio terreat, non torvo vultu aut acerbo sermone repellat; sed, Boni Pastorum Principis exemplo, quasi oves amissas lætus excipiat et ad domum Patris gaudens reducat. Arguat quidem,[4] ut par est, et increpet; sed obsecret simul in omni patientia, mansuetudine, et bonitate. Sæpe enim, ut loquuntur Tridenti Patres, " plus erga corrigendos agit benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus

[1] I. Tim. iii., 5.
[2] Pontif. Rom., Cons. Ep., in Exam.
[3] Ibid.
[4] I. Tim. iv., 2.

fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populi salutaris ac necessaria conservetur; et qui correcti fuerint, emendentur, aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur: cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere."[1]

85. Gravitate muneris sui et dignitate non ad superbiam animo fovendam, sed ad humilius demissiusque de se sentiendum moveatur. Fastum et inanem hujus mundi pompam contemnat, et a se domoque et familia sua procul arceat; neque specie tuendæ dignitatis vana et splendida sectetur. Dignitatem enim suam non auget sed minuit Episcopus, qui divites et potentes sæculi luxu et magnificentia æmulari studet. Omnia sacris canonibus et lege, non arbitrio moderetur; neque, quod vetat Apostolus,[2] ad morem dominantis in cleris se gerat: sed potius forma fiat gregis ex animo, et quanto cæteros loco antecedit, tanto majori humilitate se deprimat, ut omnibus serviat ac prosit, omnes Christo lucrifaciat. Eum imitetur,[3] qui cum Dominus esset ac Magister, non tamen ministrari venit sed ministrare, omniumque servus fieri voluit, ut omnibus redderet amissam filiorum Dei libertatem. Quotidie in mentem revocet ac meditetur Episcopus ea plurima et maxima, quæ ab ipso postulat Apostolus;[4] ut sit nempe sine crimine, irreprehensibilis, sobrius, prudens, gravitate et modestia ornatus, pudicus, hospitalis, domui suæ bene præpositus, benignus, justus, sanctus, fidelis et orthodoxi sermonis sectator, potens exhortari in doctrina sana; is denique, qui in omnibus se bonorum operum exemplum

[1] Sess. xiii.; de Ref., Cap. 1.

[2] I. Pet. v., 3.

[3] Joan. xiii., 13; Matt. xx., 28.

[4] I. Tim. iii., 2-4. Tit. I., 7-9; II., 7.

præbeat. Verbo, Sanctus ille Spiritus, quem aliis per sacramenta impertiendum ipse accepit, totum hominem perfundat, interiora ejus repleat, exteriora circumtegat.[1]

86. Meminerint Episcopi se Diœceses suas frequenter ac regulariter visitare districte teneri, non solum ut Confirmationis Sacramentum statutis temporibus administrent, verum etiam ut gregem sibi creditum bene cognoscant, eaque omnia, quæ spirituale ejus bonum promoveant, melius providere possint. Quod si ob locorum distantiam et ecclesiarum numerum, quotannis haud possint omnes visitare ecclesias, visitent saltem principaliores et quæ sint urbi Episcopali propiores, eaque ratione visitationem ordinent, ut omni biennio, juxta Tridentini præscriptum,[2] vel si id fieri nequeat, omni saltem triennio singulas diœceseos perlustrent partes. Gravissimum vero hoc munus episcopale haud præpropere vel perfunctorie, sed omni adhibita diligentia, ac zelo animarum ducti, perficiant; de iis omnibus solerter et de plano inquirentes quæ in Pontificali Romano præscribuntur.

87. Causæ criminales graviores contra Episcopos, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ex Tridentino Concilio,[3] Summi Pontificis judicio reservantur.

88. Minores vero criminales causæ Episcoporum in concilio tantum Provinciali, vel a deputandis per concilium Provinciale, cognoscantur et terminentur.[4]

Sequentia prædecessorum nostrorum decreta, quibus Episcoporum pro gregibus sibi commissis sollicitudo excitatur, ipsisque graviora quædam sui muneris officia in memoriam revocantur, confirmare atque iterum promulgare placuit:

89. Cum ex Apostolico indulto consueverint plerumque clerici sæculares ordinari, in his Fœderatis Provinciis titulo missionis, monemus episcopos ut eos tantum eo titulo ad sacros ordines evehant, qui idonei sacris missionibus vide-

[1] Pontif., Rom., post unct. consecr. in Epis.

[2] Concil. Trid., Sess. xxiv., Cap. 3; de Ref.

[3] Sess. xxiv.; de Ref., Cap. 5.

[4] Concil. Trid., loco citato.

antur, vel alias religionis profectui, episcopi judicio, inservituri, emisso prius jurejurando se perpetuo missioni, cui deputantur, operam daturos.[1]

90. Ne sacerdotes, cum sacri ordinis dedecore, mendicare, vel egestatem pati cogantur, episcopos hortamur, ut fideles moneant muneris quo tenentur, eis præcipue qui in verbo et doctrina laborant, congruam sustentationem suppeditare. Quod si ægritudine, vel casu aliquo jam non valeant sacris fungi muneribus, ne afflictis addatur afflictio, curent ut ea subsidia quæ necessaria judicaverint, ipsis a fidelibus quibus inservierint subministrentur. Si autem congregatio, cui inservierit sacerdos ægrotus vel alias impeditus, fuerit adeo inops ut nequeat hujusmodi subsidia suppeditare, episcopos hortamur ut, ea qua fieri possit ratione, aliorum sacerdotum et fidelium charitatem ad iis succurrendum excitent. Cupimus autem maxime ut in singulis diœcesibus, episcopi, quamprimum commode potuerint, sacerdotum ipsorum adhibito consilio et opera, certum quemdam modum et stabilem statuant, quo infirmis, vel ætate provectis, vel alias impeditis, provideatur. Indignis autem sacerdotibus, vel qui legitimæ suorum episcoporum auctoritati repugnaverint, vel qui æs ad fundum hujusmodi generalem conferre recusaverint, hoc decretum prodesse nolumus.[2]

91. Monitos volumus præsules omnes qui aliqua ex causa e suis diœcesibus ad tempus recedunt, "legitimæ absentiæ causas, (juxta Tridentini Concilii Decretum, Sess. xxiii., Cap. 1, de Ref.,) a beatissimo Romano Pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere."[3]

92. Commendamus Episcopis libros habere in quibus accurate recenseantur ordinationes, clericorum ex aliis diœcesibus in suas coöptationes, designationes pastorum, tituli

[1] Balt. 40. Pius PP. IX., die 3 Octobris 1852, benigne concessit singulis Fœderatarum Provinciarum episcopis facultatem, a die prima Januarii 1853 ad quinquennium duraturam, promovendi clericos titulo missionis ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive. Postea extensa est hæc facultas, uti inferius videre erit.

[2] Balt., 41.

[3] Ibid., 82.

ecclesiarum, aliaque omnia quæ ad statum ecclesiasticum respiciunt.[1]

93. Censuerunt Patres orandam esse S. Sedem ut declarationem edat pro Statibus Americæ Septentrionalis Fœderatis, qua statuatur clericos in sacris, ordinatos titulo missionis, et diœcesibus hisce addictos, non posse absque Ordinarii sui licentia in scripto data, religiosum Ordinem ingredi, prout jam Episcopis Vincennensi et Ludovicopolitano S. Congregatio rescripsit.[2]

94. Ne turpis lucri cupido sacerdotalem inficiat ordinem, vel aliqua oriatur inter sacerdotes simul commorantes dissensio, propter eleemosynas quas fideles occasione sacramentorum baptismi vel matrimonii administrationis sponte conferunt, monemus Episcopos ut in prima sua synodo diœcesana, vel alias, prout illis in Domino visum fuerit, consilio sacerdotum etiam adhibito, justam statuant rationem qua inter sacerdotes simul ita commorantes distribuantur, potioris juris et graviorum onerum pastoris non neglecta consideratione.[3]

95. Præsules hortamur maximopere, ut omnes sacerdotes sæpius moneant sui officii munerum; et ad quotidianam meditationem, annuos recessus, collationes spirituales, gratiarum actiones post Missam, aliaque pietatis exercitia, prout sinunt cujuslibet diœcesis circumstantiæ, excitent.[4]

96. Unusquisque Episcopus acceptas a Sancta Sede facultates idoneis sacerdotibus qui in eorum diœcesibus laboraverint, communicare potest; et præsertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit qui possit Episcopi defuncti vices supplere, donec Apostolica sedes certior facta, quod quamprimum fieri debebit, alio modo provideat.[5]

[1] Balt., 57.

[2] In epistola Em[i] Præfecti de Propaganda Fide ad Archiepiscopum Baltimorensem, die 23 Oct., 1852 scripta, inter cætera hæc habentur: "Innotuit pariter aliquando evenire ut, absque licentia Episcopi, presbyteri missionibus addicti Ordines Regulares ingrediantur, unde gravissimum isthic oriri solet detrimentum ob sacerdotum penuriam. * * * * Non est prætereundum inter decreta Concilii sexti Baltimorensis peculiariter fuisse provisum quoad presbyteros, qui regulare aliquod institutum ingredi velint, ut nimirum proprii Episcopi veniam assequi debeant: cumque decretum illud probatum cum reliquis fuerit, diligenter erit servandum."—Ibid., 70.

[3] Ibid., 51.

[4] Ibid., 29.

[5] Facultates per Sacr. Congr. de Prop. Fide Episcopis Nostris concessæ, Folio A.

97. Quod si Archiepiscopo aut Episcopo obeunte, nemo adsit qui prædictarum facultatum communicationem rite ab eodem obtinuerit, seu aliter quam per Antistitis obitum diœcesim vacare contigerit, Metropolitanus Antistes, vel in ipsius defectu aut si de ipsa Metropolitana ecclesia agatur, senior ex suffraganeis idoneum virum ecclesiasticum designet, qui diœcesis regimen gerat, cum usu facultatum, quæ in prima formula recensentur, donec Apostolica Sedes certior facta secus de re non disposuerit.[1]

98. Sanctæ Sedi vero supplicandum duximus, ob plurima incommoda, quibus aliter provideri vix potest, ut in supradictis casibus Episcopus, aut, prout casus feret, Metropolita vel senior Episcopus, possit Presbytero sedis vacantis Administratori tribuere eas omnes facultates, tam ordinarias quam extraordinarias, quibus gaudent Episcopi ex Sanctæ Sedis concessione.[2]

99. Administratores, qui Ecclesiam Sede vacante curant, sedulo monemus, ipsis non licere temere aliquid in diœcesi innovare, ære alieno diœcesim gravare, aut bona Ecclesiastica alienare. Meminerint etiam se teneri accuratam administrationis suæ Episcopo ad vacantem sedem promoto rationem reddere. Porro ipse hanc rationem exigere potest ac debet; et ad ipsum spectat in eos animadvertere, si quid in officio suo seu administratione deliquerint.[3]

100. Demum, quum æquum plane sit ac justum, ut fideles omnes uniuscujusque Diœceseos congruæ contribuant sustentationi Episcopi, qui omnium gerit sollicitudinem, censuerunt Patres hac de re pertractandum in Diœcesanis Synodis, in quibus collatis inter se consiliis sacerdotes curam habentes animarum conveniant de certa pensione Ordinario quotannis

[1] Ex Brevi SS. Domini Nostri Pii PP. IX., die 13. Januar., 1854, dato.
[2] Vide Appendicem.
[3] Concil. Trid., Sess. xxiv.; De Reform., Cap. 16.

tribuenda, quæ ex portione singularum ecclesiarum reddituum determinata coalescat. Ejusmodi autem adsignatio vel distributio, cum fuerit ab Ordinario recognita ac probata, ceu lex Diœcesana ab omnibus servanda evulgabitur.

CAPUT III.

De Episcoporum Electione.

101. Non alios ad Episcopalem dignitatem assumendos jubet Concilium Tridentinum, quam "maxime dignos, quorumque prior vita ac omnis ætas, a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos, per disciplinæ stipendia ecclesiasticæ laudabiliter acta testimonium præbeat."[1] Cum autem Sacra Congregatio de Propaganda Fide aliquot abhinc annis exquisierit, num aliquid in modo designandi presbyteros ad Episcopatum promovendos mutari oporteret, censuerunt Patres hujus Concilii Plenarii rem adeo gravem iterum esse pertractandam.

102. Diversa fuit, pro temporum varietate, ratio eos deligendi, qui ad Episcopales sedes promoverentur. Hodie vero jus eligendi Episcopos, jure merito et sapientissimas ob rationes, Summo Pontifici reservatur; quæ quidem disciplina a pluribus jam sæculis feliciter invaluit.

103. Modus, huc usque apud nos servatus, eos designandi, qui ad Episcopatum promoveantur, indicatur in Decreto Sac. Congr. de Fide Propaganda, die 18va Martii, an. 1834 edito, "super methodo servanda in Episcoporum diœcesium Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum electione," quod sic se habet:

"Cum ad Religionis incrementum in Fœderatis Americæ

[1] Sess. vi.; De Ref., Cap. 1.

Regionibus stabilius procurandum in primis conferat, ut Episcoporum Diœcesium ibi statutarum electionis gravissimum negotium rite sancteque absolvatur; S. C. de Propaganda Fide valde opportunum esse ad hoc consequendum existimans, ut certa methodus ubique in illis Dioecesibus servanda statuatur, qua fiat, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum Sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, in Generali Conventu die 18. Martii, anno 1834, habito, et referente, E^mo^ et R^mo^ D. J. Antonio S. R. E. Cardinali Sala, censuit ac decrevit in ea re esse servanda quæ sequuntur.

"'Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit, requirendum est Episcoporum omnium provinciæ ecclesiasticæ suffragium de Sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicæ commendandi esse videntur pro nova Episcopi electione. Quoniam vero id in Concilio Provinciali facillime et accurate fieri potest, si intra tres menses ab obitu Episcopi Concilium Provinciale habendum est, expectanda erit Concilii celebratio antequam ad commendandos Sacerdotes, qui Episcopatu digni censentur, ad S. Congregationem scribatur. In Concilio autem collatis inter se sententiis Episcopi statuant, quos Sacerdotes S. Sedi commendent vere idoneos, et de Ecclesia benemeritos qui Sedes vacantes obtineant, vel Coadjutoris officium suscipiant illius Episcopi qui auxilio Coadjutoris indigere censeatur.

"'Quod spectat vero ad casus quibus, prout superius statutum est, Concilii Provincialis celebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliqua diu vacet, primum hoc magnopere opportunum factu est, ut singuli Episcopi litteras subscriptas, et sigillo duplici munitas exemplo apud se habeant, quibus contineantur nomina trium saltem Sacerdotum quos idoneos arbitrentur ad Diocesim regendam; hae autem litterae ita exterius obsignari debent, ut adveniente Episcopi morte Vicario Generali tradendae esse intelligantur: Vicarius vero Generalis alterum earum litterarum exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propinquiorem, vel ad seniorem ex duobus Episcopis propinquioribus deferendum curet. Eo litterarum exemplo accepto, Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribet suasque animadversiones adjiciet. Epistola Episcopi propinquioris ad Archiepiscopum delata, vel si neglexerit is scribere rationabili elapso temporis spatio, Archiepiscopus ad omnes Episcopos, ne propinquiori quidem excepto scribet, et

nomina illa cum suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam nominibus additis si illi quos Episcopus designaverat Archiepiscopo idonei minime videantur. Post acceptas Archiepiscopi litteras omnes Episcopi ad S. C. sine mora scribent suas sententias, et suffragia de tribus illis, vel sex commendatis expondituri. Vacante Sede Metropolitana, litteræ Archiepiscopi demortui nomina trium Sacerdotum designantes a Vicario Generali ad Episcopum propinquiorem, et ad Suffraganeum Episcopum seniorem mittendæ sunt. Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia quæ de Archiepiscopo superius statuta sunt, ubi agitur de Episcopi electione. Quod si apud Episcopum, vel Archiepiscopum demortuum litteræ memoratæ de trium Sacerdotum designatione non reperiantur, Vicarius Generalis Episcopum propinquiorem vel seniorem ex duobus propinquioribus de ea re certiorem statim faciet, ut Episcopus propinquior tria designet Sacerdotum nomina epistola ad Archiepiscopum mittenda. Archiepiscopus ea accepta ad omnes Episcopos scribet, et ea omnia fient quæ jam indicata sunt circa agendi rationem tenendam ubi litteræ Episcopi, aut Archiepiscopi Sacerdotum nomina ante mortem designantis fuerint repertae. Si Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina Sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus suffraganeus faciet omnia, quæ in Episcopi electione, ab Archiepiscopo facienda esse decretum est.

"'Quod pertinet ad electionem Coadjutorum, excepto casu, quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui Coadjutorem petit nomina trium Sacerdotum Archiepiscopo, et Episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de ea re ad S. C. mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam de Coadjutore eligendo communicabunt. Hæc sunt quæ in commendandis Sedi Apostolicæ Sacerdotibus pro Fœderatæ Americæ Episcoporum electione S. C. servanda præscripsit. Ea vero decernens, notum omnibus esse voluit in litteris de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem aut nominationem præseferat, ita ut etiam ex litterarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illæsa

15

Sedis Apostolicæ libertas in eligendis Episcopis, commendationes vero lumen tantum, et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferent.

" 'Datum Romæ ex ædibus S. Congregationis de Prop. Fide, die 14. Junii, 1834.' "

104. Huic autem Decreto E^mi^ ac R^mi^ Patres S. huius Congregationis, in conventu generali habito die 10. Augusti, 1850, et aliud addendum censuerunt sequentis tenoris:

"Sacra Congregatio de Propaganda Fide, die 14. Junii an. 1834, Decretum edidit, quod incipit: *Cum ad religionis incrementum,* inscribitur vero: *De methodo servanda in Episcoporum Diœcesium Fœderatarum Americæ Septentrionalis provinciarum electione.* Cum vero deinde Deo favente diœcesium numero per illam regionem aucto, Ecclesias quæ antea uni Metropolitæ suberant, inter plures partiri necesse fuerit; aliquid supradicto decreto, seu instructioni addendum visum est, ut commendatio Sacerdotum pro vacantibus Ecclesiis ea ratione fiat, quæ cum nova illarum partitione, ac Provinciarum statu cohæreat. Proinde S. C., in Generali Conventu die 10. mensis Junii, anni huius habito, referente infrascripto ejusdem Præfecto, omnibus mature perpensis, ratione quoque voti habita ea de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio vii. Baltimorensi; decrevit ut in posterum servatis quoad reliqua iis quæ in supradicto decreto continentur, Archiepiscopus Provinciæ ad quam pertinet Ecclesia de novo Pastore providenda, commendationem Sacerdotum qui proponuntur ad cæteros Archiepiscopos transmittat, qui S. Sedi suam sententiam de Sacerdotibus sic commendatis aperiant.

"Datum, etc."

Mense tamen Augusti anni 1856, idem Sacrum Consilium Provinciis Ecclesiasticis Baltimorensi, S. Ludovici, Neo-Aurelianensi, ac Cincinnatensi indulsit, "ut de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agatur in cœtibus Episcoporum comprovincialium, addita tantum obligatione scribendi ad Metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem, quum res sit de candidatis a Provincia extraneis. In Comitiis vero generalibus diei 7. Augusti 1859., et illud decretum fuit, ut cum novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadjutor eligendus sit, omnes circa ejusmodi electionem Fœderatorum Statuum Metropolitani consulantur."

105. Ista methodus tamen cum adhuc in melius mutari, ac

ulterius perfici posse videretur, Em^{us} Præfectus dictæ Sac. Congregationis, per Literas die 25ta. Maji, 1859, ad Archiepiscopos in his Provinciis Fœderatis datas, eos rogavit ut "perpenderent coram Deo vigens systema antistitum eligendorum," atque ipsi proponerent "quae arbitrati fuerint profutura ad illud, ut par est, emendandum; quo videlicet in posterum ii tantum constituantur Episcopi, qui doctrina, prudentia, locali peritia, ac pietate fuerint idonei ad officium Episcopale rite subeundum atque gerendum."

106. Quibus Literis cum omnes ad unum Archiepiscopi respondissent, Sacra Congregatio, prælaudata die 21ma. Januarii 1861, censuit:

"Haud quidem recedendum esse a Decretis supra relatis dierum 14. Junii 1834. nec non 10. Aug. 1850., ac posterioribus declarationibus, quibus vigens per Americam electionum systema innititur, verum illis quæ sequuntur adjicienda putarunt, atque ab omnibus ad quos spectat S. Sedi proponere viros ecclesiasticos pro vacantibus Diœcesibus Fœderatorum Statuum, stricte servanda mandarunt.

I. "Omnes ac singuli Fœderatorum Statuum Antistites tertio quoque anno, tum Metropolitano Provinciæ suæ, tum S. Congregationi de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime præstabunt, ne forte cujuspiam ambitio excitetur.[1]

II. "In notulis ejusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur certiores fiant.

III. "Quum aliqua Sedes vacaverit, sive Episcopalis sive Metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiæ præponatur, in Synodum aut in specialem cœtum convenient, ut proponendorum qualitates discutiant, ad tramitem Quæstionum quæ hanc in rem typis impressæ præsentibus Literis apponuntur.

[1] S. Congregatio (in Speciali Instructione, die 24 Jan 1868 data, art. 1., supra) "omnino decernit ut omnimoda diligentia serventur hæ Literæ Circulares," tum in cæteris earum partibus, tum etiam in iis quæ sub hoc numero continentur.

IV. "Antequam vero prædictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel Seniorem Provinciæ Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

V. "Qualitates Candidatorum publice in cœtu Episcoporum discutientur, præsidente Archiepiscopo vel seniore Provinciæ Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

VI. "Acta denique conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo vel Episcopo Provinciæ seniore deferentur."

107. Sequuntur Notulæ, quarum mentio habetur in prædicto Decreto, et quarum ratio in designandis presbyteris pro dignitate episcopali semper habenda est:

"*Notiones ac quæstiones circa qualitates quæ necessariæ sunt in promovendis ad Episcopale munus ac dignitatem.*

I. Nomen, cognomen, ætas, patria Candidati.
II. Cujus Diœcesis sit ac Provinciæ Ecclesiasticæ?
III. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu?
IV. An gradus assecutus fuerit, et quos?
V. An professor extiterit, et cujus facultatis?
VI. An et ubi missiones sacras obiverit, et quam in eis experientiam obtinuerit?
VII. Quot linguas calleat, et quas?
VIII. Quibus officiis sit perfunctus, et quo successu?
IX. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione?
X. An sit corpore sanus; frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus?
XI. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabilis?
XII. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores?

XIII. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum ædificatione, rubricarum studiosus observator?

XIV. An habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus gravitatem ac religionem præseferat?"

CAPUT IV.

De Sacerdotibus curam animarum habentibus.

108. Nonnulla de Sacerdotibus Decreta in prioribus Baltimorensibus Conciliis lata confirmamus atque iterum promulgamus:

Quoniam sæpius a quibusdam in dubium revocatum est, an competeret præsulibus Ecclesiæ, in hisce Fœderatis Provinciis, facultas sacerdotes in quamlibet diœceseon suarum partem ad sacrum ministerium deputandi, eosque inde, prout in Domino judicaverint, revocandi; monemus omnes sacerdotes in hisce diœcesibus degentes, sive fuerint in iis ordinati, sive in easdem co-optati, ut memores promissionis in ordinatione emissæ, non detrectent vacare cuilibet missioni ab episcopo designatæ, si episcopus judicet sufficiens ad vitæ decentem sustentationem subsidium illic haberi posse, idque munus viribus et valetudini sacerdotum ipsorum convenire. Hac autem declaratione nihil innovare volumus quoad illos qui parochialia obtinerent beneficia, quorum unum tantum, scilicet in civitate Neo-Aurelia adhuc noscitur in hisce Provinciis: neque ullatenus derogare intendimus privilegiis quæ Religiosis fuerint a S. Sede concessa.[1]

109. Statuimus et declaramus quemlibet sacerdotem qui pro quacumque hujus provinciæ diœcesi ordinatus fuerit, teneri vi promissionis in ordinatione factæ ad permanendum in eadem diœcesi, et ad se subjiciendum præsuli suo, usquedum canonice dimissus fuerit. Statuimus quoque eadem obligatione pariter adstringi omnem sacerdotem rite co-optatum in

[1] Balt., 1.

aliquam diœcesim: co-optari autem declaramus quemlibet ex aliena diœcesi advenientem, statim ac testimoniales et dimissoriales litteræ, præsulis cui proxime subditus erat munitæ auctoritate, ab ipso sacerdote, Ordinario cui se subjicere velit exhibentur, et ab eodem in perpetuum acceptantur. His porro statutis obstare nolumus quin ea servari debeant, quæ Benedictus XIV., (Constitutione 25, Tom. 2. Bullarii sui: *Ex quo dilectus.*) luculenter docet circa sacerdotes qui ad religiosum aliquem Ordinem transire volunt.[1]

110. Enixe hortamur præsules omnes hujus provinciæ, ne concedant facultates sacra munera exercendi sacerdoti aliunde venienti, nisi afferat testimoniales seu dimissoriales litteras, præsulis cui proxime subditus fuerat auctoritate firmatas: nec etiam concedant eas facultates sacerdoti hujusmodi, si absque causa sufficienti distulerit ultra sex menses præsulem eligere, cujus auctoritati et jurisdictioni in perpetuum subjaceat. Hoc autem decreto nolumus derogare privilegiis a S. Sede quibusdam religiosis Societatibus, et missionariis apostolicis concessis.[2]

111. Cum repugnet legibus et consuetudini Ecclesiæ, bonoque animarum regimini, pluribus sacerdotibus simul *ex æquo* concedere auctoritatem pastoralem regendi eamdem ecclesiam, aut districtum; et cum magna nata sit confusio et discordia in hac provincia, pluribus sacerdotibus simul sibi vindicantibus hujusmodi auctoritatem pastoralem *ex æquo* exercendam, absque ulla ab alterutro dependentia: statuimus et decernimus, unumquemque præsulem debere, quamprimum commode poterit, designare iis in locis in quibus plures sacerdotes forsan requirantur, unum singulorum locorum pastorem, cui adjutor unus vel plures in suo munere obeundo adsignari poterunt, prout præsuli ipsi visum fuerit. In iis vero locis in quibus specialis nulla hujusmodi dispositio a præsule facta fuerit, statuimus sacerdotem, qui post latum hoc decretum primus deputatus fuerit a præsule ad id munus obeundum, habendum esse Pastorem; alios autem sacerdotes postea deputatos, adjutores ejus habendos, donec aliter præsul ipse statuerit.[3]

112. Nihil innovantes in his quæ in canone concilii Provincialis primi Baltimorensis de potestate episcopi in pastoribus designandis et amovendis, necnon firmare volentes quæ in

[1] Balt., 2. [2] Ibid., 3. [3] Ibid., 4.

canone ejusdem synodi declarata fuere de unico pastore in singulis congregationibus designando, declaramus pastori soli ita designato competere administrationem ecclesiæ seu congregationis, atque aliis sacerdotibus illi in ministerii adjutorium adjunctis non licere aliquid aggredi præter pastoris voluntatem.[1]

113. Sacerdotes omnes, quibus cura animarum commissa est, monemus muneris quod sibi incumbit populum sibi creditum edocendi; ideoque juxta Tridentini concilii sancta statuta, dominicis festisque diebus, brevi perspicuoque sermone, audientium captui accommodato, eos fidei mysteriis instruant, et ad virtutum exercitium et ad vitia fugienda hortentur. Curent etiam ut, juxta ejusdem synodi statuta, pueri rudes iisdem diebus, aliisve opportunis temporibus, rudimenta fidei edoceantur; nec omittant ipsi pastores ea familiari sermone explicare.[2]

114. Præsules omnes hujus provinciæ in Domino monemus, ut invigilent executioni eorum quæ a S. Tridentina synodo decreta sunt de pastorum residentia, curentque ne populus fidelis careat copia Missæ audiendæ in diebus præsertim dominicis et festis; vel ægrotantes, subsidio sacramentorum: et in synodis suis pœnas statuant in eos qui absque gravi causa vel licentia abfuerint.[3]

115. Moneant episcopi sacerdotes curam animarum exercentes, ut institutioni juventutis in doctrina christiana per se operam dent, nec putent ipsis licere quæ sui muneris sunt negligere, rejecto omnino in alios onere juvenes, aliosque rudes, fidei morumque principia edocendi.[4]

116. Juxta præscriptum et mentem Ritualis Romani, sedulus sit pastor animarum in visitandis infirmis et agonizantibus, etiam postquam ultima receperunt sacramenta; et illos exhortetur, consoletur, adjuvet; et elicito ab iis, si possint, novo confessionis et contritionis actu, nova identidem donet absolutione.[5]

117. Statutum est, stricte inhibendos esse pastores animarum ab administratione sacramentorum matrimonii et baptismi fidelibus ex aliis diœcesibus, qui ea a proprio pastore facile recipere possent.[6]

118. Ne vagi, ignoti, pravique sacerdotes sacra aggredian-

[1] Balt., 50.
[2] Ibid., 28.
[3] Ibid., 63.
[4] Ibid., 89.
[5] Ibid., 68.
[6] Ibid., 72.

tur munera cum offensione fidelium, revocandas esse facultates, quas communi quodam pacto episcopi sibi invicem in conventu anno 1810 habito largiti sunt, censuerunt Patres: ideoque in posterum, neminem ex sacerdotibus, vi illius pacti, posse jurisdictionem exercere, vel sacrum aliquod aggredi munus, absque Ordinarii auctoritate.[1]

119. Cum ex sacerdotum vagorum et ignotorum discursu ad eleemosynas a fidelibus colligendas gravia oriantur incommoda, visum est districte prohibere ne sacerdos aliquis, absque episcopi sui venia, scripto concessa, extra congregationem sibi commissam eleemosynas petat, vel in alia diœcesi absque Ordinarii licentia. Quod si sacerdos aliquis hanc legem transgredi præsumpserit, hortamur episcopos ut suspensionis censura eum statim innodent. Religiosi autem meminerint sui Superioris licentiam secum afferre.[2]

120. Quum autem aliquando hisce in Provinciis inveniantur Sacerdotes vagi, quorum nonnulli ex Europa, magis turpis lucri quam animarum zelo ducti, huc advenerunt; monemus locorum Ordinarios, ut perdifficiles sese exhibeant in ejusmodi recipiendis, memores Decretorum in Conciliis Baltimorensibus jam hac super re latorum, quorumque specialem mentionem facit Instructio S. Congregationis.[3] Decreta vero sunt hujusmodi:

121. Ne sacerdotes vagi et ignoti nimis facile admittantur ad sacra munera obeunda cum animarum periculo, nolumus sacerdotes ex Europa advenientes in clerum nostrum cooptari, nisi litteris suorum Episcoporum prius missis consensum Episcopi in cujus diœcesim transire desiderant, obtinuerint.[4]

122. Statuunt Patres nullum harum Provinciarum sacerdotem, ad aliam diœcesim transire volentem, a proprio Episcopo dimittendum, nisi certo constet eum ab alio Episcopo esse recipiendum. Si qui autem in posterum aliter dimissi fuerint, non recipiantur.[5]

"Cavendum itaque Episcopis, ut si quando, necessitate cogente, ad admissionem hujusmodi Sacerdotum devenire opus fuerit, nonnisi habitis de eorum probitate ac doctrina indubiis testimoniis recipiantur."[6]

[1] Balt., 39.
[2] Ibid., 46.
[3] 31. Jan., 1866, art. iii.
[4] Balt., 86.
[5] Ibid., 76.
[6] Cit. Instr. S. C., art. iii.

123. Quum olim jure optimo, ut ait Tridentinum Concilium, "distinctæ fuerint diœceses et parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum Ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant,"[1] optandum omnino esset, ut juxta Ecclesiæ universæ consuetudinem, parochi proprie dicti, quemadmodum in Catholicis regionibus existunt, in nostrarum quoque provinciarum ecclesiis constituerentur. Verum ea sunt nostra rerum tempora, quæ id fieri nondum patiantur. Patrum tamen hujus Concilii Plenarii mens est, ut paullatim, et quatenus per adjuncta liceat, disciplina nostra hac in re Ecclesiæ universæ disciplinæ conformetur.

124. Volumus igitur, ut per omnes hasce Provincias, præsertim majoribus in urbibus, ubi plures sunt Ecclesiæ, districtus quidam, parœciæ instar, descriptis accurate limitibus, unicuique ecclesiæ assignetur;[2] ejusque rectori jura parochialia, vel quasi-parochialia, tribuantur.

125. Parochialis juris, parœciæ, et parochi nomina usurpando, nullatenus intendimus Ecclesiæ cujuslibet rectori jus, ut ajunt, *inamovibilitatis* tribuere; aut potestatem illam tollere seu ullo modo imminuere, quam ex recepta in his provinciis disciplina habet Episcopus quemvis sacerdotem munere privandi aut alio transferendi. Monemus autem et hortamur, ne Episcopi hoc jure suo, nisi graves ob causas et habita meritorum ratione, uti velint.

126. Quum animarum saluti maxime expediat a dignis atque idoneis parochis regi, Tridentina lege [3] cautum est, ne

[1] Sess. xiv., de Ref., Cap. 9.

[2] Hoc jam sapienter provisum fuerat a Patribus in superiori Concilio Plenario, ut ex sequenti canone patet;

"Valde expedit districtus ecclesiasticos intra certos limites designare; necnon regulas de sacerdotum jurisdictione privilegiisque Ordinarios, quamprimum fieri potest, sancire. Hos tamen districtus, secundum rerum adjuncta episcopi mutare possunt, et eorum est definire quarum ecclesiarum sacerdotibus hæc munera pro tempore adnecti debeant."—Balt., 87.

[3] Sess. xxiv.; De Reform., Cap. 18.

quis ad parochialis ecclesiæ regimen assumatur, nisi prius, per concursum, coram Episcopo et tribus saltem examinatoribus, idoneus probetur ac dignus qui id muneris suscipiat. Quod apud nos, etiam si veri nominis parochos haberemus, servari vix posset. Ut tamen mentem Ecclesiæ hæc præcipientis, quantum licet, sequamur; neminem parochiali Ecclesiæ præponendum censemus, quin examen coram Episcopo et duobus presbyteris ab Episcopo designandis antea subierit. Neque ullus ad hoc examen admittatur, qui in diœcesi, ubi parochia sita est, sacris missionibus per quinquennium saltem operam non dederit. Quod si sacerdos ad parochialis ecclesiæ curam assumatur, qui nondum in diœcesi quinque annos in sacris missionibus insumserit, tanquam parœciæ administrator tantum habeatur; neque, nisi expleto quinquennio, factoque ut supra examine, parochi nomen et jura obtineat: quod quidem Regulares, qui quinque annos in his Provinciis vixerint, non attingat.

CAPUT V.

De verbi Dei prædicatoribus.

127. Quum Fides, quæ totam Christiani hominis vitam moderatur ac regit, oriatur "ex auditu, auditus autem per verbum Christi;"[1] verbum hoc perpetuo in Ecclesia proponatur ac prædicetur necesse est. "Quomodo" enim, ait idem Apostolus, "audient sine prædicante?"[2] Verbum Christi, seu Evangelium prædicare, Episcoporum præcipue munus est; qui, si legitime impediti fuerint, idoneos viros eligere debent, per quos id muneris exequantur. "Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque parochiales, vel alias curam

[1] Rom. x., 17. [2] Ibid., x., 14.

animarum habentes, ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant."[1]

128. Atque Episcopi diligenter populum monere debent, "teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Iidem etiam saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt; et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus."[2] Præterea ii, qui curam animarum habent, cæterique, qui ad prædicandi munus assumuntur, debent non solum dominicis et festis diebus, verum etiam "tempore jejuniorum Quadragesimæ et Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerit Episcopus, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntiare; et alias quotiescumque id opportune fieri posse Episcopus judicaverit."[3]

129. De assidua Dei verbi prædicatione, hæc sacerdotem monet Concilium Prov. Baltimorense V.:

Sit pariter assiduus in prædicatione verbi divini, juxta modum quem Concilium Tridentinum præscribit, (Sess. v., Cap. 2, de Ref.,) * * * docendo non vana vel intricata, sed quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; non quæ admirationem erga loquentem provocent, sed quæ ipsorum audien-

[1] Conc. Trid., Sess. v., de Reform., Cap. 2.
[2] Ibid., Sess. xxiv., de Ref., Cap. 4.
[3] Ibid., Loc. cit.

tium ædificationem, et pietatis incrementum promoveant: v. g. motiva et frequentem praxim actuum fidei, spei, charitatis, et contritionis; dispositiones requisitas ad sacramenta utiliter recipienda; vitia quæ declinare, et virtutes quas sectari oporteat; det lac spirituale infantibus, adultis autem pietate solidum cibum; in sermone, sicut in opere, fiat omnia omnibus, ut animos rite dirigat in via salutis.[1]

130. Itaque summa cura et diligentia sanctissimis hisce legibus obtemperet unusquisque, qui prædicationis munere insignitur, populoque statis diebus exponat Ecclesiæ docentis ac regentis auctoritatem et potestatem; SS^mæ. Trinitatis et Incarnationis mysteria; Sacramentorum naturam, vim et numerum; cæteraque, quibus Christianæ fidei summa continetur. Neque omittat ea Catholicæ doctrinæ capita fusius pertractare, quæ hæretici et increduli, hujus præsertim regionis ac temporis, vel præfracte negant vel in dubium revocant, vel, pro ineptissimo hujus sæculi ingenio, jocis et irrisione potius quam argumentis adgrediuntur.

131. Hæc igitur omnia clare et lucide explicet; non tamen quasi cum adversariis ageret, quemadmodum fit in scholis, aut apud polemicos, ut ajunt, theologos; non disputantis more, sed docentis. Liceat quidem iis, qui sectis Christiano nomine falso gloriantibus præsunt, sua opinionum commenta, dubiis et conjecturis involuta, timide et cum quadam hæsitantia proponere. Veterum enim Scribarum et Pharisæorum locum quodammodo obtinent, in quorum verbis, ut ex Evangelio discimus,[2] nullum pondus inerat, nulla auctoritas. Concionator autem Catholicus, quum sibi probe conscius ipse sit, veritatis se divinitus acceptæ custodem esse et præconem, doceat, Christi exemplo, "quasi potestatem habens;"[3] neque tam patroni quam judicis causam definientis partes agat. Quod si adversariorum objecta et cavillationes undique corradat, nimiusque sit in iis exponendis ac refellendis, timeri

[1] Balt., 68. [2] Matt. vii., 29; Luc. iv., 32. [3] Ibid.

aliquando potest, ne sacrosanctam illam causam, quam tuendam assumpsit, labefactare potius quam confirmare videatur; suaque imprudentia efficiat, ut pro Evangelii luce tenebræ ac dubia imperitorum animis offundantur. Poterit quidem præcipua hæreticorum argumenta et objecta breviter ac solide retundere, quin tamen eos nominet, aut ex professo id agere videatur. Quod si fecerit, remissoque, leni, et urbano, non severo et acerbo dicendi genere usus fuerit, duplex inde commodum orietur. Hæretici enim, qui sæpius concionibus interesse solent, nostra dogmata libentius audient, et paulatim vel inviti discent, quam consentaneum rationi sit illud mentis obsequium, et quasi quædam intelligentiæ humanæ captivitas, quam laudat Apostolus, quamque a suis Ecclesia Catholica postulat.[1] Deinde fideles ipsi, Catholicis doctrinis bene instituti, erunt "parati semper ad satisfactionem omni poscenti;"[2] id est, ad æquam et validam rationem de ea, quæ in ipsis est, fide ac spe reddendam.

132. Quod vero omnium temporum ac locorum est, quodque præcipue ad Concionatoris munus spectat, omnia et singula Christiani hominis officia ipse, tanquam Dei legatus et præco, sedulo exponat atque auditorum animis inculcet. Latissime quidem hæc patent; respiciunt enim hominem ipsum, cæterosque humanæ naturæ consortes; Deum denique, legis, qua hæc præcipiuntur, auctorem. Hæc singillatim et accurate enarranda atque evolvenda sunt singulis dominicis aliisque statis diebus per annum aut biennium, donec omnia scitu necessaria pertractata fuerint.

133. Qua in re sacerdotes maximopere adhortamur, ut Catechismi Romani, tanquam ducis optimi, vestigiis insistant. Neque nostris laudum præconiis indiget celeberrimum hoc opus, Concilii Tridentini, omnium maximi et gravissimi, auctoritate editum, et tot Romanorum Pontificum suffragiis

[1] Cf. Rom. xii., 1; II. Cor. x., 5.

[2] I. Pet. iii., 15.

ac laudibus commendatissimum. Quorum unum aut alterum ut commemoremus, Clemens XIII. id vocat "Catholicæ fidei et Christianæ disciplinæ normam * * * Pastoribus propositam;" Episcoposque cohortatur, ut jubeant eum "ab omnibus, qui animarum curam gerunt, in informandis Catholica veritate populis adhiberi, quo tum eruditionis unitas, tum charitas, animarumque servetur concordia."[1] Pius VI. "librum aureum" vocat, "in quo Christiana dogmata luculenter explicantur et aptissime enucleantur."[2] Eumdem summopere commendat SS. Dn^{us} Noster Pius PP. IX. jubetque parochos admoneri, ut illum "in suis sive ad pueros, sive ad reliquam plebem instructionibus ob oculos habere non omittant."[3] Præstantissimum igitur hunc librum Concionator præ manibus habeat, sæpiusque legendo ac meditando terat, et ex eo tum optima et tutissima vitæ Christianæ instituendæ documenta, tum rerum tradendarum seriem hauriat. Qua ratione capita fidei Catholicæ ac morum integra et ordinata auditoribus suis explicabit. Nil tamen vetat, quin ordinem hunc abrumpere aliquando liceat, ad Deiparæ ac cœlitum laudes et exempla proponenda, ad Christi patientis et morientis historiam enarrandam, aut ad alia dicenda, quæ festi dies, aut Evangelii loca quæ in sacris peragendis recitantur, aut alia temporis et rerum adjuncta suaserint.

134. Præcipuas quasdam Concionatoris dotes attingit D. Paulus, dum Timotheum hortatur, ut verbum prædicet, instet opportune et importune, arguat, obsecret, increpet in omni patientia et doctrina.[4] Quibus verbis Concionator monetur, ut assidue magnoque animi ardore in virtutibus commendandis vitiisque reprehendendis versetur; deinde ut, non uno dicendi genere contentus, tum objurgatione ac minis, tum

[1] Constit. In Dominico agro, 14 Jun., 1761, § 6.

[2] In Lit Apost. In Catholicæ, ad Patriarch. Archiepp. Epp. aliosque Orient., 22. Dec., 1787.

[3] Encycl. Nostis, 8. Dec., 1849.

[4] II. Tim. iv., 2.

consilio, adhortatione, prece et obsecratione utatur, et nihil, quo pravi homines ad meliorem frugem revocari possint, intentatum relinquat. Idque faciat "opportune, importune, in patientia:" boni agricultoris exemplo, qui tam udo quam sudo tempore spargit semina, neque messem anxie et statim, sed patienter et suo tempore fruendam expectat. Eodem plane modo divini verbi semina ipse jaciat, tam inter bonos volentesque, quam inter eos, qui mentem aversam aut alio distractam habere videntur. Neque doleat aut spe excidat, si non mox omnia secunda eveniant. Fieri enim potest, opitulante Dei gratia, ut pretiosum illud semen, solo quamvis durissimo mandatum, rore cœlesti madescat, radices agat, et tandem aliquando in lætissimam uberrimamque segetem erumpat.

135. Dolendum quidem est, non semper e divini verbi prædicatione fructum illum et commoda derivari, quæ sibi proposuit Concionator. Quod verbo divino ipsi vitio vertere nefas esset. Est enim "sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti."[1] Neque id semper inscientiæ auditorum aut pravitati et oscitantiæ tribuendum. Conferenda plerumque est in ipsum Concionatorem culpa, qui suo muneri imparem se gerit. Quemadmodum enim gladius quamvis optimus, quo miles ineptus utatur, parum valet ad hostem feriendum ac pellendum; sic verbum Dei, quantumvis per se efficax, inepti Concionatoris ore prolatum, vires amittit parumque aut nihil confert ad durissima impiorum hominum corda emollienda, convincenda ac corrigenda.

136. Studeat igitur quam diligentissime Concionator ea omnia vitia declinare, quæ verbi prædicationem, quominus optatos habeat effectus, impedire possunt. Atque imprimis, nunquam prodeat ad concionem imparatus, nisi gravissima urgeat necessitas. Quotus enim quisque est, qui de tantis

[1] Hebr. iv., 12.

rebus digne disserat, quin antea animo ac cogitatione dicenda volvat atque perpendat? Neque legendo tantum et meditando, sed etiam præcipue, quod olim monuit Augustinus,[1] orando parare se debet, ut fructus officii sui dignos ferat. Sacros oratores, quorum plurimos recentior ætas tulit, si quis consulat, non improbamus; hortamur autem maxime, ut venerandos Ecclesiæ Patres, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Gregorium, Bernardum, aliosque, et præcipue Sacram Scripturam diurna et nocturna manu verset; quo propius enim ad fontem acceditur, eo magis illimes ac puriores aquæ hauriuntur.

137. Jubent præterea Tridentini Patres, ut Concionatoris sermo sit *facilis*, id est, auditorum captui accommodatus. Ea igitur tradat, quæ sunt facilia intellectu; non quibus ipse ingenii et acuminis laudem et famam assequatur. Quod si, ut in mysteriis accidit, res ad docendum proposita sit per se ipsa difficilis quæque humanæ mentis aciem effugiat, primo puram putam ejusdem definitionem, conciliorum aut symbolorum vocibus conceptam, exhibeat; eamque verbis suis, quam maxime fieri potest, claris et apertis amplius explicet. Deinde, per petitas ex rebus creatis et in quotidiano usu positis similitudines, rem, quatenus licet, uberius illustrare satagat. Sic enim per faciliora, quæque ante oculos versantur, difficillima quæque et divina non perfecte quidem, quod fieri nunquam potest, at ex aliqua parte tamen mens humana assequitur. Neque Concionator hoc dicendi genus, quasi humile et abjectum, aspernetur ac negligat. Maximam enim habet utilitatem, fuitque omnibus sæculis maximo cuique et doctissimo Ecclesiæ scriptori in more positum. Neque alio modo Christus ipse, omnis sapientiæ fons et origo, discipulos suos instituebat, ut sacrorum librorum monumenta testantur.

138. Quod si Concionator, Pauli monitorum oblitus,[2] velit

[1] De Doctr. Christ. iv., Cap. 15.

[2] Rom. xii., 2, 3.

"huic sæculo conformari," et "plus sapere quam oportet sapere," si abstrusiora quæque, et supra captum auditorum posita conquirat, eaque ingenio suo indulgens subtiliori oratione persequatur, eveniet iterum infaustum illud, quod olim conquestus est Jeremias: "Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis."[1] Meminerit verbi divini minister, se omnibus tam insipientibus quam sapientibus esse debitorem.[2] Non igitur "in sublimitate sermonis, neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis,"[3] munere suo fungatur. Non fucato sermone inanique verborum pompa, non ambitiosæ facundiæ lenocinio auribus illecebram paret; sed panem vitæ salutarem esurientibus frangat ac porrigat, ut decet Dei ministrum et fidelem mysteriorum Ejus dispensatorem.[4] Curet vero, ne unum vitium effugiendo in alterum incurrat, et sermo ejus ex facili in humilem, rudem et incompositum delabatur. Neque, ut plebecula libentius atque attentius audiat, vocibus e platea et trivio haustis utatur, aut jocis et facetiis indulgeat. Cui enim ne domi quidem et inter suos scurram aut mimum agere licet, id eum in templo, ipsam prope aram, et sacro munere fungentem facere, maximæ impietatis est.

139. Quumque hominum animi efficacius per exempla, quam per præcepta moveantur, documentis suis et hortatibus exempla ex Sacris Libris et Sanctorum historiis aptissime intermisceat. His enim tum mirum in modum delectantur, tum docentur ingenia, præsertim rudiora; quæque simul traduntur morum principia in animis firmius inhærescunt. In referendis autem miraculis et prodigiis summa prudentia utatur. Recentiora ac domestica, siqua circumferuntur, ne commemoret, nisi Episcopi judicio[5] recognita ac probata

[1] Lament., iv. 4.
[2] Rom. i., 14.
[3] I. Cor. ii., 1–4.
[4] I. Cor. iv., 1, 2.
[5] Conc. Trid., Sess. xxv.; Decr. de Invoc., SS., etc.

fuerint; antiquiora vero, modo in sanctorum Patrum aut certissimorum auctorum libris legantur, laudabiliter atque utilissime afferre poterit. Cætera contemnat, quæ nulla auctoritate nituntur et a doctissimis quibusque Catholicis viris inter dubia aut ficta reponuntur. Quod etiam de quamplurimis ineptis ac sublestæ fidei narratiunculis dicendum est, quas rude et inficetum vulgus mirari et in deliciis habere solet. Sapientioribus quidem risum, hæreticis vero offensionem pariunt aniles hujusmodi fabulæ, quas vitari oportere jure monet Apostolus,[1] utpote quæ nihil ad piorum hominum ædificationem, Deique gloriam augendam conferant. Quænam enim esse potest lucis cum tenebris, veritatis Evangelicæ cum fabellis, pietatis cum dolo ac fraude commercium? Aut quæ Christo cum mendaciorum patre et auctore conjunctio?[2]

140. In vitiis insectandis, gravi quidem et, quoties expedit, acri sermone utatur. Neminem tamen adstantium, quæ intolerabilis audacia foret, nominatim reprehendat, aut insidiosa verborum circuitione ita notet designetque, ut ab omnibus nosci facile possit. Quod si inter Concionatorem et aliquos ex commisso sibi grege lites, simultates, jurgia forte extiterint, ipse tamen, rectene an perperam læsus fuerit, ad privatam injuriam ulciscendam sacro loco et tempore abuti nequaquam audeat. Longe melior et felicior votis respondebit eventus, si de odiis ac simultatibus fugiendis, de malæ linguæ petulantia coercenda, de caritate in omnibus servanda; demum, si opportunum coram Deo judicaverit, (quod rarissime tamen expedit) de honore ac reverentia Ecclesiasticis viris exhibenda, graviter ac modeste disserat.

141. Non suum, non "verbum, hominis, sed, sicut est vere, verbum Dei,"[3] annuntiare debet Concionator. Idcirco non dubia neque incerta, non sua placita auditoribus proponat,

[1] I. Tim. i., 4; iv., 7. Tit. i., 14.
[2] Cf. II. Cor. vi., 14, 15; Joan. viii., 44.
[3] I. Thess. ii., 13.

sed certa et vera, quæ ex sacris libris, eorumque fidissimis interpretibus, Conciliis nempe, Patribus, ac Pontificibus depromuntur. In moribus docendis quam tutissimos duces sequatur, et peccatorum naturam et gravitatem non ingenio suo, sed Sacris Literis, Christi et Sanctorum exemplo, et probatissimorum Theologorum auctoritate metiatur. Hinc caveat, ne nimia indulgentia vitiis habenas laxet, prava quædam tolerando, ne ditiorum aut insigniorum in cœtu animos offendat. Contra caveat, ne austera sua ipsius indole, et rigidiorum scriptorum auctoritate motus, tanquam lethalia peccata facile quædam damnet, quæ piorum et gravissimorum antistitum et theologorum judicio aut nulla reprehensione digna, aut toleranda, aut tantum venialia censentur. Unde mala maxima et plurima existunt. Licita enim aut minus prava per falsam, ut vocant, conscientiam, crimina fiunt gravissima quæ in mortem animæ cedunt. Quum de fide Catholica agit, depositum custodiat, devitetque profanas vocum novitates,[1] quibus res ipsæ paullatim facile corrumpuntur. Ut vetus auctor monet, "nove dicat, non tamen nova."[2] Quibus verbis significatur, Ecclesiæ doctrinam, modo pura, sincera, et integra tradatur, semper novis fulciri argumentis, novisque eloquentiæ luminibus ornari posse. Scilicet, hæc sunt quodammodo aureæ fimbriæ, hæc vestis variata, qua circumdatam et circumamictam Superni Regis filiam, id est Ecclesiam cœlo delapsam, mortalibus ostendere decet, ut gloria et pulchritudo ejus, quæ "ab intus est," in omnium oculis magis magisque splendeat, omnesque in sui desiderium et amorem trahat, et rapiat vel invitos.[3]

142. Tridentini Patres, quum gregem "salutaribus verbis" pasci jubent, ea tantum proferri volunt, quæ homines ad æternam salutem consequendam hortentur et juvent. Nihil

[1] I. Tim. vi., 20.
[2] Vincent. Lerinen. Commonit., Cap. 22.
[3] Psalm. xliv., 11, 15.

igitur de rebus temporalibus aut quotidianis eventibus Concionator loquatur. Multo minus se civilibus aut politicis rebus immisceat; aut de magistratibus vel rem publicam moderantibus ea, quæ æque an inique sentiat, in medium proferat. Quod quidem sine maxima bonorum offensione et sacri muneris dedecore fieri nunquam potest. Qui "pro Christo legatione fungitur," ea tantum quæ sunt Christi loquatur. Qui secus agit, officii proditor est, et suo aliorumque exitio veram facit tristem illam Prophetæ querimoniam: "Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit."[1] Dumque vilissima hæc et putida panem vitæ et cibum spiritualem flagitantibus offert, patrem illum naturæ jura violantem imitatur, qui filiis panem avide appetentibus lapidem aut serpentem porrigit;[2] pro bonis scilicet, inutilia, noxia, et mortifera.

143. Morem, qui aliquibus in locis viget, concionandi exequiarum tempore, pium ac retinendum esse censemus. Monemus tamen, ne sacerdos mortuum immodicis laudibus efferat, neque de omnibus promiscue, quos funebri oratione laudat, quasi de jam cœlo receptis aut mox recipiendis loquatur. Sapit enim assentationem, quæ cathedram veritatis dedecorat, fovetque in auditorum animis inanem spem, quocumque modo vixerint, fore tandem ut vel ultima vitæ hora Deo reconcilientur, et cœlestem gloriam adipiscantur. Qua spe freti, plurimi male vivunt et misere pereunt. Ne igitur Concionator in vana et inani mortuorum laude immoretur; sed, quod longe utilius est, turbam superstitum adhortetur, ut eos precibus et suffragiis juvent suis. Deinde capta funeris occasione, in mentem revocet, quam brevis et fugax sit hominum vita, quam certa mors et ineluctabilis, quam tacito cursu properet, et nec opinantes invadat opprimatque. Ex fluxa et caduca vitæ et terrestrium rerum natura docu-

[1] Isai. xli., 17.

[2] Matt. vii., 9.

mentum eruat, non bona humana et brevi peritura, sed diuturna et immortalia diligenda esse et appetenda. Vel de tremendo illo judicio, quod mortem mox sequitur, si placet, verba faciat. Habent hæc certe, ut sacræ literæ docent, vim ad movendos terrendosque hominum animos maximam, ut totos virtuti se dedant, et vitia summopere detestentur ac fugiant. "Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis."[1]

144. Monent Tridentini Patres, brevitatem cum sermonis facilitate conjungi oportere. Vix enim fieri potest, quin prolixitas tædium pariat, quo omnis vis ac virtus prædicationis amittitur. Quod potissimum a Parochis, et aliis qui Dominica quaque die concionem habent, cogitandum est. Quibus enim audiendis populus assuevit, hos plerumque minus attente, et si longiores fuerint, oscitanter animoque alia cogitante audire solet. Neque verendum est, ne cuipiam minus placeat brevitas, quam rerum dicendarum gravitas et grata quædam orationis varietas comitetur.

145. Denique, qui vult dignus cœlestium mysteriorum esse præco, infinitam, quantum licet, Dei ipsius sanctitatem imitetur, cujus verba profert locumque obtinet. Christi præceptoris divini more *faciat* et *doceat;*[2] quæ scilicet præcepturus est, exemplo præmuniat suo, quæque aliis agenda suadere vult, prius ipse vita sua operibusque exequatur. Hieronymum monentem audiat: "Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? * * * * * * Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent."[3] Improbos non tam argumentis quam exemplo vincendos ait Chrysostomus: "Sic ergo illos prosternamus et contra ipsos pugnemus: ac vita, prius quam sermone, impetamus illos. Hoc enim magnum certamen est, hæc ratioci-

[1] Eccl. vii., 40. [2] Act. i., 1. [3] Ad Nepotian. de Vita Cler., Cap. 8.

natio est, cui contradici non possit, quæ per opera procedit. Etiamsi enim innumera verbis philosophemur, si non meliorem, quam illi, vitam exhibeamus, nullum est lucrum. Non enim dictis attendunt, sed facta nostra examinant, et dicunt: Tu prior verbis tuis obtempera, et tunc alios admone. Credibiliora mihi sunt facta quam dicta tua. * * * Etiamsi hæc non dicant, hæc cogitant et in mente versant. Et hoc impedit, quominus infideles Christiani fiant. Inducamus ergo illos per vitam nostram. Venemur illos per vitæ institutum."[1] Hoc sibi propositum habeat, non ut hominum laudem, quæ inanis gloriola est, concionibus suis aucupetur; sed ut omnia ad Dei laudem et gloriam, cujus minister est, referat et ab Ipso præmia in cœlis reposita expectet. Populi non gratiam aut plausum, sed emendationem quærat. "Non vocibus delectetur," ait vetus quinti sæculi auctor, "populi acclamantis sibi, sed fletibus; nec plausum a populo studeat expectare, sed gemitum."[2]

146. Præclare scilicet suo se munere functum existimet, se felicem, se beatum reputet, si impiorum hominum animis præteritorum criminum odium, metum, ac ruborem incusserit; si spem vitæque melioris propositum desperantibus instillaverit; si jurgia, dissidia, lites, odia restinxerit, Deoque et invicem inimicos reconciliarit; si frequentiorem et sanctiorem sacramentorum usum invexerit; denique, si nonnullos, ac vel unum quidem, fœda Dæmonis servitute liberarit. Quod si etiam labores exiguus aut omnino nullus fructus sequatur, ne animo ac spe cadat, nec labori parcat. Qua de re præstat iterum audire præclarum illud eloquentiæ sacræ lumen et ornamentum, Chrysostomum: "Etiamsi hodie non persuaseris, cras persuadebis; etiamsi nunquam persuaseris, perfectam habebis mercedem. Etiamsi non omnibus persuaseris,

[1] In Ep. I. ad Cor. Hom. III., § 5, Ed. Montf. X., 21, 22.

[2] Julianus Pomerius, De Vit. Contempl., Lib. i., Cap. 23, inter Opp. Prosp. Aquit.

ex multis paucos attrahere poteris; quandoquidem Apostoli non omnibus hominibus persuasere, omnes tamen alloquuti sunt, et de omnibus mercedem habent. Non enim ab exitu recte factorum, sed a mente recte operantium, coronas decernere Deus solet. Etiam si duos jeceris obolos, accipit; et quod erga viduam fecit, hoc et erga doctores operatur. Ne autem, quia non potes orbem terrarum servare, paucos despicias; neque ex magnorum desiderio a minoribus te abstrahas. Si centum non potueris, decem cures; si denos non possis, ne quinos spernas; si quinos non possis, ne unum despicias; si unum non potueris, neque sic animo deficias, nec quæ penes te sunt cohibeas."[1]

CAPUT VI.

De Vita et Honestate Clericorum.

147. "Nihil est," ait Concilium Tridentinum, "quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos, tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant."[2]

148. Clericos a cæteris non solum statu ac conditione, sed etiam veste distingui oportet. Verum quidem est, quod

[1] Loc. cit., pp. 22, 23. [2] Sess. xxii., de Ref., Cap. 1.

sapienter monet Sanctus quidam Pontifex, eos esse "discernendos a plebe vel cæteris doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu."[1] Neque tamen sanctissimus ille vir censendus est hisce verbis habitum corporis exteriorem, qui clericum deceat, improbare. Magnam enim habet utilitatem; cum non solum animi munditiem morumque honestatem significet, sed etiam ad has servandas non parum conferat. Etenim Clericis perpetuo in mentem revocat, quod sponte suscepere vitæ sanctioris institutum; et plurimas in vitia labendi occasiones arcet amovetque. Itaque volumus, ut Ecclesiæ legem servent, domique agentes vel in templo, veste talari, quæ Clerico propria est, semper utantur. Cum foras prodeunt muneris vel animi recreandi causa, vel in itinere, breviori quadam indui liceat, quæ tamen nigri coloris sit, et infra genua producatur. Venustiores quasdam et elegantiores vestium formas, quæ novæ in dies inveniuntur, aspernentur et respuant; cum vel graviores inter sæculares homines ab istis abhorreant. Memores tamen sint dignitatis suæ; neque vestitu et habitu horridos et incultos se præbeant. Monet S. Carolus, eximius ille disciplinæ sacræ restitutor et vindex, "ne in habitu clericali aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia et affectatæ sordes appareant."[2]

149. Duo hac de re prædecessorum nostrorum decreta adjicimus:

Sacerdotibus omnibus curandum est, ut veste talari et superpelliceo in omni sacro munere obeundo utantur. Iis etiam vehementer commendamus, ut vestem talarem constanter, quatenus fieri possit, gerant: quod si eam induere peculiaria rerum adjuncta non sinant, ipsis omnino injungimus, iis tantum uti vestibus quæ suo congruant ordini, scilicet, quæ

[1] S. Cœlestinus I. Ep. ad Epp. Prov. Vien. et Narb., Cap. 1, in Coll. Conc. Ed. Hard. I., col. 1259.

[2] Acta Ecclesiæ Mediolanensis. Lugduni, 1682, fol., Tom. i., p. 17.

nigri sint coloris, et omni inani ornatu careant, sintque ab omni mundana vanitate prorsus alienæ.[1]

150. Quoniam uniformitas etiam in rebus minimis maxime optanda Ecclesiæ semper visa est, statuimus superpelliceum esse debere modestum, decorum, et sacris functionibus conveniens. Statuimus etiam, ut biretum, cum episcopis singulis visum fuerit morem illud gestandi in suas diœceses inducere, Romano bireto sit conforme.[2]

151. Comam et barbam studiose, aut laicorum more, ne nutriant.[3] Comam alere sæpius a Synodis vetitum est.[4] Barbam Clericorum promissam nuper damnavit Pontifex Pius PP. IX.[5] Ecclesiasticis omnibus hac in re morem Romanæ Ecclesiæ, tanquam normam sequendam, mandamus.

152. Ubicumque fuerint, sive iter agant, sive per vias deambulent, sive sermones inter se vel cum sæculo deditis misceant, tum incessu et gestu, tum vultu ipso et voce, modestiam quæ decet ac gravitatem præseferant. Nimiam vocis elationem, risum immodicum, scurriles jocos, quidquid denique animi haud bene compositi indicium est, summo studio devitent. Verba liberiora, procacia, impia, ne aliorum quidem dicta referendo, proferant; alios ea proferentes, si aliter nequeunt, ore ac vultu reprimant coerceantque.

153. Ludis scenicis, spectaculis, choreis ne intersint.[6] Ab omni vetitæ venationis genere se abstineant.[7] Medicinam et chirurgiam, nec lucri gratia nec charitatis specie, exerceant. Qua in re districte servanda præcipimus ea, quæ a Benedicto XIV. statuta sunt.[8] Clerici arma ferentes Ecclesiæ lege

[1] Balt., 26. [2] Ibid., 31. [3] Acta Ecclesiæ Mediol., loc. cit.

[4] Inter cæteras vide Conc. Carthag. iv., an. 390, Can. 44 in Conc. Collect. ed. cit. i., col. 982; Capit. S. Mart. Braccar, an. 572, Can. 66, op. cit. Tom. iii., col. 398; Conc. Rom. sub Zach. Papa, an. 743, Can. 8, ibid., col. 1929. Cf. Decret. Can. 21, dist. 23.

[5] Vid. Epistol. Rdmi. Archiepiscopi Neocæsar. Nuntii Apost. apud aulam Bavar. ad Episc. Frisingo-Monacen. A. D. 1863; in Appendice.

[6] Acta Eccles. Mediol. i., 18.

[7] Ibid., Cf. Ben. XIV., de Syn. Diœc. xi., Cap. x., 6–10.

[8] De Syn. Diœc. xiii., Cap. x., 2–11; in Appendice hujus Concilii.

excommunicantur.[1] Qui militiæ nomen dant, fiunt irregulares, et in Jure Canonico præcipitur, ut "tanquam sacrorum canonum contemptores et Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur."[2] "Clericorum arma sunt orationes et lacrymæ. Idcirco edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ad offensionem vel etiam ad defensionem ferant, * * * * * nisi forte extra civitatem suspectis locis iter eis faciendum sit."[3]

154. Nonnulli sunt ludi, qui, licet privatim et domi fiant, Clericum tamen dedecent. Alii sunt, in quibus aleæ quidem, et *chartæ*, quas vocant, pictæ adhibentur; verum, quatenus animum honeste recreare et oblectare possint, a sacris canonibus non vetantur. Ludos igitur Clericus fugiat illicitos; licitis sic utatur, ut ne per excessum aut scandalum illiciti fiant. Qua in re hæc statuit Concilium Baltimorense I.:

Evitent diligenter sacerdotes omnem illicitum ludum: atque etiam ab omnibus quibuscumque ludis abstineant, etsi in animi diversionem, qui scandalo esse possint.[4]

155. Tribunalia profana negotii aut litis causa temere ne adeant. Ubi cum homine etiam sæculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat. Ecclesiæ vero honorem temnit et sacros canones conculcat, quicumque personæ Ecclesiasticæ vel Religiosæ, de rebus quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, coram profano judice litem intenderit. Quo spectat decretum, quod sequitur, a prædecessoribus nostris latum:

156. Cum grave fidelibus oriatur scandalum, et ecclesiastico ordini dedecus, dum causæ ecclesiasticæ ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias inter eos forte orituras de rebus vel personis ecclesiasticis,

[1] Cap. 2, de vita et hon. cler.; Clement. i., § adversus, de vit. et hon. cl.
[2] Cap. Quicumque, xxiii., qu. 8, et Can. 5, dist. 50. Cf. Ben. XIV., Inst. Eccl., 101.
[3] Acta Eccl. Med. loc. cit.
[4] Balt., 27.

amice componant, vel saltem judicio episcopi submittant. Quod si ecclesiastica vel religiosa utriusque sexus persona, aliam personam ecclesiasticam vel religiosam utriusque sexus coram civili tribunali temere citaverit de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere.[1]

157. Sacerdotem, qui Pauli monita[2] oblitus, Deo ac mundo simul militare vult, divitiis inhiat, seque ideo negotiis sæcularibus immiscet, non eadem quâ antea, frui libertate, non eadem vi et efficacia, quâ opus est, pollere in laicis admonendis vel reprehendendis, experientia compertum est. Præterea, ut minitatur Apostolus,[3] jam in eo est ut incidat "in tentationem et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem." Itaque quo longius ab hisce Diaboli insidiis Clerici removeantur, omnemque apud sæculares homines avaritiæ notam effugiant, Canonum præcepta renovantes, edicimus, ne rerum bonorumve quorumlibet, aut pecuniæ, mercaturam faciant; ne quæstuosas suo nomine, vel sub alieni nominis involucro negotationes exerceant; ne aliena prædia lucri causa conducant; ne pro aliis fide jubeant; ne aliorum in negotiis procuratores, inconsulto Episcopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, præterquam suorum, nisi Episcopo consentiente, suscipiant.[4]

158. Ut suus clericali statui servetur honor et dignitas, vetamus ne sacerdotes inter concionandum, vel occasione concionis, vel quovis alio prætextu, e suggestu vel altaris loco, de suis redditibus, honorariis, stipendiis, collectis Dominicis,

[1] Balt., 45. [2] II. Tim. ii., 4. [3] I. Tim. vi., 9.

[4] Vide totum Tit. de Vita et Honestate Cler.; Can. 9, dist. 88; 6, xiv., qu. 4; Clement. I., § adversus, de v. et hon. cler.; Conc. Nicæn., Can. 17, in Conc. Coll. ed. cit. i., col. 435; Conc. Arelat, Can. 11, ibid., col. 265; Can. Apost. 44, ibid., col. 38; Acta Mediol. Eccl. loc. cit.; Ben. XIV., in Const. Apostolica, 25 Febr., 1740; Clem. XIII., in Encycl. Cum primum, 17 Sept., 1759, (in Bullario Pontif. S. C. de Prop. Fide, Romæ, 1841, Tom. iv., p. 13.) In hac Encyclica, Pontifex innovat confirmatque omnes prædecessorum suorum et SS. Canonum hac de re sanctiones; Episcoposque obsecrat, ut in delinquentes inquirant et animadvertant. Ibid., §§ 4, 5.

aliisque hujusmodi ad populum sæpe sæpius verba faciant, queranturque, quasi non satis ampla, aut justo minora essent. Dedecet enim hoc ministrum et locum sacrum, vim omnem et efficaciam prædicationis elevat, animumque prodit habendi cupidum, et de iis omnibus quæ gentes inquirunt,[1] sollicitum nimis et anxium. Neque hujusmodi querimoniæ sine adstantium, inter quos non raro sunt Acatholici, rubore, stomacho, et scandalo audiuntur.

159. Reprobamus quoque et damnamus eum, qui haud paucis in locis inolevit, morem deponendi apud sacerdotes pecuniam, ea lege ut fœnore aucta stato tempore recuperetur. Hinc enim, ex nonnullorum imprudentia, facile oriuntur malæ suspiciones, jurgia, rixæ, lites, calumniæ denique, non sine gravi fidelium offensione et sacri ordinis dedecore. Præcipimus itaque, ne quis hujusmodi deposita in posterum accipiat, ne eo quidem prætextu, quod sint in Ecclesiæ temporale bonum, opera misericordiæ aliosve pios usus convertenda, nisi prius Episcopi venia in scriptis concedenda habeatur.

160. Clericos omnes in Domino hortamur, ut hujus mundi, cujus figura præterit, rebus ac bonis utantur, quasi non utentes;[2] neque velint operam, laborem, curas, tempus auro pretiosius in opibus comparandis consumere, quas mors brevi rapiet, aut, si propinquis obtigerint, improbi hæredes et discincti nepotes, nullo Ecclesiæ aut Religionis bono, maximo ipsorum detrimento ac crimine, cito disperdent ac dissipabunt. Eas potius longe meliores verique nominis divitias cupiant amentque, quæ in cœlo repositæ sunt apud Deum, quem olim, dum clero adscriberentur, in partem et hæreditatem suam in æternum elegerunt.[3]

161. Episcopos modesta mensa ac frugali victu contentos

[1] Matth. vi., 32.
[2] I. Cor. vii., 31.
[3] Ps. lxx., 11; et Pontif. Rom. in Ord. Clerici.

esse jubet Concilium Tridentinum.[1] Quod etiam de Parochis aliisque clericis, qui proprias domos habent, intelligendum est. Mensam tamen aliquando lautiorem instrui ob festos, qui intercidant, dies aut hospitio invitatos, nil vetat. Caveant tamen omni studio, ne corda eorum et conscientiæ graventur crapula et ebrietate.[2] Ebrietatem Chrysologus[3] vocat "in alio crimen, in sacerdote sacrilegium; quam ne auditu quidem attingere debet, ne, qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat et inveniatur exemplum." Et sane fieri omnino nequit, ut Sacerdos huic vitio deditus officii sui sacra munera exequatur; quemadmodum ait Isaias:[4] "Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium." Hinc eam non solum quasi "fomentum libidinis et incentivum insaniæ," sed etiam tanquam "venenum sapientiæ" damnat Ambrosius.[5] "A crapula et ebrietate" statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. "omnes clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent et se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium et libidinis provocet incentivum. * * * * Si quis super his culpabilem se exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit competenter, a beneficio vel officio suspendatur."[6] Juxta Canones Apostolicos, "Episcopus aut Presbyter aut Diaconus ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur."[7] Concilium Agathense, dum pœnas clericis ebriosis irrogat, monet hoc vitium esse in clericis cæterorum omnium fomitem atque nutricem.[8] Quod de libidine potissimum, illa scilicet membro-

[1] Sess. xxv., de Ref., Cap. 1.
[2] Luc. xxi., 34.
[3] Serm. xxvi. et xxxvii.
[4] Is. xxviii., 7.
[5] De Elia et Jejun., Cap. 16.
[6] Can. 15 in Conc. Coll., ed. Hard., vii., col. 32, 33.
[7] Can. Ap. 42 (ex interpr. Dionys Exig.) in Conc. Coll., ed. Hard. i., 38.
[8] Can. 41, an. 505. Op. cit., ii., 1002.

rum lege quæ legi mentis repugnat, et in lege peccati captivat,[1] dici potest. Hinc Apostolus a vino caveri vult, "in quo est luxuria:"[2] et, Hieronymo teste, "ubicumque saturitas et ebrietas fuerint, ibi libido dominatur."[3] Qui igitur summam illam, quæ sacerdotem decet, corporis animique castimoniam servare student, caute diligenterque invigilent, quo melius vel prima fœdissimæ hujus labis contagia vitare possint. Principiis obstent; neque enim ex improviso ac repente, sed paullatim, hoc vitium animos occupat atque inficit, crescitque in dies, donec progressu temporis totam, ut ait Chrysologus, sacerdotalis spiritus sanctitatem extinguat.[4]

162. "Ut flagitii occasionem, quæ in cauponis et tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu et usu eis omnino interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa."[5]

163. Quod sacros homines a profanis, clericos a laicis, potissimum distinguit, est sanctissimum illud vitæ genus, quod servandæ perpetuo castitatis legem consequi debet. Huic vitæ sanctioris instituto qui se addixerunt, sic in terris agant oportet, quasi non jam inter homines, sed in cœlo versarentur, inter beatissimos illos Dei famulos et amicos, qui, nullo corporis vinculo impediti, Agni inter lilia pascentis vestigia sequuntur, terrena nec vident nec curant, nil nisi Deum et divina cogitant. Jam vero quotquot sacerdotes sic inter mortales vitam degant, ut eorum "conversatio in cœlis" tota sit, oculique in futuram illam, quam inquirimus, perpetuo mansuram civitatem unice defigantur, ii profecto nullo se negotio immaculatos ab hoc sæculo custodient; et, sive divina eloquia annuntient sive divina mysteria dispensent, casta semper mente castoque corpore se Deo gratos et acceptos ministros exhibebunt.[6]

[1] Rom. vii., 23.
[2] Ephes. v., 18.
[3] Comm. in Ep. ad Tit. i., 7.
[4] S. Petr. Chrysol. Serm. cit.
[5] Act. Eccl. Mediol. loc. cit.
[6] Philip. iii., 20; Hebr. xiii., 14; Jac. i., 27

164. Non solum curare debet sacerdos, ut animam corpusque "in sanctificatione et honore, non in passione desiderii"[1] ita possideat, ut nullo se crimine maculet; sed etiam sua prudentia et vigilantia efficere, ut omnem vel levissimam criminis speciem a se procul amoveat. Nil agat, nil loquatur, nil vultu aut gestu exprimat, quod honestati, modestiæ, pudori minus consentaneum esse quis suspicari possit. Satius enim est nonnulla, quamvis Dei lege liceant, sacerdotem omittere, quam imperitorum suspicioni aut malevolentium obtrectationi aditum relinquere. Volumus igitur imprimis, ut sæcularium mulierum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate nimia ne utatur; neque eas, licet propinqua cognatione conjunctas, in eadem secum domo commorari sinat, nisi fuerint vita et moribus spectatissimæ, quæque nullo modo, sive directo sive indirecto, se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiæ administrandis immisceant. Œconomam, ancillam, aliamve famulam nullam habeat, nisi quæ sit maturioris ætatis, famaque integerrima gaudeat. Nunquam coram illis aut propinquis, si quas apud se habeat, de gregis regimine, de ecclesiæ negotiis, de parochianorum vitiis aut defectibus verba faciat. Quod si hujusmodi mulierculis omnes animi sui sensus aliaque silentio tegenda imprudenter prodat; ipsæ vero (quod plerumque accidit) fuerint quales Paulus describit, otiosæ, quæque per domos cursitant, et "non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet;"[2] tota sacerdotis docentis, monentis, præcipientis auctoritas et imperium corruat necesse est. Etiam cum fœminis pietatis studio deditis nulla sit ei familiaritas, nulla consuetudo, quam non caritatis aut officii ratio postulet.

165. Quo meliori et alacriori animo castitatem, quæ est præcipuum sacerdotii decus, custodire velint, venerandum

[1] I. Thess. iv., 4, 5. [2] I. Tim. v., 13.

illud Sacrificium, quod quotidie offerunt, cœleste illud Convivium, cui quotidie intersunt, sæpe sæpius mente et cogitatione recolant. Quod si Immaculatus ille Dei Agnus socios ac comites nonnisi ex Virginum choro deligit,[1] quam magna sacerdotibus puritate opus est, quos Ipse tanta familiaritate dignatur, ut eorum precibus quotidie cœlo evocatus adsit, iisque virginei sui corporis membra et sanguinem manibus tractanda, ore gustanda præbeat! Nonne iis longe meliori jure inculcandum videtur, quod olim de sacerdotibus Antiqui Fœderis Deus imperabat: "Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt, * * * quia consecrati sunt Deo suo. * * * Sint ergo sancti, quia ego sanctus sum, Dominus." [2]

166. Deinde hoc fixum immotumque animo propositum habeant, ut ea omnia, quæ ad peccandum impellere, suadere vel allicere possint, sedulo devitent. "Habemus" enim, ut ait Apostolus [3] "thesaurum istum in vasis fictilibus," quæ unaquâque fere hora periclitantur. Timide igitur ac diffidenter, quod Christianæ humilitatis est, de se suaque virtute sentiant; Deoque unice confidant, qui sacerdoti superbo et viribus suis meritisque glorianti resistit, humili autem gratiæ auxilium abunde dabit,[4] quo facilius ea omnia quæ castitati adversantur, superare ac debellare possit. "Habe fiduciam in Domino," ut in Sacris Literis monemur [5] "et ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temetipsum, time Deum, et recede a malo."

167. Denique, ut integram mentis corporisque puritatem servent, otium et desidiam, quasi pestem, fugiant. Si in cæteris hominibus, "qui sectatur otium stultissimus est," [6] sacer-

[1] Apoc. xiv., 4.
[2] Levit. xxi., 6–8.
[3] II. Cor. iv., 7.
[4] I. Pet. v., 5.
[5] Prov. iii., 5–7.
[6] Prov. xii., 11.

dos, qui id faciat, criminis potius quam stultitiæ nomine accusandus est. Curet igitur unusquisque, ut, quoties Diabolus insidias structurus accedat, ipsum semper inveniat occupatum. Si quem socordia et segnitie torpentem nactus fuerit, hunc facile vincet atque prosternet. Adeo verum est, quod olim sapientissimus ille dixit, "multam malitiam docuit otiositas."[1] Misera sane et luctuosa est sacerdotis conditio, qui, oratione et lectione posthabita, omnibus horis per domos forumque cursat, ut nova quæque audiat narretque; crebra etiam et diuturna cum laicis, præsertim fœminis, colloquia habet, in quibus nil grave, nil docto aut religioso viro dignum apparet, sed omnia vana, levia, minuta, ac frivola! Neque ille, qui sic vitam agit, mirari debet, quod ipsius animo nec opinanti vel invito fœdissimæ quæque rerum species obversentur, mentemque turpissima desideria invadant atque ita fere obruant, ut rationem ipsam e sua sede et imperio dimovere et dejicere videantur. Ut hisce malis sacerdos occurrat, molle et ignavum vitæ genus detestetur ac fugiat; et quod temporis divinis laudibus et sacro muneri persolvendo superest, ad literarum studia conferat. Neque disciplinis theologicis, canonicis, liturgicis semel operam dedisse sufficiat; semper aliquid habebit, quod ambagibus melius expediatur, vel quod novo lumine illustretur, vel quod memoria elapsum animo iterum altiusque imprimatur. Scientiis etiam profanis animum intendere poterit, quas colere sacerdotem maxime decet, cum non pauca ex iis ad sacram scientiam ornandam tuendamque haurire liceat. Humanioribus quoque literis animum excolat, et quando opus est, vel otium suppetit, concionibus ornatiori stylo pro festis diebus concinnandis det operam.

168. Ante omnia tamen opus est, ut horis omnibus sacerdos coram Deo ambulet, id est, Ipsum semper præsentem animo intueatur ac diligat. Orando et meditando hic amor

[1] Eccli. xxxiii., 29.

accenditur et fovetur. "In meditatione mea" ait regius Psaltes, "exardescet ignis."[1] Hic scilicet ignis est, qui simul ac animum occupavit, cæteros omnes superbiæ, cupiditatis, libidinis, ac terreni amoris igniculos restinguit. "Sacerdotium," ait Chrysostomus, "in terra peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet; et jure quidem merito. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia quæpiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in cœlis inter potestates illas collocatus esset."[2] Atque alibi sic sacerdotem hortatur: "Sit omnibus magister et exemplar virtutum vitæ tuæ speculum, omnibus in medio propositum, quasi primitiva quædam imago, quæ bona omnia in se contineat, quæ cum facilitate magna iis, qui se ipsi conformare voluerint, exempla bonorum operum exhibeat."[3]

169. Sacerdotalis officii munera et dotes compendiaria quadam ratione olim perstrinxerunt antecessores Nostri sequenti Decreto:

Abstineant a luxu et pompa vestium, a mundanarum personarum societate, a comessationibus, potationibus illicitisque lusibus et venationibus, ac demum quibuscumque omnibus clericali statu indignis, necnon sæcularibus negotiis. Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi talis ætatis et probatæ virtutis, de quibus nulla possit haberi suspicio. Fiant igitur forma gregis ex animo; sint exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; sint sobrii, prudentes, ornati, pudici, modesti; conversationem suam inter gentes habentes bonam, ut bene facientes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam, et obstruatur os loquentium iniqua. Sic autem pastores vigilent super gregem sibi

[1] Ps. xxxviii, 4.

[2] S. Jo. Chrysost. de Sacerd., 3 ed. Montf., I., p. 382.

[3] Id. Comm. in Ep. ad Tit. Cap. 2, ed. cit., Tom. xi., p. 752.

commissum, non coacte, sed spontanee, secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; sic illum pascant et regant sedula in suis ecclesiis residentia, verbi divini prædicatione, puerorum et ignorantium instructione, sacramentorum administratione, pia sacrificii oblatione, paterna infirmorum et pauperum cura, omniumque bonorum exemplo; ut cum apparuerit Princeps pastorum, ab ipso percipiant immarcescibilem gloriæ coronam.[1]

CAPUT VII.

De Seminariis ecclesiasticis constituendis et ordinandis.

170. Apostoli, quamvis rudes et illiterati homines, cum relictis retibus Jesum magistrum secuti essent, quæcumque ab eo acceperant, non solum invicte tueri, sed etiam cæteris docte luculenterque proponere et efficacissime persuadere potuerunt. Sapientia tamen, cujus ope id consecuti sunt, non ipsorum labore aut studio et exercitatione parta, sed divinitus concessa fuit. Jam vero singularis illa suadendi docendique vis ac potestas, quæ mirando prodigio illis Christianæ Religionis initio contigit, ab eorum successoribus, usitata divinæ Providentiæ lege, non nisi arduo ac diuturno labore comparari potest. Hinc magna semper sollicitudine id egit Ecclesia, ut scholæ et collegia ubique constituerentur, in quibus traderetur sacra illa scientia, quam labia sacerdotis custodire debent, et populo præbere qui legem requirit ab ore ejus.[2] Prædecessoribus quoque nostris id maxime semper cordi fuit, ut in hac regione Seminaria existerent, in quibus clerici theologicis disciplinis rite imbuerentur. Quod, quæ sequuntur, decreta Baltimorensia testantur:

[1] Balt., 58.

[2] Malach. ii., 7.

171. Episcopis commendant Patres, ut omni studio curent Seminaria in suis diœcesibus, juxta Tridentinorum Patrum decreta, erigere; eamque, quatenus locorum adjuncta patiuntur, in omnibus sequi formam, quam ipsi Tridentini Patres præscribunt: fidelium autem studium sæpius episcoporum hortationibus accendendum duxerunt, ut eleemosynas in opus adeo Ecclesiæ profectui necessarium liberaliter conferant.[1]

172. Consulendum episcopis, qui propria Seminaria non habent, ut collatis consiliis cum aliis episcopis ejusdem provinciæ, unum saltem Seminarium in unaquâque provincia constituant.[2]

173. Neque unquam destitit Sancta Sedes eosdem commonere et adhortari, ut cœpta via pergerent, nullumque hac in re laborem supervacaneum putarent. Nuperrime vero Em^us ac Rdm^us Sac. Congr. de Prop. Fide Præfectus, in sua ad Apostolicum pro Concilio hoc Plenario habendo Delegatum Instructione, id ipsum gravissimis verbis iterum inculcavit.[3]

174. Optandum quidem foret, ut suum quæque diœcesis Seminarium haberet. Verum id apud nos prohibet tum Episcoporum quorumdam paupertas, tum sacerdotum paucitas, qui vix aut ne vix quidem ecclesiarum curæ et sacris missionibus sufficiunt. Volumus tamen ac præcipimus, ut in unaquaque provincia unum saltem existat Seminarium, quod Episcopi, prout inter eos convenerit, collatis pecuniis erigant, aut jam erectum servent ac tueantur.

175. Valde etiam optamus, ut præter majus hoc Seminarium, aliud quod parvum aut Præparatorium vocant, in unaquaque diœcesi existat. Quod si nondum fieri possit, unum omnino pro unaquaque provincia constituatur. Non parva sane ex parvis hisce Seminariis capitur utilitas. In iis enim adolescentuli certiora in dies indicia prodent, quinam clericali militiæ adscribendi sint, quinam ab ea repellendi. Præterea tenerrima puerorum ætatula a pravis exemplis et mundana conversatione tuta defenditur, dum doctrina et moribus se

[1] Balt., Num. 37. [2] Ibid., 91. [3] Instr. 31. Jan., 1866, dat., § 4.

parant, idoneosque reddunt, qui in Seminaria majora admittantur. Habent etiam hoc commodi, ut cum in iis ea omnia, quæ ad literas ac scientiam profanam pertinent, doceantur, in majoribus Theologia tantum et disciplinæ sacræ discendæ supersint.

176. Principio igitur Episcopus eos tantum in minora Seminaria admittendos eligat, "qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint,"[1] quique sua pietate, modestia, cæterisque virtutibus spem præbeant fore, ut digni Dei ministri olim evadant, eique perpetuo in ministerio ecclesiastico inserviant. Pauperum filios præcipue eligi vult Concilium Tridentinum;[2] ditiorum tamen non excludit, modo suo sumptu alantur, ac studium præseferant Deo et Ecclesiæ perpetuo inserviendi. Hi præter linguam patriam, Latinam et Græcam, cæteraque quibus apud nos puerorum ætas imbui solet, addiscant etiam Cantum Gregorianum, et saltem prima elementa rei liturgicæ et historiæ tam Biblicæ quam Ecclesiasticæ. Quumque puerorum animi tenellâ hac ætate molliores sint ac quasi cerei, qui in utramque partem flecti facile possint, Rectores Seminariorum præceptis, hortatu, exemplo, indefessa vigilantia fortiter id suaviterque efficiant, ut ad pietatem et sanctitatem fingantur.

177. In Seminariis majoribus per optimos, quos habere liceat, magistros ea omnia tradantur, quæ quemque scire decet, ut Sacerdotali munere rite fungatur: ante omnia vero Theologia tam quæ mores quam quæ dogmata respicit; Canonici Juris rudimenta; Hermeneutica, sive Sacrorum Librorum interpretatio; denique sacræ eloquentiæ præcepta. Ac ne juvenum animi otio tabescant, sed magis magisque ad optimos studiorum fructus percipiendos excitentur, singulis annis ante ferias æstivas vel autumnales, in unaquaque disciplina per Episcopum, vel, eo absente aut impedito, per tres, quos ipse

[1] Conc. Trid., Sess. xxiii., de Ref., Cap. 18.

[2] Ibid.

designaverit, presbyteros examinentur. Præterea, quo melius eloquentiæ sacræ præcepta non memoria solum, sed usu etiam et exercitatione teneant, ultimo saltem studiorum anno in refectorio aut aula communi Theologi in vices conciones habeant, quibus intersint non alumni tantum sed Superiores etiam et Professores. Horum erit post concionem vitia, si qua deprehenderint, notare et corrigere.

178. In Seminariis majoribus, quæ in commune totius provinciæ bonum instituta sunt, æquum omnino est studiorum curriculum ita ordinari, ut non solum communia, quæ in quovis Seminario docentur, sed plura et præstantiora complectatur. In primis, Sacra Exegesis pleniori et accuratiori ratione pertractetur. Cumque hæc quâdam linguæ Hebraicæ cognitione et peritia indigeat, huic linguæ addiscendæ unum saltem annum, philosophiæ postremum aut Theologiæ primum, impendere omnes cogantur; reliquis annis accedant aut abstineant, prout lubitum erit. Philosophorum etiam systemata, recentiorum præsertim, ita enucleentur, ut difficultates, quæ inde contra Sacri Codicis auctoritatem vel Ecclesiæ doctrinam peti solent, facile refellantur. Luctandum enim quotidie nobis est, non jam cum hæresibus aut toties profligatis veterum erroribus, sed cum adversariis novis, incredulis, et, indolem si spectes, ethnicis magis quam Christianis, qui nec Deum nec divina curant; cultissimis tamen et ingeniosis, qui omnia sive in cœlo sive in terra ratione metienda dictitant, et sic insitam humanæ naturæ superbiam blandiendo fovent, quo melius imperitis fucum faciant. His, si veritas persuaderi non potest invitis, os obstruendum est tamen, ne rudiores inani verborum sono seducant.

179. Quum vero magna scientia sine sanctis moribus ad destructionem potius quam ad ædificationem proficiat, maximo quo possunt studio curent Superiores Seminariorum, ut alumni, dum progressus in sacris scientiis agunt, firma etiam

ac solida vitæ spiritualis fundamenta jaciant, et de virtute in virtutem progrediantur. Quid enim proderit, siquis in docendo ac disputando solers ac peritus, in concionando disertus evadat, nondum tamen se suasque cupiditates perdomare didicerit; si scientia excellat, pietate vero, humilitate, castimonia, cæterisque virtutibus non præstet? Magna quidem est Ecclesiæ militantis necessitas; multi sane parvuli qui panem salutarem lacrymis petunt, nec, qui frangat, inveniunt; multæ regiones ad messem albæ et paratæ, quæ messores non habent. Minus tamen infortunium est, oves Christiani gregis fame interire, quam per lupos, pastorum veste indutos, disperdi atque mactari. "Melius profecto est," monet Benedictus XIV.,[1] "pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, necquicquam sint valituri." Moribus igitur alumnorum Superiores sedulo inviligent; indolem cujusque exquirant, quo aptius ac felicius regant: regulas accurate observandas curent. Leni imperio, patrum more magis quam dominorum, omnia moderentur. Iis, qui non tam malitia quam infirmitate labuntur, animos addant; eos blandis hortatibus erigant, monitis consiliisque confirment. Dyscolos vero ac disciplinæ osores salutaribus pœnis coerceant; quod si nunquam corrigendos aut aliis exitio futuros prævideant, sine mora expellant. Demum nullo labori, nullæ sollicitudini parcant, pro certo habentes se, officio bene functos, maximo apud Deum in honore olim habendos, maximo præmio donandos esse. "Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates."[2]

180. Experientia docet sæpius evenire, ut alumni unius Seminarii in aliud migrent, sive quia ad ministerium haud idonei judicantur, sive disciplinæ severioris fuga, sive tandem ex animi inconstantia et levitate. Præcipimus igitur, ut

[1] Encyclic. Ubi primum, 3. Dec., 1740. [2] Dan. xii., 3.

nemo hujusmodi in posterum in Seminarium quodvis admittatur, nisi secum afferat literas testimoniales ab Episcopo et Superioribus Seminarii, ex quo recens egressus est. Quod si eum hactenus Episcopus ille aut superiores Seminarii suis sumptibus aluerint, ex justitia recuperare debent ab Episcopo aut Superioribus Seminarii, ad quod transiit, tantum, quantum in ipso educando impensum fuit.

181. In quacumque diœcesi aut provincia inveniantur Catholici, qui Germanica tantum lingua utantur, expedit ut in majoribus vel minoribus illius diœcesis aut provinciæ Seminariis, hanc linguam alumni addiscant, ita saltem ut in casu necessitatis positos possint absolvere.

TITULUS IV.

De Ecclesiis Bonisque Ecclesiasticis tenendis tutandisque.

CAPUT UNICUM.

182. Quo rectius rerum ecclesiasticarum ordinaretur administratio, ædituiorumque laicorum reprimerentur abusus, Concilium Baltimorense primum, quæ sequuntur, tulit Decreta:

183. Cum sæpius æditui laici abusi sint jure sibi a civili potestate tributo, in magnum religionis detrimentum, non sine fidelium scandalo, optamus maxime, nullam in posterum erigi ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit episcopo in cujus diœcesi erigenda est, in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit: Regularium etiam privilegiis sartis tectis servatis, secundum ea quæ a jure canonico et Romanorum Pontificum constitutionibus decreta sunt. Hoc tamen decreto nihil innovare volumus in ea ratione agendi, quam in sua diœcesi Episcopus Carolopolitanus jam servat.[1]

184. Quoniam graves ortæ sunt turbæ diversis temporibus in hisce statibus, laicis hominibus, præsertim ædituis, sibi perperam assumentibus jus patronatus, et (quod magis mirandum est) jus institutionis ad ecclesias seu missiones, adeo ut pastores, seu missionarios sibi eligere vellent, etiam invito episcopo, eosque retinere in pastorali munere contra episcopi

[1] Balt., Num. 5.

voluntatem; vel eos quos episcopus probaverat rejicerent, vel dimittere aggrederentur, vel muneris sui exercitium impedire, subsidiis ad vitæ sustentationem subductis, seu alia quâvis ratione; quorum conatibus nonnulli sacerdotes sinistros ob fines favisse aliquando noscuntur: Litteris Apostolicis sac. mem. Pii VIII., et Leonis XII., ac S. Congregationis responsis inhærentes, hoc nostro decreto declaramus, repugnare prorsus doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ jus illud a laicis assumptum instituendi, seu dimittendi pastores; et insuper declaramus, nullum jus patronatus cujuscumque generis, quod sacri agnoscant canones, competere nunc alicui personæ, laicorum congregationi, æedituorum cœtui, seu aliis quibuscumque, personis in hac provincia. Declaramus etiam stipendia, seu subsidia quæcumque, quæ solent a fidelibus tribui, vel ob loca quæ in ecclesiis occupant, vel ob servitium quod ecclesiis seu missionibus sacerdotes impendunt, vel ut fundus ad ecclesiam ædificandam comparetur, vel ut ecclesia extruatur, (quæ subsidia plerumque tribuuntur collatitia stipe, et nulla assignata ecclesiæ certa dote,) nullum jus tribuere patronatus, quod a sacris canonibus agnoscatur.[1]

185. Insuper, vehementer urgemus omnes hujus provinciæ præsules, ut religioni, paci Ecclesiæ, et sacerdotalis ordinis dignitati consulant, saltem facultates statim revocando, vel ab omni sacro munere suspendendo, quoadusque post integram pœnitentiam et satisfactionem ipsis præsulibus visum in Domino fuerit, quemcumque clericum qui aliquatenus usurpationis hujusmodi fabricator, seu ei consentiens fuerit, prout a Tridentinis Patribus est statutum.[2]

186. Præterea, si plebs aliqua, seu congregatio, seu æedituorum cœtus, seu alii quicumque agressi fuerint aliqua ratione, contra præsulis voluntatem, in ecclesia quacumque retinere sacerdotem aliquem qui a præsule non fuerit approbatus, vel cujus facultates fuerint ablatæ, vel qui suspensus fuerit, (quamdiu non fuerit a legitimo Superiore rehabilitatus); vel si congregatio illa, seu æedituorum cœtus molestiam inferat in suo munere obeundo alicui sacerdoti sacrum munus exercenti cum præsulis approbatione, aut subducat vel retineat consuetum subsidium ad illius sustentationem: præsules urgemus omnino, ut tum demum interdicant ipsorum ecclesiam, (quoadusque tanto malo remedium afferatur,) cum cetera omnia

[1] Balt., Num. 6.

[2] Ibid., 7.

remedia inutilia esse appareat. Hortamur etiam omnes præsules in hac regione, ut sæpe sæpius administratoribus rerum temporalium, quæ ad ecclesiasticos et pios usus destinantur, proponant et inculcent, et executioni demandari curent, quæ a concilio Tridentino in hanc rem sunt sanctissime decreta. (Sess. xxii., Cap. 11, de Ref.)[1]

187. Patres vero Concilii Baltimorensis tertii, pia moti sollicitudine, ne Deo dicata bona in alios diverterentur usus, hæc decreverunt:

Ne fidelium pia voluntas suo fraudetur effectu, et quæ Deo dicaverint in Ecclesiæ utilitatem, ad alios transferantur usus, monemus episcopos, sacerdotes, et alios omnes, penes quos bona sunt mobilia vel immobilia ad ecclesiasticos usus data, ut, ea quæ in singulis Fœderatis Provinciis tutissima videbitur ratione, quamprimum curent ea, juxta leges civiles, usibus a donatoribus designatis servanda. Quod si quis clericorum, vel laicorum, hujusmodi bona a designatis usibus contra donatorum voluntatem averterit, se in pœnas a concilio Tridentino latas (Sess. xxii., Cap. 11, de Ref.) incurrere noverit.[2]

188. Quo efficacius Ecclesiasticorum Bonorum securitati providerent, hæc insuper statuerunt Concilii Baltimorensis IV. Patres:

Præsules omnes monemus ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant omni qua valent ratione, ideoque legum seu auctoritatis civilis præsidium quærant, ubicumque haberi possit, salvo tamen libero episcoporum jure. Quod si nequeant illud obtinere, saltem testamento juxta legis dispositiones scite facto, cujus duplicatum habeant, caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa a suis finibus avertantur. Habeant etiam bonorum ecclesiasticorum inventorium, et titulos et instrumenta omnia rite disposita. Et si contigerit eos extra diœcesim versari, litteras procurationis apud quemdam virum probatum relinquant, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare. Monemus insuper episcopos, ne sinant sacerdotes penes se retinere suo nomine, quæ a fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt, eorumque fidei commissa.[3]

189. Sacra Congregatio de Propaganda Fide, die 15 Dec.,

[1] Balt., Num. 8. [2] Ibid., 43. [3] Ibid., 56.

1840, decretum de Bonis Ecclesiasticis tuto servandis edidit: cujus summa est, debere Episcopum unumquemque testamentum condere, quo unum ex suis hujus regionis co-episcopis, quem magis idoneum in Domino judicaverit, hæredem constituat, eo fine, ut sic constitutus hæres successori Episcopi morte sublati omnia tradat bona, quæ ipsi hujusmodi hæreditatis jure obvenerint; id tamen in ipso testamento minime exprimendum, sed significandum hæredi sic instituto per literas, quas perlectas hic comburere debeat. Episcopus, qui coadjutorem habet, illum debet hæredem constituere. Quoad bona communitatum, sive Ecclesiasticarum sive Religiosarum, decrevit eadem Sacra Congregatio:

"Archiepiscopum et Episcopos, post decreti istius receptionem, ad Superiores, Præfectos, vel Præsides communitatum, quæ intra diœcesis suæ fines reperirentur, scribere debere, illisque omnibus auctoritate S. Congr., quæ illis omnibus ad hoc specialiter delegata fuerit, præcipere, ut quamprimum fieri potuerit, certiorem per literas Episcopum facerent: 1mo. An, quæ, et quo onere bona possideat communitas, cui præsit? 2do. An suæ communitati facultas seu jus a civili potestate datum fuerit, bona omnia vel eorum partem possidendi, et ad successores transmittendi? (If they have been incorporated, and empowered to hold all or any part of their property, and what?) 3tio. An bona omnia, vel aliqua eorum pars, a Superiore vel ab aliquo communitatis membro, vel a pluribus conjunctim possiderentur? 4to. An aliquem invenerint modum tuto ad successores bona prædicta transmittendi, et quis sit modus iste? An nullus alius haberetur modus præter testamentum?"

190. Ulterius eodem decreto statutum fuit: Episcopum, responso accepto, si nonnisi per testamentum bona ad successores transmitti possent, præcipere debere Superioribus, vel illis qui suo proprio nomine communitatis bona possiderent, ut statim testamentum juxta leges civiles duplici exemplari æque authentico conficerent, quorum unum in communitatis scriniis diligenter asservaretur, alterum vero ad Episcopum Diœcesanum in archivio custodiendum mitteretur.

191. Hujus S. C. Decreti intuitu, quinti Concilii Baltimorensis Patres ita declararunt:

Perpenso decreto S. Congregationis de bonis temporalibus Ecclesiæ, Patres animum maxime propensum ad mentem S. Sedis in omnibus sequendam ostenderunt, sed censuerunt speciales leges Statuum singulorum, locorumque adjuncta, gravia afferre incommoda decreti executioni; singulorum tamen episcoporum conscientiam onerandam esse, ut testamento, vel alio instrumento, consulant securitati bonorum ecclesiasticorum quæ penes se sunt: quorum testamentorum duplicatum exemplar apud archiepiscopum deponant, archiepiscopus autem apud seniorem episcopum, intra tres menses a sua consecratione: quod si neglexerit episcopus aliquis, monebit eum officii Archiepiscopus, eumque diu cessantem ad S. Congregationem deferet. Idcirco orant Patres, ut S. Sedes dignetur decreti rigorem hac ratione mitigare.[1]

192. Ne ecclesiæ ære alieno graventur, et ne earum bona male administrentur vel dissipentur, in eodem Concilio his, quæ sequuntur, decretis sapienter cautum est:

Monemus episcopos ut invigilent ne sacerdotes, vel ecclesiis temere erigendis aut reparandis, vel alia ratione ære alieno contrahendo, res ecclesiæ onerent, aut fidem fallant cum religionis dedecore: ideo exigant rerum rationem saltem quotannis, nec sinant eos æs alienum absque licentia scripto data, ecclesiæ nomine vel causa, contrahere.[2]

193. Moneantur sacerdotes, ne res suas rebus ecclesiæ immisceant, cum famæ suæ discrimine, vel offensione fidelium, qui injuriam fieri ecclesiæ facile existimant. Idcirco habeant librum quo res omnes ecclesiæ recenseantur; et si ipsi pecuniam in ecclesiæ usum contulerint, id fiat probante episcopo, et cum virorum fide dignorum notitia, et in libro referatur, ut episcopus visitationem habens possit singula inspicere, et jura omnium tueri.[3]

194. Ut ecclesiarum sanctitatem ab omni profano usu immunem servarent, ab ejusdem Concilii Patribus latum est hoc decretum:

Statutum est, ne laicis personis unquam permittatur verba

[1] Balt., Num. 59. [2] Ibid., 64. [3] Ibid., 65.

ad populum facere in ecclesiis, sine Ordinarii licentia, postquam consecratæ, vel tantum benedictæ fuerunt.[1]

195. De Bonis Ecclesiasticis, Patres Concilii septimi hoc statuerunt generale principium:

Statuerunt Patres ecclesias omnes, ceteraque bona ecclesiastica, quæ vel dono, vel fidelium oblationibus acquisita, in charitatis vel religionis operibus sunt impendenda, ad Ordinarium pertinere; nisi appareat, scriptoque constet, illa Ordini alicui regulari, vel sacerdotum Congregationi, in ipsorum usum tradita fuisse.[2]

196. Demum, quæ sequuntur, decreta circa eandem materiam promulgarunt Patres Plenarii Concilii Baltimorensis primi:

Patres censuerunt omnino expedire, ut juxta mentem Concilii Tridentini (Sess. xxii., Cap. 9, de Ref.) Ordinarius, aut per se, aut per sacerdotem, cui hac in parte vices suas committat, ab administratoribus rerum ecclesiæ temporalium, sive laicis, sive clericis, rationem eorum administrationis singulis annis exigat.[3]

197. Quoniam quæ Deo sunt donata in cultum divinum, et opera charitatis, in Ecclesiæ transeunt potestatem, cujus est invigilare ut donatorum pia voluntas fideliter impleatur, ideoque sacris canonibus a laicorum usurpatione sæpius vindicata sunt; districte vetamus ne laici sese ingerant iis administrandis, absque episcoporum libero consensu. Quod si eorum injussu eas usurpent, et ad suos usus divertant, vel alia quacumque ratione donatorum voluntatem frustrentur et fraudent, vel quæ fidei et curæ episcoporum commissa sunt, ex eorum manibus eripere, etiam legis præsidio, conentur, eos pœnis a Tridentinis Patribus irrogatis rerum Ecclesiæ usurpatoribus, (Sess. xxii., Cap. 11, de Ref.) ipso facto subjacere decernimus, et declaramus.[4]

198. Monemus sacerdotes qui ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne æditos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberæ earum administrationi impedimentum aliquod nascatur.[5]

[1] Balt., Num. 60.
[2] Ibid., 75.
[3] Ibid., 92.
[4] Ibid., 93.
[5] Ibid., 94.

199. Quum in Statibus hisce Fœderatis civibus, omnibus et incolis integrum sit, juxta religionis suæ præcepta libere et impune sese gerere, idque leges civiles agnoscant ac prædicent; nihil omnino obstare videretur, quominus eas Ecclesiæ leges accurate servemus, quæ ad Bona Ecclesiastica rite acquirenda et sarta tectaque servanda a Conciliis et Pontificibus huc usque latæ fuerunt. Optant proinde Patres, ut in oculis omnium et in plenissima civitatis luce suum Ecclesiæ jus vindicetur, liceatque Catholicis civibus hac in re, nempe in obtinendis, habendis, tutandisque bonis sacris, qualia sunt fundi in quibus templa extruuntur, templa ipsa, presbyteria, scholæ, cœmeteria et cætera hujusmodi, Ecclesiæ Catholicæ leges et instituta ob oculos habere.

200. Hæc autem plena libertas tunc tantum existere dici posset, si leges et provisiones ab ipsa Ecclesia factæ in foro quoque civili quoad hæc admitterentur, iisque hoc modo vis civilis tribueretur. His omnium jura sarta tecta servantur; abusibus si qui forte occurrant abunde obviam itur; et potestas Episcoporum nedum sic augeretur, minueretur potius per provisiones ab ipsa Ecclesia factas. Ut enim se tutari possint ab indebita ingerentia tribunalium laicorum, quæ Ecclesiæ leges vix et ne vix quidem in praxi agnoscerent, nil nunc remanet Episcopis, ut omnia ad normam legum Ecclesiasticarum fieri curent, nisi ut plenissimam rerum administrationem in facie potestatis civilis sibi vindicent. Cum autem illa legum et tribunalium Ecclesiasticorum agnitio in Statibus quibusdam nondum existat, nostrum est ita res componere, ut, in locis ubi per leges civiles melius provisum haud fuerit, impedimenta quæ libertati Ecclesiæ et bonorum securitati e legibus civilibus oriuntur vel amoveantur prorsus, vel in quantum fieri potest minuantur.[1]

201. Ut autem infra debitos limites cohibeantur æditui laici,

[1] Cf. Balt., Num. 5.

quocumque demum modo eligantur, hæc jam in Concilio Provinciali Neo-Eboracensi Tertio statuta, et ab Apostolica Sede recognita, ad omnes harum provinciarum ecclesias extendimus, et ubique servari consulimus.

"Visum est Patribus, *præscriptionibus ac declarationibus inhærendo ab Apostolica Sede sæpius editis, præsertim vero a Summis Pontificibus Pio VII., et Leone XII. in suis literis* "Non sine magno," *die* 3. *April*, 1823, *et* "Quo longius," *die* 16. *Aug.*, 1828, regulas quasdam mature compingere, quæ normam præbeant ac veluti formam tum æditous eligendi, tum eorum acta moderandi. Sunt vero hujusmodi:

1°. "Ut ne ille Æditurorum numero adsciscatur, de quo, sub ipsam electionem, vel paullo ante, constiterit eum Societati cuivis secretæ nomen dedisse, vel Sacramenta Paschalia non suscepisse.

2°. "Probe intelligant Æditui nefas sibe *omnino* esse, vel minimam bonorum Ecclesiæ partem in suos usus quovis titulo vel prætextu traducere, aut *in extraneos, nisi de venia Episcopi, ac servatis constitutionibus Apostolicis de rerum Ecclesiasticarum alienatione.*

3°. "Ordinariis sumptibus exceptis, ne liceat Æditius pecuniæ summam, ultra trecentos scutatos nummos, in ullum peculiare opus erogare, nisi Episcopus de scripto assentiatur.

4°. "Norint Æditui, penes Episcopum esse arbitrium nominandi et creandi Parochum Ecclesiæ, eumque in officio detinendi, vel contra. Ipsius quoque Episcopi unice est, certam nummorum summam Pastoribus animarum attribuere pro eorundem sustentatione; neque licet æditiuis stipendia ejusmodi retinere, vel imminuere, vel augere.

5°. "Pastoris est designare Organistam, cantores, sacristam, custodem seu apparitorem, ludimagistrum, (siqua schola in Parochia exstat) et hujus generis homines alios, qui Altari vel Templo inserviant.

6°. "Caveant Æditui ne, Parocho inconsulto, quidpiam tanquam legem aut normam Parochianis præfiniant. Siqua porro discrepantia Pastorem inter et Æditous de rebus gerendis conferentes exoriatur, nec dissensionem componere ipsi per se valeant; controversiam dirimet Episcopus, cujus judicio et sententiæ parebunt omnes."[1]

[1] Conc. Prov. Neo-Eborac. III., anno 1861 celebratum. Neo-Eboraci, 1862, pp. 25, 26.

202. Declaramus enim universalem Catholicæ Ecclesiæ legem esse, omnes illos qui ecclesiæ bona quocumque modo administrant, nonnisi consentiente Sede Apostolica vel Episcopo, id licite facere, eosque in illorum administratione auctoritati et jurisdictioni Episcoporum, vel si exempti sunt, auctoritati et jurisdictioni eorum, quos Sedes Apostolica designaverit, esse subjectos.

203. Quod spectat vero ad controversias, quæ Episcopos inter et Regulares nonnunquam sunt exortæ, de quibus in Instructione ad hujus Concilii Patres S. Cong. de Propaganda Fide loquitur,[1] censuerunt Patres facile ejusmodi difficultates esse componendas, si tam Episcopi quam Regularium Superiores et canonicas sanctiones, et Decreta Baltimorensia hisce super rebus a S. Sede jam recognita, et bene intelligere studeant et accurate observare satagant. Omnis vero controversiæ fere tolleretur occasio, si quoties Congregatio quædam Religiosa, sive Ordo Religiosus, vel Ecclesiam vel domum in aliqua fundare Diœcesi velit, quod nunquam sine Ordinarii consensu fieri poterit, toties debeat inter Episcopum et ejusdem Congregationis, sive Ordinis, Superiorem, vel si opus fuerit, Superiorem Generalem, in scriptis exarari contractus instrumentum, quo omnia quæ ad fundationem, ad jura inde provenientia, et ad officia præstanda spectant, clare et sine ambagibus contineantur: cujus instrumenti duplex debeat esse exemplar, ut unum apud Superiorem, alterum vero penes Episcopum servetur. Quod si bene conficiatur, et sincero animo ab utraque parte, uti decet, observetur ejusdem tenor, nulla certe oriri deberet vel posset contestatio, etiam in casu quo Religionis prædictæ Socii Diœcesim relinquant.[2]

204. Demum, quicquid sit de meliore methodo tenendi ac tutandi bona Ecclesiastica, quæcumque in effectum deducatur, ad majorem cautelam, ac eorundem securitatem, monemus

[1] Articulus vi. [2] Vide infra, Tit. viii., De Regularibus et Monialibus.

Episcopos, ut, juxta S. Congregationis præscriptum, testamenta sua, post consultum jurisperitum probatum, accurate et solerter conficiant, eaque duplici exemplari diligenter conservare satagant, eo fine, ut si quæ, illis vita decedentibus, oriatur circa proprietatis titulum difficultas, iis palam productis in curia instrumentis ac legitime probatis, eliminetur, et sarta tecta contra omne discrimen Bona Ecclesiæ custodiantur.

TITULUS V.

De Sacramentis.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

205. Quum Christus Deus sua morte ac meritis humanum genus ex diuturna servitute in pristinam libertatem vindicasset, nosque, ex hostibus ac servis rebellibus, filios iterum atque amicos Patri suo reddidisset; ereptam olim justitiam, sine qua nemo Deo acceptus esse potest, nobis redonavit. Novos tamen ac miros modos simul invenit, quibus justitia illa sic potiremur, ut tum nomine tum re nostra esset; eamque integram adeo incolumemque servaremus, ut nunquam nisi nostra ipsorum culpa auferri vel minui posset. Sacra scilicet quædam symbola, septem numero, instituit, nobisque tradidit, quæ Novæ Legis mysteria vel Sacramenta nuncupantur. Atque horum quidem ratio ita comparata est, ut una ex parte sub sensum cadant oculisque et auribus percipiantur; ex parte autem altera ita sensum effugiant, ut nonnisi animo et cogitatione ea intueri ac comprehendere liceat. Quo sane modo sapientissimus rerum omnium Artifex humanæ naturæ imbecillitati optime consultum voluit. Ob corporis enim concretionem anima rerum, quæ sentiuntur, quasi adminiculo indiget, ut divina melius intelligat. "Nam si," ait hæc ipsa

pertractans Chrysostomus, "incorporeus esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset; sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur."[1] Jam vero nulla alia ratione, quam per hæc Sacramenta, "omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur."[2] Non sunt igitur, quod hæretici comminiscuntur, signa tantum externa, quæ pietatem vel in animo inesse et vigere ostendant, vel sopitam excitare ac fovere possint: sed eam habent vim et efficaciam, ut, quod foris declarant, intus operentur; et quod exteriori quadam actione vel ritu significant, id reapse in animo efficiant.

206. Nobis propositum non est ea omnia hic recensere, quæ de Sacramentis docet Ecclesia. Volumus tamen, ut ea fidelibus per concionatores sacros Dominicis ac festis diebus per annum diligenter ac copiose explicentur. Pauca tantum attingimus, quæ Sacramentorum ritus ac ministrum spectant.

207. Ac primo quidem, quod ad eos attinet, qui Sacramenta ministrant, sapientissimo Dei consilio factum videtur, ut hæc non cuivis temere aut proprio arbitrio usurpare et sua facere liceat; sed tantum dignis quibusque et rite dispositis, et quidem per Ecclesiæ ministros, impertienda sint. Hos enim potissimum Ipse elegit, per quorum manus pretiosa illa gratiæ et salutis fluenta, ex Christi morientis latere manantia, in populum fidelem deriventur. Cum igitur "Christi ministri" sint, Cujus vices gerunt, et "dispensatores mysteriorum Dei," sæpius secum recolant, qua singulari plane dignitate et honore fulgeant, quod quamque formidandum onus humeris gerant. Quotidie, et quoties Sacramentis ministrandis inserviendum est, illud in mentem revocent, sancta sancte, id est, reverenter ac religiose, esse tractanda. Summa igitur diligentia imprimis caveant, nequid eorum desit, sine quibus Sacramenti ratio non

[1] Hom. 82, al. 83, in Matth., § 4, Ed. Montf., Tom. vii., col. 787.
[2] Conc. Trid., Sess. vii., de Sacr., in Proem.

constat; et quoties de valore Sacramenti agitur, rejectis opinionibus, quas *probabiles* vocant, tutiores amplectantur.

208. Dum Sacramenta ministrant, "verba distincte et articulatim pronuntientur; incessus, vultus, corporis motus, vocis modulatio, rei sanctissimæ, quæ agitur, conscientiam exprimant, et fideles ad firmam fidem devotionemque intimam excitent. Præterea pro viribus et rerum adjunctis curent sacerdotes, ut nitida et decora sint, quæ ad Sacramentorum dispensationem requiruntur. Pastores sibi commissum gregem de Sacramentis et præparatione religiosa his permittenda, quoties occasio offertur, instituant."[1]

209. Quum in Sacramentis conferendis non ea tantum, quæ ad materiam, ut ajunt, formamque pertinent, accurate attendenda sint; sed et omnes sacræ disciplinæ leges, singulosque ritus, ac cæremonias in unoquoque Sacramento præceptas, fideliter et sancte servare oporteat; idcirco valde optamus, ut ab omnibus animarum curam gerentibus rubricæ Ritualis Romani, saltem semel singulis annis, diligenter evolvantur.

210. Quanto vero diligentiâ prædecessores nostri adlaborarint, ut Rituale Romanum accurate et ubique apud nos servaretur, et quanto studio caverint, ne ritus novi aut a S. Romanæ Ecclesiæ consuetudine alieni inducerentur, patet ex pluribus eorum decretis, quæ hic adjicimus, atque, quatenus opus sit, iterum confirmamus:

211. Cum vehementer optemus, ut, quatenus fieri poterit, per totam nostram provinciam accurate serventur quæ salubriter in Rituali Romano præscripta sunt, utpote quæ venerandæ antiquitatis exemplo, et Apostolicæ Sedis nituntur auctoritate; et ut tollantur abusus seu suppleantur omissiones ortæ ex priorum temporum difficultatibus; injungimus omnibus sacerdotibus in hac provincia degentibus ut studeant Ritualis regulas accurate servare.[2]

212. Rev^{mis} Episcopis S. Ludovici et Bostoniensi munus

[1] Conc. Vienn., A. D. 1858, Tit. iii., Cap. 1.

[2] Balt., Num. 10.

a Patribus demandatum est concinnandi, et hujus concilii nomine et auctoritate in lucem edendi Ritualis Romani accuratam editionem, necnon ejusdem breve exemplar in usum missionariorum; atque utrisque editionibus, in modum appendicis, adjungendi modificationes, hucusque a S. Sede concessas, una cum versione, vernacula lingua, eorum quæ predictis præsulibus vertenda esse visa fuerint.[1]

213. Placuit ut Rituale edatur Romano conforme, adjectis in appendice quæ ad ædificationem fidelium conducere visa fuerint, quod Baltimoræ edatur, auctoritate Rev^{mi} Archiepiscopi, et ubique per Fœderatas Provincias servetur. Ne autem peculiares ritus cujusque arbitrio inducantur, districte vetamus, ne sacerdotes a forma sibi in Rituali præscripta, consuetudinis obtentu vel alio quocumque prætextu, discedant.[2]

214. Statuimus, juxta Ritualis Romani præscriptum, in Sacramentis administrandis, et in defunctorum sepultura, sacerdotes omnino teneri ad adhibendam linguam Latinam: et si censuerint expedire, explicationis causa, eorum quæ recitant adjungere versionem lingua vernacula, eam tantum versionem adhibendam esse, quæ fuerit ab Ordinario sancita. Ubicumque autem consuetudo aliqua invaluerit huic decreto adversa, eam quamprimum abrogandam statuimus.[3]

215. Patres unanimi voce probarunt Rituale Romanum editum auctoritate conciliorum Provincialium secundi et quarti, curante Episcopo S. Ludovici, sed permiserunt ut appendix fieret amplior, precibus quibusdam vernacula lingua redditis, judicio Archiepiscopi, prout in concilio quarto decretum est. Districte tamen præceperunt sacerdotibus omnibus, Latinam formam precum nunquam omittere.[4]

216. Quoniam maxime desiderantur libri Anglice conscripti, qui de sacris ritibus tractent, statuimus librum cærimoniarum, qui Rituali Romano sit conformis, et S. Sedis judicio subjiciendus, ex probatis operibus componendum, ut sacerdotes clericique omnes per hanc provinciam accurate calleant et servent ritus Ecclesiæ universalis. Ei autem præmitti volumus explicationem eorundem rituum, ut fideles sacris functionibus adsistere possint majori sensu et ædificatione.[5]

217. Cæremoniale editum juxta concilii Baltimorensis

[1] Balt., Num. 36.
[2] Ibid., 44.
[3] Ibid., 19.
[4] Ibid., 66.
[5] Ibid., 30.

Provincialis primi decretum, in omnibus Provinciis Fœderatis servandum volumus, ut rituum uniformitas ubique vigeat, et in omnibus S. Romanæ Ecclesiæ consuetudines æmulemur.[1]

218. Rituale Romanum, jam adoptatum a concilio primo Baltimorensi, accurate servandum in sacris muneribus peragendis ubique in diœcesibus Statuum Fœderatorum decernimus, vetantes districte ne consuetudines ritusve a Romanis alieni introducantur. Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum; vel etiam in cœmeteriis profanis, quando adsunt cœmeteria catholica.[2]

219. Manuale cæremoniarum et librum cæremonialem, jussu concilii Baltimorensis primi præparata, et Gregorio PP. XVI., fel. mem. probata, quæ emendatiori stylo iterum in lucem edita sunt, præmissa etiam rituum explicatione, ubique per omnes Fœderatos Status adhibenda statuimus.[3]

220. Statuunt Patres ritus sacros pro benedictione SS. Sacramenti, in Cæremoniali et Manuali jam præscriptos, ab omnibus in hisce Fœderatis Provinciis stricte esse observandos.[4]

221. Quum, jubente Christo Domino, dona spiritualia gratis accepta gratis danda sint,[5] quumque, teste Apostolo, avaritia sit quædam "idolorum servitus,"[6] quæ quidem in homine Christiano gravis noxa, in veri autem Dei Sacrorum ministro turpissimum facinus est; edicimus, ne quid pro Sacramentorum administratione exigere, petere, aut pacisci quisquam audeat.[7] Ea vero, quæ pietatis studio post collatum Baptisma vel Matrimonium, eleemosynæ nomine, a fidelibus sponte offeruntur, Sacerdos, si velit, accipiat. Hoc enim apud nos consuetudo tolerat, neque Ecclesia improbat.[8]

222. De Regestis vero Parochialibus, hæc habet Concilium Provinciale Baltimorense I.:

Missionariis, juxta Ritualis Romani præscriptum, et prædecessorum nostrorum decreta, injungimus, ut in suis ecclesiis

[1] Balt., Num. 42.
[2] Ibid., 80.
[3] Ibid., 81.
[4] Ibid., 95.
[5] Matth. x., 8.
[6] Coloss. iii., 5.
[7] Can. Baptizand. caus. i., qu. 1; et Tit. de Simonia, passim.
[8] Rit. Roman., sub init.; De iis quæ in Sac. adm., etc.

libros habeant in quibus referant baptisma, confirmationes, matrimonia, et sepulturas; eosque Ordinario in sua visitatione exhibeant.[1]

223. Norma pro Regestis baptismatum, confirmationum, etc., texendis, jam a Rituali Romano tradita est, quam si cuncti sacerdotes sequantur, facile uniformitas in re maximi momenti per omnes provincias haberi potest. Attamen, quum multis in locis magnum incommodum oriri posset, si integra formula, qualis in Rituali habetur, semper exscribenda foret, Regesta hoc, qui sequitur, modo confici possunt. In capite uniuscujusque paginæ ponatur formula communis, sub qua singulis, ut vocant, columnis, suo quodque loco notetur. Cujus specimen, Patrum examini subjiciendum, postea exhibebitur. Ob rationes satis graves, quasque per se quisque facile intelliget, hæc Regesta, præter unum fortasse Librum Emortualem, Latina lingua exarari decet.

CAPUT II.

De Baptismo.

224. "Magnis nos mysteriis dignatus est Unigenitus Filius Dei; magnis et quibus digni non eramus, sed quæ decebat illum dare."[2] Nobiscum enim agendo, non nostra miseria et pravitate, sed infinita ea, qua Ipse est, clementia Christus omnia metitur. Inter hæc mysteria primum locum obtinet Baptismatis Sacramentum; quo, tanquam aquæ lavacro, mundamur et sanctificamur in verbo vitæ.[3] Per hoc enim Christus veniam et merita, quæ humano generi apud Patrem suum moriendo conciliaverit, ita nobis impertitur, ut vere

[1] Balt., Num. 14.
[2] S. Jo. Chrysost., Hom. xxvi., al. xxv., in Joan., § 1, Ed. Montf., Tom. viii., col. 148.
[3] Ephes. v., 26.

justi et "filii Dei nominemur et simus."[1] Natura quidem filii iræ et filii Adami nascimur, baptismate autem filii misericordiæ renascimur: omnibus enim qui Christum boni libentesque accipiunt et agnoscunt, quique credentes in nomine ejus unda hac salutari abluuntur, Ipse dedit potestatem filios Dei fieri.[2]

225. Baptismus non solum culpæ sordes, quas ex protoparentis scelere contraximus, et crimina, si qua sint, actu patrata omnia delet, justitiæque et sanctitatis dona confert amplissima; sed etiam adeo ad salutem, vel in re vel in voto, necessarius est, ut ad promissum Christi regnum alii, quam baptizato, non pateat aditus. Hanc scilicet Ipse legem tulit. "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit." "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."[3] Quæ Christi verba quum ita clara et aperta sint, quis non miretur, immo non lugeat miserandam sectariorum nostrorum conditionem, qui Ipsius nec minas formidant, nec oblata beneficia curant? In clarissima enim Scriptuarum, quas manibus assiduis terere se gloriantur, luce misere cæcutientes, eloquia Domini oculis legunt, animo prorsus non intelligunt. Hinc adolescunt, senescunt, moriuntur denique, Christianorum nomen falso præ se ferentes, quin unquam Christi Ecclesiam per Baptismum fuerint ingressi. Infantes quoque suos, (quod sine lacrymis dici nequit) jure fraudant, quod Christus effuso sanguine iis comparavit, et quotidie passim e vivis excedere sinunt Baptismo destitutos, sine quo Dei vultum, cœlestis beatitatis fontem et originem, aspicere nunquam licebit. Detestabilem quoque parentum Catholicorum socordiam, qui parvulorum ætatem tot casibus obnoxiam non statim baptismatis sacramento muniendam curant, volumus ut pastores animarum acerrime ac sæpius reprehendant.

[1] I. Joan. iii., 1.
[2] Ephes. ii., 3; Joan. i., 12.
[3] Marc. xvi., 16; Joan. iii., 5.

226. De ministro hujus Sacramenti, illisque qui id suscipiunt, nonnulla adjicere placuit, ex decretis prædecessorum nostrorum plerumque hausta.

227. Ordinarius Baptismi minister est Episcopus in sua diœcesi, Parochus in sua parœcia. Hinc gravissima reprehensione digni sunt sacerdotes, qui infantes ab aliena, sive parœcia sive diœcesi, sibi oblatos temere baptizant, cum facile a proprio pastore baptizari potuissent. Abusum hunc, jam a concilio Prov. Baltimorensi VI. notatum,[1] iterum damnamus ac prohibemus.

228. Quum Baptismus adeo ad salutem, vel in re vel in voto, necessarius est, ut valide et licite ab omnibus, urgente necessitate, ministrari possit, curent sacerdotes, ut omnes fideles, præsertim medici, nutrices, atque obstetrices privati baptismatis conferendi modum rite calleant. Sedulo etiam explicent gravissimam, qua tenentur omnes absente sacerdote, obligationem illud infantibus, vel adultis consentientibus, qui in proximo mortis periculo forte constituantur, impertiendi.

229. De Acatholicorum infantibus ad baptismum oblatis, sic statuit Concilium Prov. Baltimorense I.:

Censemus infantes acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos quoties probabilis affulget spes catholicæ eorum educationis. Curandum autem omnino est ut patrinus, vel matrina, iique catholici, habeantur. Meminerit autem sacerdos, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere.[2]

230. Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint; tunc enim de iis idem judicium faciendum est, quod de infantibus, atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ

[1] Balt., Num. 72. [2] Ibid., Num. 17.

periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.[1] Baptizandi etiam sunt adulti omnes moribundi, quoties prudenter judicari potest, eos non certo respuere fidei gratiam; tunc enim *sub conditione* baptizari possunt. Adultus autem ratione utens, si nullum sit in mora periculum, baptizari non debet, quin prius ea quæ necessariò sunt credenda fuerit edoctus, et Christiani hominis officio satis facturum se spondeat.

231. *Sub gravi* unus saltem patrinus, sive vir sive mulier sit, in Baptismo solemni adhiberi debet. Neque licet plures quam duos adhibere, quorum unus sit vir, altera mulier. Patrinorum dotes ex Rituali Romano recenset idem Concilium:

"Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac sacramento confirmationis consignatos esse maxime convenit. Sciant præterea parochi, (quod et de sacerdotibus omnibus qui baptismum administrant intelligendum est) ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos; non publice excommunicatos, aut interdictos; non publice criminosos, aut infames; nec præterea, qui sana mente non sunt; nec qui ignorant rudimenta fidei: hæc enim patrini spirituales filios suos quos de baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur." (Rit. Rom.)[2]

232. De nominibus imponendis, et de aqua in Baptismate adhibenda, ab iisdem Patribus sic decretum est:

De nominibus in Baptismo imponendis præscribit Rituale: "Quoniam iis qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur; curet (sacerdos) ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur."[3]

[1] Rubr. Ritual. Rom., De Baptismo Adult. [2] Balt., Num. 11. [3] Ibid., 12.

233. Quando diversa tum Sanctorum, tum familiæ nomina in Baptismo infantibus tribuuntur, si sacerdos censuerit expedire, in prima interrogatione omnia nomina exprimat; in sequentibus tamen formis et precibus, nomina vulgo dicta christiana tantum repetat. In libro autem baptismatum, omnia nomina recenseantur.[1]

234. Meminerint etiam missionarii Rituale Romanum, et universalem Ecclesiæ consuetudinem exigere ut aqua, in Baptismo adhibita, fuerit benedicta in eum finem, vel sabbato sancto Paschæ, vel sabbato Pentecostes, vel alio saltem tempore ante Baptismi administrationem, forma in ipso Rituali præscripta. Curandum iis idcirco, ut fontes baptismales *sub clavi*, in unaquaque ecclesia, ubi Baptismi sacramentum ordinarie ministratur, quamprimum erigantur; prope quos, omnia quæ ad administrationem hujus sacramenti pertinent, nitide serventur.[2]

235. Cæremonias, quæ in Baptismo ministrando ad majorem pompam ac solemnitatem faciunt, Ecclesia sapienti consilio invenit, et magno semper in honore habuit. Hinc eas in solemni, quem vocant, Baptismo omittere, resecare, mutilare, præpostero ordine adhibere, aut in alias immutare, nefas est. "Neque enim," ut loquitur Benedictus XIV.,[3] "sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis tantæque antiquitatis ritus, atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii."

236. De more, qui olim in hac regione invaluerat, neque adhuc omni ex parte sublatus est, Baptismum in privatis domibus conferendi, hæc in supra commemorato Baltimorensi Concilio habentur:

Ex præteritorum temporum difficultate, invaluit in his regionibus consuetudo Baptismum privatis in domibus administrandi. Cum igitur magnæ gravitatis sit generalem legem in istis regionibus servandam statim ferre, cui contraria est consuetudo; etsi censemus curandum esse, quoad fieri potest, ut hoc sacramentum in ecclesia conferatur, tamen episcopo-

[1] Balt., Num. 13.
[2] Ibid., 15.
[3] Const. Inter omnigenas, die 2. Febr., 1744, § 19.

rum et missionariorum judicio relinquimus, ut statuant quando sint urgendi fideles ut infantes ad ecclesiam deferant, ut baptismus iis conferatur.[1]

237. Verum rebus plerisque in locis in melius mutatis, præcipimus, ne unquam sacerdotes extra ecclesiam hoc Sacramentum conferre audeant, præter mortis imminentem casum, in urbibus unam aut plures ecclesias habentibus. Qui ruri degunt, aut in pagis et oppidulis, ubi nulla est Ecclesia, infantes ad Ecclesiam propinquiorem vel stationem, in qua Sacrum fieri solet, baptizandos adducant. Quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, vel alias graves causas hoc fieri nequeat, tunc missionarii prudentiæ et conscientiæ relinquimus, ut eos domi cum omnibus Ecclesiæ cœremoniis baptizet.

238. Quum Baptismus privatus, ob mortis periculum, domi conferendus est, Sacerdos, stola alba indutus,[2] omissis omnibus ante Baptismum dicendis vel agendis, "Catechumenum statim trina vel etiam una aquæ infusione rite baptizet; postea vero si tempus adhuc suppetat, et Chrisma secum habeat, liniat eum in vertice, et linteolum candidum imponat, candelamque accensam ei porrigat, sicut in Ordine baptizandi traditur." [3]

239. In supplendis autem ritibus omissis, ille Baptismi Ordo servandus erit, sive Parvulorum sive Adultorum, qui servandus in Catechumeno fuisset tempore, quo Baptismum suscepit.[4]

240. Notam seu characterem, qui deleri omnino nequit, in animâ Baptismus imprimit. Hunc igitur qui iterare præsumit, gravissimum crimen admittit. Hæretici autem pleri-

[1] Balt., Num. 16.

[2] Decr. S. Congr. Rituum, in Calaguritana 23. Sep., 1820, ap. Gardellini.

[3] Verba sunt Constitutionis a Sacra Rit. Congr. probatæ, et in Philadelphiensi Synodo sexta nuper promulgatæ. Vide Append. hujus Conc.

[4] Ibid., § 2.

que, cum de Baptismo parum recte sentiant, eamque meræ cæremoniæ loco habeant, quæ nihil ad animæ salutem consequendam juvet, ritus quosdam, qui maximi momenti sunt, et sine quibus haud consistit sacramenti ratio, negligere sæpissime solent. Ideoque eos, quos singularis Dei gratia ex illorum castris evocat atque educit, quum Ecclesiæ nomen dant, iterum baptizari fere semper oportet. Neque tamen omnes ab hæreticis olim baptizati, statim temere a sacerdote ad quem accedant, iterum baptizari debent. Hoc enim fieri vetatur, "dummodo non adsit probabile dubium invaliditatis baptismi."[1] Neque de omnibus, nullo discrimine, per principia quædam, ut ajunt, generalia judicandum est: sed in singulos, qui oblati fuerint, casus, non levi quidem aut perfunctorio, sed diligenti examine, inquirendum est explorandumque, num in singulis servata fuerit debita materia ac forma. Quod postulat tum Sacramenti dignitas, tum verba ipsa legis ecclesiasticæ,[2] quæ Româ paucos ante annos ad nos transmissa fuit. Si, post accuratum examen, aliquid necessarium defuisse constet, Baptismus absolute iteretur; si dubium aliquod adhuc supersit, iteretur adjecta conditione: si denique, perpensis omnibus, nihil omnino Sacramenti substantiæ defuisse appareat, Baptismum iterare nequis audeat, aut per alium iterari sinat. Secus enim contrahitur illa labes et macula, quam *irregularitatis* nomine Theologi appellant.

241. Quod idem dicendum est, si forte dubium de valore Baptismi ab obstetrice, aut alia persona laica administrati excitatum fuerit. Non illico, ob exortum dubium, iterandus est Baptismus; sed tota res caute et diligenter investiganda,

[1] Decl. Sac. Congr. Concil., 27. Mart., 1683, apud Zamb. I., 210; Decr. S. Congr. Inquis., 17. Nov., 1830.

[2] "Instituto diligenti examine." Instructio Sac. Congr. S Officii 20. Julii, 1859, in Appendice hujus Conc. Cf. Ben. XIV., de Syn. Diœc. vii., 6, § 7; et Inst. Eccl. lxxxiv. Vid. etiam recentissimam Constitutionem a S. Congr. Rit. probatam et in Syn. Philadelphien. sexta promulgatam, in Append. hujus Conc.

et testimonio eorum, qui interfuerunt, definienda. Qua in re monet Benedictus XIV. unum testem fide dignum sufficere ad validitatem Baptismi probandam.[1]

242. In conversis ab hæresi ad fidem excipiendis, volumus ut ad amussim servetur modus ille, qui in Forma a Sacr. Congr. S. Officii, die 20. Julii, an. 1859, tradita habetur, et jam in quibusdam libris ritualibus typis impressus invenitur. Hanc, ut neminem lateat, in Appendicem referendam curabimus. Ibi enim explicite declaratur, quando Baptismus absolute, quando sub conditione, quando denique nullo modo sit iterandus.

243. Concilii Baltimorensis Plenarii primi vestigiis inhærentes,[2] censuerunt Patres supplicandum esse S. Sedi, ut privilegium, olim quibusdam hujus regionis Diœcibus ad annum usque 1870 concessum, quo liceat pro adultis baptizandis formulam breviorem pro parvulis constitutam adhibere, Summus Pontifex ad decem vel ad viginti annos omnibus extendere dignaretur.[3]

244. Sanctæ Sedi supplicandum pariter censemus, uti apud nos morem inducere liceat, qui apud Anglos viget et a Romano Pontifice probatus fuit,[4] baptizandi scilicet sub conditione privatim, cum aqua tantum lustrali, et absque cæremoniis, adultos ab hæresi ad Ecclesiam conversos, de quorum baptismate prudenter dubitatur.[5]

[1] Inst. Eccl. viii., 8; Syn. Diœc. vii., 6, § 4.

[2] Decretum erat hujus tenoris:

"Quoniam gravissimæ rationes a Patribus Concilii primi Baltimorensis Provincialis allatæ, dum a SS^mo^ Patre peterent, ut pro baptizandis adultis ea in hisce Provinciis uti liceret formâ quæ in Rituali Romano pro baptismate parvulorum invenitur, adhuc vigent, immo in dies graviores evasuræ videntur; statuunt Patres S. Sedi supplicandum esse, ut privilegium tunc ad viginti annos juxta Patrum preces concessum, nunc perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur."—Balt., 99.

[3] Ad hanc supplicationem S. C. respondit: "Porro S. Cong. censuit Episcopos recurrere debere, expleto tempore postremæ concessionis." Cf. Instruct. iii., art. iv. *supra.*

[4] Conc. Westmonast., an. 1852, Cap. 16, de Bapt., Can. 8.

[5] "Quoad hoc postulatum S. Cong. censuit respondendum, pro nunc non expedire." Cf. Instruct. iii., art. v., *supra.*

245. Pium illum ritum ac morem, qui apud Christianas mulieres a partu recentes dudum invaluit, a nostris vero persæpe negligitur, accedendi ad Ecclesiam ad gratias agendas et benedictionem petendam, commendent animarum pastores, ejusque originem et causas, data occasione, explicent. Contemnitur enim a multis, quia ignoratur aut male intelligitur. De hujusmodi benedictione inter decreta Baltimorensia hoc invenitur:

246. Optant præsules hujus provinciæ ut benedictio mulieris post partum non promiscue, atque nulla ratione habita puerperæ dispositionis, neque extra ecclesiam, vel locum ubi sacrum fit, in posterum conferatur.[1]

CAPUT III.

De Confirmatione.

247. "Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter visibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur: ac si continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris necessaria sunt Confirmationis auxilia."[2] Itaque baptismatis fonte renascentes participes efficimur gratiæ sanctificantis, et adoptionis filiorum Dei: sed præclara hæc Dei dona Confirmatio roborat, auget, perficit, sigillo velut obsignat, atque contra vim minasque inimicorum defendit ac tuetur. Per Spiritum

[1] Balt., Num. 18.
[2] Hom. de Pentecoste, inter Sermones olim Eusebio Emisseno adscriptos.

enim Sanctum hujus sacramenti munere in corda nostra illabentem, adest profecto cœleste robur ac præsidium, quo magis magisque sincero corde credamus ad justitiam, fidemque nostram intrepide ac libera voce profiteamur ad salutem. Tanta scilicet est hujus sacramenti vis ac virtus, ut homo Christianus eo munitus non solum mundi minas et illecebras contemnere, sed vel ipsam mortem et corporis cruciatus pro fide tuenda bono libentique animo tolerare possit.

248. Confirmationem esse vere ac proprie dictum Novæ Legis sacramentum, definitum est a Synodo Tridentina,[1] quæ simul anathemate perculit plures hæreticorum de hoc sacramento errores, quos hic commemorare necesse non est.[2]

249. Præter effectus jam commemoratos, Confirmatio characterem seu notam indelebilem animæ imprimit, unde fit ut rite confirmatus nunquam iterum licite aut valide confirmari possit.

250. Licet vero hoc sacramentum non sit necessarium de necessitate medii ad salutem, nihilominus est necessarium de necessitate præcepti iis omnibus, qui jubentis Dei et Ecclesiæ præcepta intelligere et adimplere possunt. Quod præcipue valet de iis, qui persecutionem pro religione patiuntur, aut gravioribus contra fidem tentationibus mortisve periculo exponuntur. Quo enim gravius periculum, eo major se muniendi necessitas.

251. Quæ de hujus sacramenti materia, ut loquuntur, et forma subtilius in scholis disseruntur, Theologorum judicio relinquentes, illud unum decernimus, omnia quæ in Rubricis de eo conferendo præcipiuntur, stricte et ad amussim esse servanda, ne dubium aliquod de sacramento rite collato oriri possit.

252. Decreta duo in prioribus Conciliis Baltimoræ habitis hic referre placet, atque iterum confirmare:

[1] Sess. vii., de Conf., Can. 1.

[2] Ibid., Can. 1, 2.

Statuimus confirmationis sacramentum administrandum esse nemini minori septennio, nisi ob peculiares rationes, v. g., in mortis periculo.[1]

Quandocumque confirmatio plurimis administratur, statuimus schedulas quasdam, quibus nomina eorum qui confirmandi sunt inscribantur, a pastore unicuique dandas, quas episcopo sacramentum administraturo exhibeant.[2]

253. Quanquam de necessitate hujus Sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus vel Matrina adhibeatur, cum tamen id laudabilis Ecclesiæ consuetudo suadeat, sacrique canones præscribant, Episcopi nullum non movebunt lapidem, ut disciplina hujusmodi, jam in nonnullis harum Provinciarum Diœcesibus invecta, ubique introducatur. Confirmati vero habebunt Patrinos singuli singulos, nec tamen fœminis mares nec maribus fœminæ Patrini officium præstabunt. Quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris Patrini, et duæ pro puellis Matrinæ adhibeantur.[3]

CAPUT IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

254. Amantissimus Redemptor Noster Jesus Christus, eximia quâ est in homines benignitate et charitate, in augustissimo Corporis ac Sanguinis Sui Mysterio nobiscum semper esse, summoque amore nos pascere ac nutrire volens, id imprimis jussit, ut admirabile hoc Sacramentum sumeretur tanquam verus animæ cibus, quo tum vita conservaretur, tum vires adderentur, juxta Ipsius promissa: "Qui manducat me, et ipse vivet propter me."[4] Illud dedit insuper ut antidotum,

[1] Balt., Num. 20.
[2] Ibid., 21.
[3] Plurium Patrum voto omissum erat Decretum sub hoc numero; at ex S. Cong. Instructione, supra allata, hac verborum forma est restitutum. Cf. Inst. Gen. S. C.
[4] Joan. vi., 58.

quo liberaremur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservaremur. Pignus demum Illud constituit futuræ nostræ gloriæ, ac perpetuæ felicitatis, necnon symbolum unius illius corporis, cujus Ipse caput, nos vero membra sumus. Quapropter in hoc præcipue boni pastoris incumbat studium, ut oves escâ hac cœlesti et divina alantur reficianturque, ut Corpore Domini nutritæ Spiritu Ejus vivant.

255. Ne itaque in tanta re officio nostro deesse videamur, decretum illud celebre, quod Patres Concilii Lateranensis IV. de annua Communione sanxerunt, quodque voluerunt ut "frequenter in ecclesiis publicaretur, ne quispiam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumeret," hic rursus ipsis eorundem Patrum verbis promulgamus. "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, * * * suscipiens reverenter ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura."

256. Quibus verbis, tum ex ipsâmet rei de qua agitur natura, tum ex pœnæ, quam comminantur Patres, gravitate, præceptum ejusmodi dari patet, cui qui non obtemperaverit lethali se inquinasse peccato dicendus sit. Pastores itaque animarum in Domino etiam atque etiam hortamur, ut nullum non moveant lapidem, quo omnes ipsis commissi ad præceptum hoc servandum adducantur. "Instent" sane, "opportune, importune; arguant, obsecrent, increpent in omni patientia."[1] Boni enim pastoris est, ut agnoscat oves suas, simulque efficiat ut et illæ ipsum agnoscant. In eo autem omnem ponant operam, ut fideles digne ad tantum Sacramentum accedant.

[1] II. Tim. iv., 2.

Qui enim indigne manducat, non solum præcepto Ecclesiæ non satisfacit,[1] verum "judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini."[2] Sancta itaque sancte tractentur; omnesque conentur ut tum interno animæ candore, tum externo nitore corporis digni sint, qui sacro huic et cœlesti convivio intersint.

257. Tempus, quo hoc præceptum impleri possit, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis protendi declaravit Romanus Pontifex Eugenius IV.[3] Cum vero sacerdotum inopia et locorum distantiæ ferme impossibile reddiderint, ut apud nos tam brevi temporis spatio omnes ad sacram Synaxim accedere possent, Præsules in primo Concilio Provinciali Baltimorensi suppliciter rogaverunt Sanctam sedem, ut, pro summa illius in leges ecclesiasticas potestate, facultas illis fieret, "prorogandi tempus communionis Paschalis a prima Dominica Quadragesimæ ad Dominicam SS. Trinitatis inclusive;"[4] et illorum precibus benigne annuit Rom. Pont. Pius VIII. Si cui vero Episcopo visum fuerit in ejus diœcesi eam dari sacerdotum copiam, ut facile coarctato tempore omnes præcepto satisfacere possint, laudandus erit, si paulatim ac prudenter ad universalem Ecclesiæ disciplinam propius accedat.

258. Verum, quæ de Pane Angelorum semel saltem in anno sumendo præcepit Ecclesia, ita sunt accipienda, ut ille qui sæpius sacræ Cœnæ vestem nuptialem indutus se sistit, non solum non arcendus, sed maxima cum laude admittendus sit. Quare, ut verba usurpemus Patrum Tridentinorum, "paterno affectu admonet Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, * * * memores tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini Nostri, * * * hæc

[1] Prop. 55, inter damnatas ab Innocentio XI: "Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem."

[2] I. Cor. xi. 29.

[3] In Const. Fide digna, an. 1440.

[4] Conc. Balt. Prov. i., p. 92.

sacra Mysteria Corporis et sanguinis Ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate, et cultu credant, et venerentur, ut Panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animæ vita et perpetua sanitas mentis."[1] Ne autem in re, in qua varia pro variis personis proferenda sunt judicia, nimis vaga vel incerta sit moderatoribus animarum agendi ratio, sapientissimas regulas a S. Sede propositas rursus promulgare, ac omnibus quorum interest, quam maxime commendare juvat. Illæ vero exponuntur in Decreto S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum,[2] a Rom. Pont. Innocentio XI. probato. Hæc in genere primo traduntur: "Multiplices sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes; multæ e contra gratiæ et Dei dona parvulis concessa; quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate, et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui." Tum de iis qui sæculi negotiis præpediti sunt, hæc statuuntur: "Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt." Ad sacras virgines quod attinet, si quotidie sacram communionem petant, "admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur." In hoc demum invigilet diligentia pastoris, "non ut a frequenti aut quotidiana sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi

[1] Sess. xiii, c. 8.

[2] 12 Feb., 1679. Integrum in Appendice habetur.

dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et præparationis modo rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet."

259. Hanc sapientissimam normam si servaverint animarum rectores, id assequentur, ut fideles ea quâ par est animi devotione Cibum cœlestem sumant, iisque si non fiat panis quotidianus, saltem ita frequenter ab iis manducetur, ut ab eo roborati usque ad montem Dei pervenire valeant. Omnem itaque operam in eo ponant, ut ad sacram Mensam crebro Christi fideles accedant, præsertim vero iis festis diebus, quos solemniori cum pompa Ecclesia celebrare consuevit. Nihil enim hominibus utilius, nihil amantissimo Domino jucundius fieri potest, quam si ad "cœnam magnam," ex divitiis Ejus amoris paratam, omnes vocati, quin ullam prætendant excusationem, læti veniant.

260. Quoad pueros, qui prima vice ad sacram Mensam accedant, præclara Patrum Ravennatensium verba in rem nostram adhibere liceat. "Haud potest quin multum conferat ad totius vitæ Christianæ rationem, ipsamque adeo æternam salutem, modus, quo quis prima vice Sacram Communionem recipiat. Hinc omnes animarum rectores sedulo curent ad illam disponere puellas et pueros, quos per ætatem ac sufficientem rerum spiritualium intelligentiam capaces dijudicaverint. Erudiant eos peculiari studio, inquirant diligenter in eorum vitam, et quos in Christianæ doctrinæ rudimentis jam satis instructos esse, ac morum probitate ac pietate commendari intellexerint, ad sacram mensam admittant, cæteros in aliud tempus, omni humano respectu posthabito, remittentes. Per triduum autem ante communionem

tum exercitationibus piis, tum generali potissimum confessione, præparentur proxime ad illam; ipsâ vero die solemnitate maxima Divinum Panem sumant, cuncto populo inspectante, et præsertim parentibus, quorum curæ postea animæ illæ cœlesti Convivio refectæ, erunt ferventissimo charitatis zelo a Parochis commendandæ."[1]

261. Qua vero ætate pueri Eucharistico Cibo primo refici debeant, ab Ecclesia haud est definitum. S. Thomas, generali usus loquendi forma, docuit posse tunc hoc Sacramentum iis conferri, "cum incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus Sacramenti."[2] Pastorum itaque erit hac super re diligenter inquirere, ne quis vel per incuriam nimis cito admittatur, vel per severitatem diutius quam par sit arceatur. Hæc vero regula generalis, quæ tamen suas admittat exceptiones, statui videtur tuto posse, neminem scilicet, ordinarie loquendo, ante decimum annum Angelorum Panis participem fieri debere, nec post annum quartum decimum cuivis cæteroquin digno eum esse negandum.[3] Meminerint vero sacerdotes, "tantam non desiderari ætatem, ut quis in articulo mortis Sanctissimo Viatico possit et debeat muniri."[4] E contra, "male se gererent, nec leviter derelinquerent, si pueros perspicacis ingenii sine Viatico e vivis excedere sinerent, ea ineptâ moti ratione, quod nunquam antea ad Eucharisticam mensam fuerint admissi."[5] Si qui igitur "pueri nondum satis edocti periculose decumbant, eos Divini hujus Mysterii notitia imbuere studeant, neque dubitent illis Divinum hunc Cibum præbere, si Divinum Panem satis a vulgari discernere didicerint, atque aliquo erga illum pietatis sensu affici cognoverint."[6]

[1] Conc. Prov. Ravennæ habitum, an. 1855, sub Em^{mo} Card. Falconerio, Part ii., Cap 4, Decr. 7.

[2] Sum. Theol., Par. iii., Quæst. 8, art. 9.

[3] Vide Syn. Diœc. Sabinæ, ab Em^{mo} Card. Lambruschinio, an. 1844 habitam, Part iii., Cap. 2, §§ 6, 7.

[4] Ibid., § 16. [5] Ibid., § 16. [6] Ibid.

262. Cum ii, qui mortis periculum subeunt, sub gravissima obligatione Sacram Eucharistiam recipere teneantur, omnes sacerdotes quibus animarum cura incumbit, iterum atque iterum monemus, ne in re tanti momenti officio vel minimum desint. Quum igitur cuivis ex Christi fidelibus sibi commissis supremum videatur imminere discrimen, curent ut quantocius rite dispositus Sanctissimo reficiatur Viatico, quo fortius possit in ultimo agone "omnia tela nequissimi"[1] retundere, et tutus ad vitam pervenire æternam. Gravissimi sane peccati reus esset animarum pastor, cujus ob oscitantiam vel una anima ex hac vita migraret cœlesti Cibo haud refecta. Si vero eadem perduret infirmitas, meminerint sacerdotes in ea "posse et debere sanctissimum Viaticum iterum ac tertio administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes cœlestem illum panem esuriant."[2]

263. "Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat; neque ipse illam ministrare recusabit. * * * * Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu, ad ostendendum non deferatur."[3]

264. Dolendum sane est rerum adjuncta, quæ apud nos obtinent, impedire quominus eâ cum pompâ, quam vult Ecclesia, ad infirmos deferatur Sanctissimum Sacramentum. Studeant itaque sacerdotes, ut interna animi devotione hujus pompæ defectum suppleant, simulque haud negligant, quantum in ipsis est, reverentiæ externæ, quæ Christo revera præsenti debetur, prospicere. Dum Sanctissimum deferunt, vana et inutilia evitent colloquia; piæ potius contemplationi vel precibus dent operam. "Delatio Sanctissimi Sacramenti ad urgentes tantum causas, atque ad actuale ministerii Sacer-

[1] Ephes. vi., 16.
[2] Ben. XIV., De Syn. Diœc., Lib. vii., Cap. 12, § 5.
[3] Rit. Rom., De Cura Infirm.

dotalis exercitium coarctetur."[1] Quænam vero sit urgens causa, ex loci, temporis, aliisque adjunctis erit dijudicandum. Injungimus "presbyteris strictam obligationem semper in hisce casibus Sanctam Hostiam super pectus deferendi."[2] Nunquam, nisi in extrema necessitate vel ipsam Hostiam, vel vas sacrum in quo servatur, stola saltem non induti attrectent. Cum in ecclesia Sanctissimum e tabernaculo extrahunt, semper superpelliceo et stola sint induti. Infirmis Sacram Eucharistiam ministrantes, præscripta Ritualis Romani, in quantum rerum circumstantiæ sinunt, diligentissime servent.

265. Externo obsequio Sanctissimum Sacramentum in ecclesiis, in quibus servatur, coli facile potest et omnino debet. Sacerdotes itaque, qui tanti pignoris custodes a Domino sunt constituti, nihil omnino omittant, quo munus honorificentissimum ipsis demandatum pie et rite exequantur, atque omnia quæ ea de re Ecclesia præcipit, accuratissime serventur.

Consuetudinem antiquissimam asservandi in ecclesiis Sacram Eucharistiam, ut omnino salutarem et necessariam, retinendam esse decrevit Concilium Tridentinum.[3] Conservari debet in ecclesia Cathedrali, et in quâvis ecclesia parochiali ut ad infirmos, data occasione, deferri possit. In aliis vero pluribus vel ecclesiis vel sacellis conservari potest vel ex lege, vel ex Pontificio indulto. Qua in re Ordinarios hortamur ut curent, uti nonnisi debita præhabita licentia hoc maximo privilegio quævis ædes sacra utatur.

266. "Sanctissimum Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscumque ecclesiæ, in qua custodiri potest, solet, aut debet."[4] Custodiendum vero est super corporali in tabernaculo decenter ornato, clavi obserato,[5] quæ clavis semper a sacerdote, qui ecclesiæ vel sacelli curam gerit, custo-

[1] Ex Lit. Encycl. S. C. de Prop. Fide, 25 Feb., 1859; in App. hujus Conc

[2] Ibid.

[3] Sess. xiii., Cap. 6.

[4] S. Cong. Episc., 13 Oct., 1620.

[5] Rit. Rom., de Sacr. Euch.

diri debet.[1] "Tabernaculum conopæo decenter opertum," vult Rituale Romanum.[2] Consuetudinem illi "superimponendi sacras reliquias, (etiam Sanctissimæ Crucis, vel Instrumenta Dominicæ Passionis) pictasque imagines, ita ut tabernaculum pro basi inserviat," dum in eo servatur Sanctissimum, improbavit S. Rituum Congregatio,[3] neque posse "vasa florum, vel quid simile ante ostiolum retineri,"[4] edixit. "Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum."[5] In eo servetur Sacra Eucharistia in pyxide, seu ciborio, "ex solida decentique materia; et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta."[6] "Vasa SS. Oleorum, reliquias, vel aliud,"[7] in eo reponere non licet. Abusus vero, qui alicubi irrepsit, habitandi vel dormiendi in ea parte domus religiosæ quæ supra altare est sita, non amplius tolerandus, sed prorsus eliminandus est.[8]

267. Coram Sanctissimo lampas semper accensa habeatur, ex oleo olivarum nutrita, vel saltem "ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus;"[9] nec citra veram necessitatem privilegio utendum, si quod fuerit concessum, Illud sine lumine retinendi.

268. Rituale Romanum jubet particulas Sanctissimæ Eucharistiæ frequenter renovari; et Cæremoniale Episcoporum id semel saltem in hebdomada faciendum præcipit.[10] Hanc regulam, quam S. Rituum Congregatio nedum sæpius confirmavit,[11] verum "stricte et rigorose obligare"[12] declaravit,

[1] Vide Indulta Pontificia, passim.
[2] De Sacr. Euch.
[3] S. R. C., 31 Mar., 1821, et Maji, 1836.
[4] 22 Jan., 1701.
[5] S. Cong. Episc., 26 Oct., 1575.
[6] Rit. Rom., de Sacr. Euch. S. C. Episc., 26 Jul., 1588, hoc decretum edidit: "SS. Sacramentum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pyxide argentea intus deaurata."
[7] S. Cong. Episc., 3 Maji, 1693.
[8] S. R. C., 11 Maji, 1641; 26 Apr., 1834; 12 Mart., 1836.
[9] S. R. C., 9 Jul., 1864
[10] Lib. I., Cap. 6, § 2.
[11] 5 Apr., 1573; 3 Sept., 1672; 16 Dec., 1826.
[12] 7 Sept., 1850.

sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus. "Ubi sacerdos novas consecraverit hostias, veteres primo distribuat, vel sumat,"[1] minime vero in tabernaculo servet. Curet insuper, ut particulæ consecrandæ recentes sint.

269. Maxime tandem in votis habemus, ut fideles doceantur bona quamplurima ipsis obventura, si Dominum sub speciebus sacramentalibus inter nos hospitem sæpius invisant. Pastoris ergo munus erit, et verbis et exemplo ad hoc pientissimum officium suos incitare, atque hac ratione in omnium cordibus ignem amoris accendere et fovere erga amantissimum Servatorem, "quoniam magnifice fecit, quia magnus in medio nostri Sanctus Israel."[2]

CAPUT V.

De Pœnitentia.

270. Pœnitentiæ Sacramentum "tunc præcipue instituit Dominus Noster Jesus Christus, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.[3] Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad fideles reconciliandos post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit."[4]

271. Quumque Christus Dominus Spiritum Sanctum una cum potestate peccata remittendi Apostolis largiturus, ante significarit, eos ita Se missurum, ut Ipse a Patre missus

[1] Rit. Rom., de Sacr. Euch. S. R. C., 3 Sept., 1672.

[2] Is. xii., 5, 6

[3] Joan. xx., 22, 23.

[4] Conc. Trid., Sess. xiv., de Pœn. Sac., Cap. 1.

fuerat,[1] id est, eadem plane divina auctoritate et potestate; manifestum est, sacerdotis in hoc Sacramento actum, sive absolutionem, esse vere judicialem, non mere declaratoriam. Itaque sacerdos locum Christi tenens, Ejusque personam gerens, dum absolutionis formam super pœnitentem rite dispositum profert, non tantum præconis aut narrantis in morem, sed veri judicis instar, eumdem et voce declarat et judicio reddit a reatu liberum.

272. Contritio, quæ ad fructus hujus Sacramenti percipiendos potissimum necessaria habetur, nil aliud est quam animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Quam etsi aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, antequam Sacramentum actu suscipiatur; hanc tamen reconciliationem contritioni ipsi, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, adscribendam non esse docet Synodus Tridentina.[2]

273. Est et alia quædam Contritio, manca illa quidem et imperfecta, quæque *attritio* vocatur. Hæc in animo oriri solet, dum mens intimam peccati turpitudinem considerans, illud detestari incipit; vel amissa perpetuæ beatitudinis gaudia, gehennæ cruciatus, cæterasque, quas Supremus ille scelerum Vindex peccantibus constituit, pœnas contemplans, timore percellitur. Contemnendus sane non est hujusmodi dolor, quantumvis imperfectus. Si enim, peccandi voluntate exclusa, spem veniæ impetrandæ secum ferat, est profecto Dei donum, et Spiritus Sancti impulsus, "non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat."[3] Attritio quidem per se, sine Sacramenti ope, ad justificationem reos non perducit; disponit tamen ad Dei gratiam in Sacramento obtinendam.

274. Quicumque autem de peccatis suis dolorem non fuca-

[1] Jo. xx., 21.

[2] Conc. Trid., Sess. xiv., de Pœn. Sac., Cap. iv.

[3] Ibid., Cap. iv.

tum et simulatum, sed verum atque sincerum animo conceperit, is procul dubio omnia, quæ ad veniam impetrandam faciant, libenter præstabit, etiam si durissima quæque exigantur. Verum longe aliter nobiscum, licet ingratis ac rebellibus, egit Dominus ac Pater filiorum amantissimus. Adeo ut etiam hic experiri liceat, quam suave sit Christi jugum, quam leve onus humeris nostris impositum.[1] Neque enim multa neque difficilia sunt ea, quorum ope homo Christianus, quem criminum admissorum pœnitet, noxam eluere, amissam justitiam recuperare, et in Dei gratiam et amicitiam restitui potest. Atque ea ipsa quidem, quæ sponte fit, peccatorum confessio, tantum abest ut, quod impii homines dicunt, cruciatus et carnificinæ loco habenda sit, ut sit potius singulare quoddam et eximium ægri, afflicti, et turbati animi remedium ac levamentum. Quod experientia testatur, et facile prudens quisque intelliget, qui hominum vitam moresque perspectos habet.

275. Peccatorum confessio, qualem Christus instituit, Ecclesiæque suæ perpetuo retinendam tradidit, integra esse debet. Oportet enim, ut omnia et singula mortalia peccata complectatur, quorum post diligens examen sibi quisque conscius sit; etiam si occulta sint et ab hominum oculis remota; aut non re et actu patrata, sed mente tantum et voluntate concepta.

Venialia quidem et leviora, in quæ naturæ infirmitate sæpe incurrimus, peccata non sunt necessariò in Confessione manifestanda. Neque enim per ea gratia tollitur, aut animæ cum Deo conjunctio solvitur. Possunt igitur citra culpam taceri. Quum vero charitatis fervorem minuant, Deoque ingrata sint et invisa, recte et utiliter confessario exponuntur; idque apud pios homines ubique et quovis tempore in more positum fuit.

Præterea in confessione, ut integra sit, exponendæ sunt a pœnitente *circumstantiæ,* ut in scholis loquuntur, *speciem*

[1] Matth. xi., 30.

mutantes, ea scilicet peccati adjuncta, quæ ejus malitiam ita augent, ut novum inde peccatum aut forte plura oriantur. Potest enim uno eodemque actu virtus aliqua, aut Dei præceptum, non uno tantum modo violari. Detegenda sunt igitur hujusmodi adjuncta, primo nequid confessionis integritati desit; deinde ut sacerdos de pœnitentis statu rectum et accuratum judicium ferre possit, eamque, quæ deceat, salutarem pœnam imponere.

276. Potuisset quidem Deus hominibus post Baptisma lapsis veniam omnino denegare; aut nonnisi adjecta durissima conditione impertiri; ea scilicet, ut coram universo Ecclesiæ cœtu peccata quisque sua patefaceret. Verum Ipse, qui apprime "cognovit figmentum nostrum,"[1] summa quâ est benignitate et clementia nostræ pepercit infirmitati; idque tantum a nobis postulavit, ut sacerdoti secretò et sine testibus conscientiæ arcana panderemus. Cum autem Innocentius III., in magno Concilio Lateranensi,[2] suprema auctoritate sanciverit, a quibus et quo potissimum tempore peccatorum confessio facienda sit, monendi erunt fideles, quotquot ad annos discretionis pervenerint, urgendique per Ecclesiæ pastores, ut semel saltem singulis annis, ac præsertim "sacro illo et maxime acceptabili Quadragesimæ tempore,"[3] peccata sua rite confiteantur, lachrymis eluant, pœnisque sibi impositis expient, quo dignius ad Festa Paschalia et regias Agni dapes, nuptiali veste charitatis induti, accedant.

277. Pœnitentiæ minister est Episcopus in sua diœcesi, aut Presbyter ab eo habens jurisdictionem: sine quâ, potestas illa dimittendi et retinendi peccata, quæ in radice per Ordinem Sacrum confertur, neque licite neque valide exerceri potest. Jurisdictionem autem, sive ordinariam sive subdelegatam,

[1] Ps. cii., 14.
[2] "Omnia sua *solus* peccata confiteatur;" Const. Omnis., Cap. 12 de Pœnit. et Remis.
[3] Conc. Trident., Sess xiv., Cap. 5, de Conf.

imminui et coarctari posse per superioris auctoritatem indubium est; in sacerdote quidem per Episcopum, in Episcopo per Summum Pontificem. Ac sæpe quidem et prudenti consilio factum est, ut Episcopus crimina quædam sacerdotum jurisdictioni subduxerit, et sibi tantum etiam in foro conscientiæ recognoscenda et dijudicanda reservarit: atque eadem ratione Summus Pontifex atrociora quædam et graviora delicta ad suum ipsius tribunal deferri jusserit, vetueritque ea, qua pollet, suprema potestate, ne quis alius, sive sacerdos sive Episcopus, de iisdem aut dimittendis aut retinendis judicare posset. Et hæc quidem *casuum reservatio,* ut vocatur, non solum coram Ecclesia et in foro externo, sed etiam coram Deo vim habere, procul dubio credendum est.[1]

278. Confessarii munere nihil est præstantius, nihil Ecclesiæ Dei et animarum saluti utilius. Sacro enim ejus ministerio peccator delictorum onere levatur, dæmonis et cupiditatum jugo liberatur, amissæque innocentiæ stolâ rursum induitur; genua debilia roborantur,[2] id est, imbecilles animo ac desides eriguntur; justi denique ad perseverandum in bono, et repositam sibi justitiæ coronam[3] assequendam, admotis quasi calcaribus, concitantur atque incenduntur.

279. Quam vero magnum et arduum sit hoc munus Confessarii, vel ex eo patet, quod judex Christi loco constituatur, deque suis judiciis sit aliquando accuratam rationem Summo Judici redditurus. Sibi igitur dictum arbitretur, quod pientissimus ille Israelitarum rex judicibus a se designatis olim dixit: "Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium sed Domini; et quodcumque judicaveritis in vos redundabit."[4] In hoc autem tribunali, sacerdos non se quasi *judicem* tantummodo respiciat, qui reos fatentes audiat, cor-

[1] Pro facultate absolvendi in casibus reservatis in Bulla Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ,* vide Decretum 1., S. Cong., Jan. 24, 1868, *supra.* Vide etiam Instructionem S. R. et Univ. Inquis., in Appendice.

[2] Is. xxxv., 3. [3] II. Tim. iv., 8. [4] II. Paralip. xix., 6.

ripiat, ac correptos pœnâque adfectos dimittat. *Pastoris* etiam officio fungi debet, qui Boni Pastoris exemplo,[1] oves suas cognoscat, errantes inter spineta ac vepres ad caulam reducat, iisque salutari pabulo pastis ad aquas refectionis æternæ ducem se præstet. *Medici* quoque loco habere se debet, qui idonea remedia paret ægrotis, animique vulnera sollicita ac perita manu contrectet et sanet. *Patrem* denique agere decet, qui Evangelici patris instar,[2] filium exulem, perditum, fame et squalore consumptum, libens osculo pacis redeuntem excipiat, prima stola induat, vitulo saginato exquisitissimisque epulis reficiat, atque in pristinum hæredis ac filii locum et dignitatem reponat.

280. Itaque sacerdos ad Confessiones excipiendas accessurus, singulas, quas agere oportet partes, judicis nempe, pastoris, medici, ac patris serio mente recolat; singulasque, quantum in ipso est, re et opere exequi studeat. Meminerit ante omnia, se Christi vices gerere, et quasi legatione pro Deo fungi, ut non semel monet Apostolus. Atque in primis, promptum semper paratumque se exhibeat, cum fuerit ad hoc munus obeundum accersitus, præsertim ab egenis et vilioris conditionis hominibus, atque iis quos peccatorum sarcinâ onustos esse, aut a Confessione diu abfuisse noverit. His sine mora, omni posthabito negotio, præsto sit; et in horum gratiam, si necesse sit, divites hujus sæculi, piosque ac devotos sæpius confiteri solitos, præcipue autem mulieres, quibus tempus et otium abunde suppetit, aut negligat aut expectare jubeat, donec male habentibus, qui medico magis egent, fuerit satisfactum. Pœnitentes leniter ac paterno more excipiat, et quamdiu a sacro Tribunali abfuerint, interroget; deinde peccata sua narrantes patienter audiat, neque, (quod Rituale Romanum monet) unquam interpellet, nisi ad obscurius dicta melius intelligenda. Etiam atrocia facinora aut turpissima fatentes immoto vultu audiat;

[1] Joan. x., 11; Matth. xviii., 12; Ps. xxii., 2. [2] Luc. xv., 20.

neque suspiriis, aut aliqua voce vel gestu, corporisve aut oris motu, mirantis aut horrescentis animi indicia prodat. Quinimmo pœnitentem, si timore aut metu laborare deprehenderit, humanissimis verbis adloquatur; horteturque, ut bono animo et magna fiduciâ peccata omnia in sinum clementissimi Patris effundere non erubescat, summique Præceptoris exemplo, proposito sibi gaudio, confusionem contemnat.[1] Moneat hanc levem esse, quæque momento temporis abeat, partum vero inde gaudium stabile fore ac diuturnum.

281. Raro confitentes, eosque qui vel tenerâ ætate vel rudiori ingenio sunt, præsertim si id ipsi petant, interrogando adjuvet, ut peccatorum numerus ac species clarius patescat. Ubi autem de parvulis agitur, sedulo caveat, ne imprudenter interrogando efficiat, ut maximo innocentiæ periculo ea discant, quæ eorum ætatem ignorare præstat. Interrogatus ipse a pœnitente dubio et anxio, de iis quæ ad sextum aut nonum præceptum pertinent, paucis tantum verbis, iisque castissimis respondeat. Complicis in quocumque peccati genere nomen exquirere ne audeat.[2] Peracta peccatorum confessione, pœnitentem, si opus fuerit, de eorum gravitate ac fœditate serio moneat; remedia quibus præcaveantur edoceat; iisque, quæ opportuniora videbuntur, propositis rationum momentis ad dolorem odiumque peccati animo concipiendum, disponere conetur. Tempus vano et inutili sermone non terat, neque pœnitentes id facere sinat; piarum præcipue mulierculararum garrulitatem graviter ac moderate coerceat. Si quando, (quod rarissime expedit, nec nisi in agrestibus et hebetioris ingenii hominibus) severa et acri reprehensione ac durioribus verbis utendum ipsi videbitur, id facere licebit; ita tamen, ut ne severitas in acerbitatem delabatur. Neque id faciat nisi

[1] Hebr. xiii., 2.

[2] Bened. XIV. in Constit. Suprema, die 7. Jul., an. 1745; et in altera Const. Ubi primum, die 2. Jun., 1746. — Vide in Appendice.

absoluta jam Confessione; secus enim rubore aut metu ab integra peccatorum narratione hujusmodi homines deterreri possent. Memor tamen sit officii sui, et minas consolatione, reprehensionem lenibus hortamentis misceat, quodque prudentem medicum decet, amara melle temperet. Demum, quos venia dignos judicaverit, solito more absolvat.

282. Quibus vero neganda aut differenda sit absolutio, optime docet Rituale Romanum his verbis: "Ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant: neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata."[1]

283. Nihilo minus Confessario persuasissimum sit, ad officium ipsius spectare, ut eos qui imparati accedunt, sua, si possit, charitate et diligentia paratos reddat ac dignos, qui absolvantur. Sacro igitur muneri deest, qui, aut eo animo ut labori et molestiis parcat, aut rigidiora morum principia, quæ a Christi doctrinâ et exemplo abhorrent, secutus, pœnitentes præsertim illiteratos, rusticos, aut ex plebecula, severa fronte excipit, acrius objurgat, ac sine Sacramenti beneficio dimittit; eo prætextu, quod conscientiam suam non satis accurate examinaverint, aut de peccatis a se patratis minus dolere videantur. Potest enim, ac pro virili debet eniti, ac Dei co-operante gratia efficere, ut, quod adhuc iis deest ad necessarium dolorem et Confessionis integritatem, ipsius ministerio assequantur. Ac valde timendum est, ne hujusmodi homines unquam redeant, si neque emendati neque absoluti dimittantur.

284. Studeat igitur Confessarius summam illam, quâ Christus Dominus noster peccatores complecti solebat, clemen-

[1] In Ord. Ministrat. Sac. Pœn.

tiam ac benignitatem, quantum licet, æmulari. Homines enim quantumvis sceleribus cumulatissimos, cæterisque omnibus ob patrata crimina invisos et contemptos, Ipse nunquam aspernabatur aut repellebat. Quod de se, Ipse testatur his verbis: "Qui venit ad me, non ejiciam foras."[1] Neque timendum est sacerdoti, ne Pastoris optimi hac in re exempla sectando, muneri suo desit. Hæc quippe dispensatio non est severitatis ac rigoris, sed indulgentiæ et misericordiæ Sacramentum. Et re quidem vera, qui Christi Domini in agendo cum peccatoribus patientiam et charitatem imitandam sibi proposuerit, is non reprehensionem et pœnam, sed laudem ac præmium ab Eo feret, qui non ad bene habentes, sed ad ægros sanandos, in hunc mundum venit, quique "publicanorum ac peccatorum amicus" vocari dignatus est.[2]

285. Qua in re præstat Romani, qui sæculo nostro floruit, Pontificis verba afferre, plena illa quidem gravitate ac sapientia, quæque Summum in terris animarum Pastorem et Episcopum optime decent:

286. "Si ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a Confessione, et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi sacramenti Pœnitentiæ ministris prorsus imparati, sed persæpe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui *non venit vocare justos sed peccatores,* sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si præstare prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a Confessione: *misericordiæ* enim Domini *non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus;* vel qui rudes conditione aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius

[1] Joan. vi., 37. [2] Luc. v., 31; Matth. xi., 19.

operâ assecuturi; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non quâ præter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris ac pœnitentiæ, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter judicentur. Quocumque autem animo sint qui accedant ad ministrum Pœnitentiæ, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa, diffisus quispiam Dei bonitati aut Sacramento reconciliationis infensus discedat."[1]

287. Quotiescumque igitur, ob manifestum debitæ dispositionis defectum, absolutionem concedere non licebit, caveat Confessarius, ne id pœnitentibus simpliciter ac judicis more denuntiet. Quinimmo iis etiam significet ac persuadeat, se ægre quidem et invitum, nec nisi sacri muneris officio bonique eorum spiritualis amore cogi ut absolutionem differat; eos deinde quam humanissimis verbis soletur atque erigat; horteturque, ut quo adhuc carent, cor bonum et optimum, cor novum creandum in ipsis a Deo perpetuis precibus efflagitent: denique, ad quamprimum redeundum blandissime alliciat.

288. Satisfactio est, si verbi vis ac natura spectetur, rei debitæ integra solutio, sive injuriæ alteri illatæ compensatio. Quo sensu Christus Dominus, neque enim alius potuisset, pro nostris et totius orbis sceleribus morte suâ ac cruciatibus Patri plenissime satisfecit. Cum vero de Pœnitentiæ Sacramento sermo est, Satisfactionis nomine intelligitur illa pœna, quæ homini contrito, confesso, et criminibus absoluto, non ipsius quidem arbitrio, sed sacerdotis judicio irrogatur. Atque hac ratione in nobis, ut ait Apostolus, "adimplemus ea, quæ desunt, passionum Christi;"[2] quodque in Capite cœptum est, ut Sancti Patres hunc locum explicant, in corpore et membris impletur ac perficitur. Scilicet, per hoc Sacramentum

[1] Leo XII., in Encycl. ad omn. Patr., Archiep., et Ep., de extensione Jubil., an. 1825.

[2] Coloss. i., 24.

fit, ut unicuique proficiat illa satisfactio, quam pro omnibus Christus in cruce præstitit. Quoniam autem *pœnitentiæ fructus,* sive opera a Confessario injuncta, sunt non solum testificatio doloris, quem ex peccatis commissis capimus, sed etiam pœna quædam, quâ illatas Deo injurias quasi ulciscimur, constat pœnam noxæ, quam expiatura est, parem esse oportere.

289. Hanc igitur irrogaturus, sacerdos rationem habeat status, conditionis, sexus, et ætatis, et item dispositionis pœnitentium. "Videatque," verba sunt Ritualis Romani, "ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat; ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem. Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat: veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur et, si expediat, communicent."[1] Attendenda est etiam Catechismi Romani doctrina: "Universæ satisfactionis modum culpæ ratio temperabit. Sed ex omni satisfactionum genere, maxime convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus et præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant."[2] Caveat Confessarius, ne pœnitentiam, quæ sine maxima difficultate fieri non possit, imponat; aut quam prudenter judicat fore, ut pœnitens nequeat aut nolit exequi. Neque id, quod ab Ecclesiæ consuetudine maxime abhorret, temere exigat, ut pœnitentiæ opera peragenda sint, antequam absolutio impertiatur.

[1] In Rubr. de Sacr. Pœn.

[2] De Pœn. Sacr. sub fin.

"Pœnitentias pecuniarias," ut in Rituali Romano monetur, "sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tanquam ministerii sui præmium petant vel accipiant."[1] Etiam ultro quocumque nomine oblata recusent; nec vel ipsam Missæ eleemosynam in hoc sacro Tribunali offerri sinant. "Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant."[2]

290. Sapientissima, quæ Deum ipsum auctorem habet, lege constitutum est, ut peccata in Confessione Dei ministro exposita æterno silentio premantur. Atque adeo sancta est et inviolata hujus arcani religio, ut quoscumque cruciatus mortemque ipsam perferre debeat Sacerdos, potius quam Confessionis secreta revelare. Itaque, regii vatis exemplo, ponat ori suo custodiam, et ostium circumstantiæ labiis suis,[3] ne sacrosanctam hanc legem vel in minimis violare videatur. Non solum cum aliis, clericis vel laicis, colloquendo, sed etiam concionando dum vitia reprehendit, quâ maxima potest sollicitudine caveat, ne locus adsit suspicandi, ipsum scientiâ ex sacramenti hujus administratione hausta abuti. Id enim jure merito haud parum scandali apud auditores parit, verbum Dei ludibrio exponit, et ipsum Sacramentum reddit odiosum. Nunquam a pœnitente petat, multo minus importunis precibus extorqueat veniam, quæ in Confessione audiit aliis revelandi, nec cum ipso quidem de iis extra tribunal loquendi. Si forte, vi legis divinæ, vera et proprie dicta obligatio aliquid in Confessione dictum revelandi exorta fuerit, id per ipsum pœnitentem fiat, vel per alium quem ipse elegerit. Nullo modo sacerdos id oneris ultro suscipiat, neque nisi invitus pœnitenti id ab eo postulanti morem gerat.

291. Cum tanta sit hujus Sacramenti necessitas, æquum sane est, ut ad illud omnes libere possint accedere, facilisque cuivis ad Confessarium pateat aditus. Quod si boni pastoris

[1] Catechism. Rom., Loc. cit. [2] Ibid. [3] Ps. cxl., 3.

est, oves etiam errantes et aufugientes sequi et reducere, quanto magis oportet Sacerdotem se bonum volentemque, immo alacrem præstare in peccatoribus excipiendis, qui pacem et veniam a Deo petituri ultro se sistunt. Nequâ igitur mora confiteri volentes præpediat, pastores animarum enixe hortamur et obsecramus, ut apud confessionalia ad pœnitentes audiendos præsto sint singulis Sabbatis, Festorumque vigiliis, vespertino saltem tempore, et Dominicis festisque diebus mane ante primam missam. His enim horis non deerunt pœnitentes, modo Confessarius suo ipse muneri non desit. Sin autem fidelium numerus major sit, quam ut omnes, qui accedunt, uno die audire possit, alia etiam tempora, alios dies eligat, quos huic tam necessario operi impendat. Gravissimum quippe crimen foret, si pastoris negligentia, aut desidia, vel unus e grege fidelium hoc Sacramento fraudaretur. Neque ii facile animum inducent ut ad confitendum redeant, qui semel atque iterum hoc ministerium ipsi Sacerdoti ingratum ac molestum esse deprehenderint.

Episcopos etiam in Domino adhortamur, ut per suas diœceses, præsertim in urbibus, ubi major est Catholicorum frequentia, maximopere curent, ut pastores animarum suum in hac re munus quam diligentissime perficiant.

292. Quâ potissimum ætate parvuli huic tribunali primum se sistere teneantur, nunquam fuit ab Ecclesia definitum. Alii enim ocius, alii serius usum rationis acquirunt. Rem igitur pastorum prudentiæ et zelo committimus, qui facilius possunt ex singulorum indole, moribus, et ingenio judicare, utrum sint adhuc Sacramenti hujus capaces, necne. Monemus tamen, tam parvulis etiam prima vice confessuris quam adultis licere, quemlibet ab Episcopo probatum confessarium adire.

293. Ad tribunal sacrum accedens Confessarius, superpelliceo ac stola violacea, ad præscriptum Ritualis Romani, sit

indutus; eoque se gerat modo, ut tam sancto ministerio reverentiam conciliet.

294. Ut omni vel levissima suspicionis umbrâ careat sacerdotis ministerium in hoc tam frequenti et necessario Sacramento, non semel a Patribus superiorum Conciliorum Baltimorensium provisum est; quorum verba adjungimus:

295. Vehementer hortamur præsules, ut omni studio curent confessionalia erigenda in omnibus ecclesiis publicis harum provinciarum: et, cum erecta fuerint, nemini sacerdotum licebit Confessiones mulierum alio in loco excipere, sine speciali Ordinarii licentia. Hanc vero nunquam concedendam confidimus, præterquam sacerdotibus ætate provectis, vel infirmis, vel ob pœnitentes surdas; vel aliis in casibus, in quibus ex hujus regulæ observantia gravia orirentur incommoda. Eam etiam conditionem semper adjiciendam volumus, ut nunquam Confessiones mulierum in privatis ædibus, nisi per crates interpositas, et in loco patenti, quantum per loci rationem licebit, excipiantur.[1]

296. Confessionalia in ecclesiis erigenda, pro mulierum Confessionibus excipiendis, decrevit concilium primum Baltimorense, quod districte servandum omnino est. Ecclesiæ autem nomine, ad Confessiones audiendas, sacristia non est intelligenda, nisi locus sit publicus et patens.[2]

CAPUT VI.

De Indulgentiis.

297. Licet vere pœnitentibus, confessis, et absolutis, mortis æternæ supplicium, quo eorum scelera punienda essent, a Deo remittatur; temporalis tamen pœna eos plerumque manet, quamvis tum reatu culpæ tum pœnâ gehennæ sempiterna liberati fuerint. Quod multorum in Sacris Literis vel sanc-

[1] Balt., Num. 24. [2] Ibid., 67.

tissimorum Patrum historiæ demonstrant; et sancta Dei Ecclesia, vel ab ipso Apostolorum ævo, semper docuit atque etiamnum docet. Hujusmodi autem debiti solutio jejuniis, precibus, eleemosynis, aliisque piis operibus perficienda est; ut justitiæ divinæ fiat satis, et crimina, tam pœnæ quam culpæ ratione, omnino deleantur. Verum enim vero, quum nostra pœnitentiæ opera, sive sponte suscepta, sive judicio sacerdotis imposita, levia per se sint atque exigua, quæque peccatorum nostrorum, si bene perpendantur, gravitati vix aut non omnino respondeant, clementissimo Deo et misericordiarum Patri, ex infinito bonitatis thesauro et inexhaustis paternæ charitatis divitiis, egestati nostræ alio modo providere placuit. *Indulgentias* nempe elargiendi potestatem Ecclesiæ suæ fecit, quibus, validissimo velut subsidio, infirmam nostram imperfectamque pœnitentiam juvaret, suppleret, perficeretque.

298. *Indulgentiæ* autem nomine intelligitur pœnæ temporalis, peccatis absolutione deletis adhuc debitæ, per thesaurum Ecclesiæ facta remissio. Porro Ecclesiæ thesaurus ille dicitur, quem Christus Dominus, carnem nostram indutus, cruciatibus ac morte sua Ecclesiæ acquisivit; pretiosissima scilicet Ipsius merita, quæ ad Patrem reversurus Sponsæ suæ et in terris hæredi reliquit. His, cumuli instar, accedunt "merita Beatissimæ Dei Genitricis, et omnium Electorum, a primo justo usque ad ultimum."[1] Neque hæc tamen, quod nefas dictu! Christi meritorum valorem augent; immo ex ipsis vim suam omnem et efficaciam repetunt. Siquidem hæc per Christum oblata, Ejusque meritorum intuitu, Pater amantissimus æquis oculis aspicit, grata et accepta habet, et nobis miseris et indignis ad veniam prodesse concedit. Tanta quippe est vis ac virtus, tam præclari fructus communionis sanctorum, quo nomine vocamus arctissimum illud amoris ac pietatis vinculum, quo fideles in terris degentes ac cœlestis patriæ cives continentur!

[1] Clemens VI., in Bulla Unigenitus, an. 1349.

299. Indulgentias conferendi potestatem Ecclesiæ a Christo concessam esse, earumque usum Christiano populo esse maxime salutarem, a Concilio Tridentino definitum est.[1] Credendum est etiam, quod universa tenet Ecclesia, Indulgentias non solum in *foro*, ut ajunt, *externo*, sed coram Deo quoque vim et robur habere; atque etiam animabus in Purgatorio detentis, per modum suffragii, applicari posse.

300. Ut Indulgentiam quis lucretur, primo loco oportet, ut Dei per gratiam amicus, et ab omni culpæ lethalis reatu liber existat. Cui enim pœna imminet sempiterna, quânam fronte temporalem sibi remittendam postulet? Aut qui maxima et plurima debet, quâ ratione a minimis solvendis excusari velit? Hinc est, quod Summi Pontifices non nisi vere pœnitentibus ac contritis Indulgentias largiantur. Deinde opus est, ut opera injuncta, qualia sunt oratio vocalis, eleemosyna, jejunium, ecclesiæ visitatio, aut alia hujusmodi rite peragantur.

301. Hæc plebem fidelem doceant divini verbi prædicatores; neque certa et fixa Ecclesiæ dogmata theologorum opinionibus immisceant. Hæc si solide et accurate pertractaverint, efficient sane, ut fideles sibi concrediti facillime ineptas et ad nauseam usque repetitas hæreticorum cavillationes retundere possint; quorum multi ex ignorantia, plurimi ex malitia, in hanc doctrinam moremque Ecclesiæ quotidie debacchantur. Doceant etiam, quo grati animi affectu, quo mentis obsequio ac pietate excipienda sint munificentissima hæc Dei et Ecclesiæ matris dona, quæ in nos miseros homunciones, quorum nulla sunt merita, e thesauris cœlestibus effunduntur.

302. Indulgentiæ fictæ aut dubiæ ne in vulgus spargerentur, aut plebi fidelium e suggesto proponerentur, Romani Pontifices gravissimis pœnis vetuerunt. Caveant ergo Parochi et concionatores, ne eas unquam ullove prætextu in medium

[1] Sess. xxv., Decr. de Indulg.

proferant. Neque remotiora et abdita hac in re sectando, faciliora et præ manibus posita negligant. Iis Indulgentiis potissimum insistant, easque populo maxime commendent, quas fideles frequentius, facilius, et majori cum fructu lucrari possint. Hujusmodi sunt, quæ Scapularia gestantibus, Coronam B. Virginis Precatoriam, Litaniasque Lauretanas recitantibus, aliquod temporis in oratione mentali impendentibus, Mensis Mariani exercitia peragentibus, Stationibus Viæ Crucis adsistentibus, SS. Sacramentum in Ecclesiis reservatum visitantibus conceduntur; et aliæ plures, quæ omnibus ad manus sunt, quæque pietatem maxime fovent, promoventque fidei, spei, et charitatis augmentum. Ideo enim pœnitentiæ rigorem laxat, et Indulgentiarum thesauros effundit Ecclesia, "ut fidelium, (verba sunt Clementis VI.)[1] augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat."[2]

CAPUT VII.

De Extrema Unctione.

303. Anima Christiani hominis periclitatur tum maxime, cum in summo vitæ discrimine versatur. Ut enim Apostoli verbis utamur, "descendit Diabolus" ad eam, "habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet."[3] Infirmitas

[1] In Bulla cit.

[2] Plures operibus piis, precibusque apud fideles pervulgatis, adnexæ sunt Indulgentiæ, quæ a plerisque ignorantur. Enumerantur hæ diligenter in libro Italico, cui nomen "Raccolta di Orazioni e pie Opere," etc., Romæ typis edito, et a Sacra Congregatione Indulg. probato. Opusculum hoc paucis abhinc annis Anglice vertit et Londini edidit, R. P. D. Ambrosius St. John, Oratorii Sacerdos. Quæ versio, cum a S. Sede probata fuerit, utiliter a parochis et concionatoribus evolvi potest, et fidelibus commendari.

[3] Apoc. xii., 12.

quoque ac dolores corporis intellectum obscurant ac fere obruunt, viresque voluntatis minuunt et labefactant.

304. Cui periculo sapientissimus atque amantissimus Salvator noster sacro Extremæ Unctionis ritu misericorditer prospexit, quo per olei ab Episcopo benedicti unctionem orationemque, seu formam præscriptam, baptizatis graviter ægrotantibus confertur presbyterorum ministerio gratia, cujus ope "delicta, si quæ sint adhuc expianda, et peccati reliquiæ absterguntur;"[1] augentur vires ad insidias Dæmonis propulsandas, morbique incommoda fortiter toleranda; sanitas quoque corporis, ubi saluti animæ expedierit, restituitur.

305. Extremam vero hanc Unctionem esse verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum, docuit S. Jacobus Apostolus,[2] et contra hæreticos definivit Sacrosancta Synodus Tridentina.[3] Habet enim profecto suam ipsius materiam, quam vocant, formamque, quibus adnectitur suavissima Spiritus Sancti gratia ad animam invisibiliter inungendam, id quod visibilis exterior unctio aptissime repræsentat.

306. Quum igitur Christus Dominus per Apostolum loquens præcepto urgeat, quumque tam salutares effectus ex hoc Sacramento profluant, curent omni, quo par est, studio animarum Pastores, ut ex populo sibi commisso unusquisque, qui ad id tenetur, salutari hoc præsidio munitus de vita decedat. Seque coram Summo Judice inexcusabiles fore meminerint, si quis, eorum incuriâ, hujusmodo auxilio destitutus e vivis excesserit. Itaque fideles sibi concreditos, vel ab initio morbi gravioris invisant, et quanta fieri potest diligentia et charitate, ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et, cum opus fuerit, Extremæ Unctionis rite percipienda disponant. Neque dubium est, contra morem mentemque Sanctæ matris Ecclesiæ agere sacerdotem, qui expectat, donec ægrotus in agone mortis

[1] Conc. Trid., Sess. xiv., Cap. 2, de Extr. Unct.
[2] Cap. v., 14, 15.
[3] Sess. xiv., Cap. 3., de Extr. Unctione, et Can. 1.

jaceat, ut eum Sacro Oleo inungat. Constat enim uberiores gratiæ fructus in animas eorum derivari, qui hujus Sacramenti participes fiunt, dum in iis adhuc integra mens viget ac ratio. Qua de re haud inopportunum erit serio, blande tamen ac leniter, ipsum ægrotantem adloqui, propinquos quoque ejus ac amicos commonere; et, si in arcessendo sacerdote negligentiores fuerint, pro officii sui munere increpare.

307. Quum vero, teste S. Jacobo, inter præclaros hujus Unctionis effectus, sit aliquando vel sanitatis corporalis restitutio, patet quam absurde sentiant non pauci nostrates, qui sacerdotis infirmos uncturi adventum, quasi mortis impendentis indicium atque augurium quoddam habent. Studeant igitur animarum moderatores improbam hanc et insulsissimam opinionem inter docendum concionandumque gravissimis verbis reprehendere ac refellere, ut ex omnium animis penitus extirpetur.

308. Illos, quibus hoc Sacramentum præbendum sit, Rituale Romanum satis clare indicat his verbis: "Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate. Infirmis autem, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur."[1]

309. "Non ministretur," dicit idem Rituale, "prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus." Item perpetuo amentibus non est administranda Extrema Unctio. Infirmus vero,

[1] Cap. de Sacr. Extrem. Unct.

qui ad tempus amens efficitur, quique "dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino. Impœnitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis et nondum baptizatis, penitus denegetur."[1]

310. "In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit et iterum in periculum mortis incidat."[2] "Si durante eadem infirmitate," ait Benedictus XIV., "post susceptam Extremam Unctionem morbus ita remittat, ut ægrotus mortis periculum evasisse videatur, sed, antequam convalescat, iterum in vitæ discrimen relabatur, juxta præsentem disciplinam poterit, sine scrupulo, denuo Sacra Unctione muniri."[3]

311. Oleum ex oliva ad hoc sacramentum administrandum requiri constat. Curandum est igitur omni studio, ne olea adulterina, quæ circumferuntur hoc nomine falso insignita, ad ungendos infirmos adhibeantur. Quum vero manifesta res sit, id quod tanquam oleum ex oliva fere ubique venditatur, ita callide arte confici, vel aliis oleis ex cetis aut larido ita misceri et obrui, ut olivi nil nisi nomen habeat; excitanda est Episcoporum sollicitudo et diligentia, ut per Catholicos optimæ fidei mercatores verum et purum olivum ab Europa quotannis advehendum curent, ea saltem quantitate, quæ omnium diœceseon necessitatibus pro hujus et aliorum sacramentorum administratione sufficere possit.

Bene autem placuit Patribus propositio Savannensis, offerentis Rev^{mo} Abbati Cisterciensium apud Gethsemane in Diœcesi Ludovicopolitana prædia satis ampla prope civitatem S. Augustini in Florida, eo fine ut ibi constituatur communitas Religiosorum, qui oleum olivarum, vinum de vite, et candelas ex operibus apum, in usum ecclesiarum suppeditabunt.

[1] Rit. Rom. Cap. de Sacr. Extrem. Unct.
[2] Ibid.
[3] De Syn. Diœc , viii., Cap. 9.

CAPUT VIII.

De Ordine.

312. "Si quis aliorum Sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant; partim solemni cæremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur."[1] Quod potissimum affirmari potest de augusto illo Sacrificio et munda per Prophetam prænuntiata oblatione, quæ per universum orbem Christianum a solis ortu usque ad occasum divino nomini offertur.[2] "Sacrificium enim et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Quum igitur in Novo Testamento Sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem Ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, Sacræ Literæ ostendunt, et Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit." Ita Concilium Tridentinum.[3]

313. Sacer Ordo, qui, ob Christi institutionem, gratiæque interioris per signa visibilia collationem,[4] vere ac proprie dicti Sacramenti rationem habet, non modo confert spiritualem potestatem sacramenti conficiendi et ministrandi, cæteraque munia Ecclesiastica obeundi; sed etiam characterem seu notam animæ imprimit, quæ nec deleri nec auferri potest,

[1] Catech. Rom., de Ord. Sacram.
[2] Malach. i., 11.
[3] Sess. xxiii., Cap. 1, de Ord.
[4] Cf. II. Tim. i., 6.

quâque in æternum is, cui manus sunt impositæ, a laicali cœtu separatur ac distinguitur. Unde iterari nequit hoc Sacramentum.

314. Cum Ecclesia, utpote Spiritu Dei edocta, omnia sapientissime et ordinatissime agat, ministros suos, qui sacerdotio ex officio deserviunt, per diversos ordines, veluti per quosdam gradus, a minoribus ad majora perducit. A prima enim Tonsura, quâ laici homines in clerum cooptantur, per Ostiariatum aliaque officia sacra ad insigne Presbyterorum munus ascendunt; ultimo loco Episcopatum consequuntur, quo amplissimus Sacerdotii honor et dignitas continetur. In Episcopatu igitur, quem Sacerdotii plenitudinem et apicem jure vocant, ad unitatem redigitur tota Hierarchia Ecclesiastica, quæ est, sicut castrorum acies, a cœlesti Duce sapienter ordinata. Hinc, Concilium Tridentinum de diversis Ecclesiæ ministris disserens, Episcopos præcipue commemorare, de iis plura et præclara verba facere, eorumque jura et potestatem adversus novatorum commenta et errores tueri necessarium duxit. Cum enim in Apostolorum locum suffecti sint, illorum profecto est, sanctam Dei Ecclesiam, quam Suo sanguine acquisivit, regere; idque non jure humano aut ecclesiastico, non principum gratia aut plebis voluntate, sed ipsius quidem Spiritus Sancti jussu et ordinatione.[1] Illis, et non aliis, licet Sacramentum Ordinis conferre, et "alia pleraque peragere, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent."[2]

315. Ut quis ex Presbyterorum ordine ad Episcopatum evehatur, Sedis Apostolicæ auctoritas sola requiritur; neque ad hoc necesse est ut plebis suffragia exquirantur, aut consensus sæcularis, quæcumque sit, potestatis accedat. Præterea, qui asserere audent Ordines a legitimis et veris Episcopis, iis scilicet qui auctoritate Romanæ Sedis assumuntur, irritos

[1] Act. Apost., xv., 28.

[2] Conc. Trid., l. c., Cap. 4.

esse, sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, a Tridentina Synodo anathematis pœna plectuntur.[1]

316. Quum sacerdotum munus et officium sit, populum Christianum sanctæ Fidei mysteriis imbuere, et in via mandatorum Domini currentes incitare, vacillantes confirmare et lapsos erigere; satis inde patet, quanta sacrarum rerum scientia pollere, quanta morum sanctitate enitere debeant. Secus enim, quomodo poterit Ecclesiæ minister veram et sinceram Christi doctrinam, ab omni humani erroris luto ac veneno immunem, fidelibus propinare? Aut qua fronte se gregi suo ducem et exemplar offerre, ad eas virtutes consequendas, ad quas ipse invitat et hortatur? Ne quis igitur in posterum ordinandus accedat, qui non sufficienti literarum et doctrinæ sacræ supellectili sit instructus, volumus ut in singulis harum Provinciarum diœcesibus quatuor vel tres ad minus in posterum ab Episcopo constituantur Examinatores, qui facto Ordinandorum scientiæ periculo, perpensisque omnium, quibus testari competit, de eorum genere, persona, ætate et vitæ honestate testimoniis, scienter et sincere de omnibus ad Episcopum referant, suamque in scriptis de unoquoque candidato patefaciant sententiam; utrum scilicet dignus an indignus sit, qui ad Ordines admittatur. Idem, quoad scientiæ periculum, cum Regularibus qui ordinandi sistuntur, servandum decernimus.

317. Juxta Ecclesiæ mentem, quæ ex sæpe repetitis Canonici Juris sanctionibus manifeste eruitur, unusquisque a *proprio* Episcopo ordinandus est. Quo nomine appellatur Episcopus, cui subditur ratione sive *originis*, sive *domicilii.* Locus *originis* dicitur urbs, oppidum, aut pagus, ubi quis *naturaliter* ortus est, scilicet ubi pater verum domicilium habet. Si autem alibi per accidens nascatur, v. g. occasione itineris, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis

[1] Conc. Trid., loc. cit., Can. 7, 8.

moræ, tum nullatenus hujusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si pater in alieno loco ubi filius nascitur, tandiu eoque animo permanserit, ut inibi *domicilium* de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium pro filii ordinatione attendi debet.[1] In neo-baptizatis, ex hæresi aut infidelitate conversis, locus *originis* censetur ille, in quo Baptismum accipiunt. Ita enim a Paulo III. constitutum fuit, et ita se habet praxis Curiæ Romanæ.[2]

318. Subditus autem ratione *domicilii*, ad effectum suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen stabiliter constituit in aliquo loco, vel decennali habitatione, vel illuc majorem bonorum partem cum ædibus instructis transferendo, ibique per notabile tempus commorando, atque insuper animum permanendi habere jurejurando affirmat.[3] Plura hinc ad domicilium vere dictum pro ordinandis constituendum lege positiva requiri patet, quam pro cætera sacramenta suscepturis. Si quis duo habeat domicilia, poterit ab utriuslibet loci Episcopo Ordines petere, quia uterque *proprii* Episcopi loco habetur.

319. Ab *alieno* Episcopo nemo ordinari potest, nisi secum afferat *proprii* Episcopi literas dimissoriales, et has quidem non generalibus verbis conceptas, sed quæ clare et determinate exprimant Ordinem vel Ordines, pro quibus conferendis facultas datur.

320. Si quis ab Episcopo proprio ad clericalem tonsuram seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non potest ab alio Episcopo, ratione aut titulo beneficii cujuscumque, ad

[1] Innocent. XII., in Const. Speculatores, §§ 9, 10; ubi tota hæc materia amplissime pertractatur.

[2] Vid. Honorante, Prax. Sacr. Tribun. Card. Urb. Vicarii, Romæ, 1762, p. 21; Pauli III., Const. Cupientes (31 Mart., 1542), quam Pauli Constitutionem postea confirmavit ampliavitque Clemens XI., in Const. Propagandæ, edita die 11. Maji, 1704.

[3] Const. Speculatores, § 11.

ulteriores Ordines promoveri, nisi antea literas testimoniales proprii Episcopi, tam originis quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, et vita Episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit.[1] Quod ad *quemcumque titulum* extenditur a Sacr. Congreg. Concilii Tridentini interprete.[2]

321. Si quis a propriæ originis loco discesserit, tenetur literas testimoniales Ordinarii suæ originis Episcopo ordinanti offerre; et de iis mentio expressa facienda est in literis susceptorum Ordinum. Neque refert, utrum ordinandus a loco originis in ea ætate discesserit, quâ potuerit canonico impedimento irretiri, an antea, cum hujusmodi impedimento ob annorum defectum subjacere non posset. Prædictæ literæ testimoniales requiruntur, etiam cum Episcopus ordinaturus est ratione domicilii proprius, aut est alioquin certus de moribus ordinandi.[3] Præterea, si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo non *naturaliter*, sed *ex accidenti*, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonicum aliquod impedimentum contrahere, tunc etiam testimoniales ab Ordinario ejus loci literas Episcopo ordinanti exhibere teneatur, earumque in susceptorum Ordinum Testimonio mentio fiat.[4]

322. Quum igitur Ecclesia tot legibus ac decretis plane ostendat, providere se voluisse, ut tota, quam longa est, candidatorum anteacta vita Episcopo ordinanti patescat, quo ipse tutiori conscientia et sine ullo legum canonicarum aut rei Christianæ detrimento, ad Ordines conferendos procedat; quumque experientia constet apud nos, nonnullos eorum qui sacros Ordines ambiunt, huc illuc vagari, et ex uno Collegio

[1] Constit. Speculatores, § 7.

[2] In causa Pientina, die 18. Julii, 1733, § 16; et in Messanensi, die 22. Aug., 1739, § 4. Apud Zamboni, in Coll. Decl. Sacr. Congr. Card. Conc. Trid. Romæ, 1816, Tom. viii., p. 46.

[3] Const. Speculatores, § 12. Adde Decl. S. Congr. Conc. Trid. in Pientina seu Ilcinensi, 8 Aug., 1733, § 6: apud Zamb. loc. cit.

[4] Const. Speculatores, § 9.

aut Seminario in alterum sæpius migrare solitos esse; statuimus ut Episcopi eorumque examinatores in posterum ab omnibus hujusmodi, præter cætera requisita, exigant insuper literas testimoniales a Rectoribus aut Superioribus Collegiorum et Seminariorum subscribendas, in quibus patefiat qualemcumque studiis operam dederint; necnon a Parochis vel probatæ vitæ sacerdotibus aliorum locorum, in quibus per aliquod notabile tempus commorati fuerint.

323. Sacerdotes sine titulo ordinari non possunt, sive is ex patrimonio, seu beneficio, seu paupertate religiosa oriatur. Apud nos, S. Sedis indulgentiâ, sæculares sacerdotes, nemine fere excepto, ad titulum missionis hucusque ordinati fuere. Quum vero quinquennium, per quod facultas ordinandi ad hujusmodi titulum concessa est, jam effluxerit, censemus S. Sedi supplicandum esse, ut eadem harum Provinciarum Episcopis iterum concedatur, si Summo Pontifici visum fuerit.[1] Supplicandum quoque censemus, ut liceat ordinandis in posterum Titulum Missionis acquirere, quin jurejurando se obligare teneantur ad perpetuo Missionibus inserviendum.[2]

CAPUT IX.

De Matrimonio.

324. "Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: 'Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de

[1] Hanc facultatem "Singulis Fœderatorum Statuum Episcopis, usque ad terminum unicuique eorum pro aliarum facultatum exercitio assignatum," S. Pontifex benigne concessit, 24. Jan., 1868. Cf. Decretum S. C. de P. F., II., *supra*.

[2] Hac de postulatione forsan pertractabit S. Cong. de Prop. Fide, in promissa nobis circa Ordinationem Titulo Missionis Instructione. Vide Instruct. Gen., supra.

carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.'"[1]

"Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens, dixit: 'Itaque jam non sunt duo, sed una caro;' statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: 'Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.'"[2]

"Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens: 'Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea:'[3] mox subjungens: 'Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia.'"[4]

325. Hinc patet quantum in ipsam naturam peccent miseri illi homines, qui apud nos vagam effrænemque libidinem specioso *liberi amoris* nomine cohonestare, ac illi naturæ officio, quod generis humani parens agnovit, ac ejusdem Redemptor sanctificavit, subrogare conantur. Neque ii ferendi sunt, qui legi a Christo latæ repugnantes, polygamiam impuram rursus inducere volunt. Etenim "hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes; hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant; quæcunque autem naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur."[5]

326. Verum hæc errorum portenta adeo sunt fœda, ut nullus vere Christianus homo ea non detestetur, ac penitus exhorrescat. Dolendum tamen eam animis plurimorum ex nostratibus insedisse opinionem, posse per legis civilis auctoritatem penitus abrumpi Matrimonii vinculum, ita ut conjugi-

[1] Gen. ii., 23, 24; Eph. v., 30, 31.
[2] Matth. xix., 5, 6.
[3] Eph. v., 25, seq.
[4] Syn. Trid., Sess. xxiv., Decr. de Sac. Matr.
[5] Jud. Epist., vers. 19, 10.

bus hoc modo separatis ad novas liceat convolare nuptias. Quod quantum a veritate sit alienum, patet ex verbis Christi relatis. Hunc pessimum errorem damnaverat jam Synodus Tridentina;[1] verum crescente in dies hominum impurorum audacia, rursus in eum inclamavit Pius PP. IX., feliciter regnans, qui in "Syllabum complectentem præcipuos nostræ ætatis errores," suo jussu[2] editum, et hunc referri voluit: "Jure naturæ Matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest."[3] Ut enim Matrimonium est naturæ officium, ejus fines perpetuam ac individuam conjugum vitæ postulant societatem. Insuper Sacramenti dignitas et gratia, quâ Christus contractum naturalem decoravit, simul "ejus indissolubilem unitatem confirmavit;" ita ut Christianorum Matrimonium "sanctissimi illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia conjungitur, Sacramentum, id est, sacrum signum sit."[4] Quam sanctissimam doctrinam tueri, et in effectum perducere volentes Patres Concilii Provincialis Baltimorensis V., decretum hoc tulerunt:

327. Cum lege divina vetitum sit homini separare quos Deus conjunxit, monemus Episcopos ut in suis synodis sub pœna excommunicationis *ipso facto*, prohibeant iis qui divortio civili sejuncti sunt, ne ad nova transeant vota, legitimo vinculo posthabito.[5]

328. Cum vero fieri possit, post luctuosas belli civilis vicissitudines, ut sæpius dubia oriantur de morte conjugis, præsertim si militiæ nomen dederit, opportunum ducimus hic Instructionis partem inserere, quæ a Congregatione S. Officii est edita, a Rom. Pont. Clemente X. probata,[6] et deinde omnibus Episcopis transmissa:[7] "Interrogetur (testis) de loco et tempore, quo sunt mortui (conjuges), et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc mortuos. Et si respon-

[1] Sess. xxiv., Can 5 et 7.
[2] 8 Dec., 1864.
[3] Prop 67.
[4] Catech. Rom., c. 9.
[5] Balt., Num. 61.
[6] Bullar. Rom., 21 Aug. 1670.
[7] 25 Dec., 1827.

deat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a rectore ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ et sufficientes." Qua in re præ oculis habendum illud Juris Canonici præscriptum,[1] juxta quod mulieribus conjugatis non licet novum Matrimonium contrahere, "donec certum nuntium recipiant de morte virorum, * * * quantocumque annorum numero ita remanere" debeant. Constat itaque, antequam novæ nuptiæ licite iniri possint, requiri certam prioris conjugis mortis cognitionem, quæ nonnisi ab Ordinario, omnibus bene perpensis, probari jure debet.[2]

329. Cum Matrimonum sit magnum Sacramentum, fideles qui illud sunt inituri maximam curam impendere debent, ut ea, quâ par est, animi devotione digne Dei gratiam per illud collatam accipiant. Quapropter "admoneantur conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad Sanctissimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant."[3] In eamdem sententiam Patres Concilii Provincialis Baltimorensis I. hæc decreverunt:

330. Pastores animarum monemus, ut, sui officii memores, omnem adhibeant sollicitudinem ad rite disponendos fideles qui sacramentum Matrimonii suscipere velint; nec se peccato immunes existiment, si temere quoslibet manifeste indignos jungant. Revocent igitur fidelibus in memoriam Tridentini

[1] Decretal. lib. iv., Tit. i., Cap. 19. In præsentia. Cf. ejusdem lib. Tit. xxi., Cap. 2, Dominus ac Redemptor Noster.

[2] Vide integram C. S. O. Instructionem, in Appendice.

[3] Rit. Rom., De Sac. Matr. Vide Conc. Trid., Sess. xxiv.; De Ref. Matrim. c., 1, sub finem.

Concilii sapientissima hac in re monita, eaque servari curent. Ea etiam omnia quæ a prædecessoribus nostris in synodo et conventu antehac habitis, juxta S. Sedis et Conciliorum probatorum auctoritatem sancita sunt, sedulo sequantur, pro prudente religionis studio, Ordinarii uniuscujusque in sua diœcesi statutis et jussis semper præ oculis habitis.[1]

331. Quo debitæ huic præparationi melius prospiceretur, et ii, qui ab Ecclesia vetantur, ab hoc Sacramento arcerentur, denuntiationes quas ante Matrimonium faciendas præscripsit Concilium Tridentinum,[2] apud nos haberi curaverunt hujus regionis Præsules. Namque in Concilio Baltimorensi VI. ita decreverant:

Censuerunt Patres optandum esse, ut, statim atque Ordinario uniuscujusque diœcesis utile visum fuerit, proclamationes, quæ banna vocari solent, habeantur, et fiant ante celebrationem Matrimoniorum, juxta mentem conciliorum Lateranensis et Tridentini.[3]

332. In superiori vero Concilio Plenario hoc statutum est:

Statuunt Patres in omnibus harum Provinciarum diœcesibus, post festa Paschalia anni proxime venturi 1853, banna Matrimoniorum publicanda esse. Ordinarios vero hortantur, ut ne hac in re, nisi gravissimis de causis, dispensent.[4]

333. Quam saluberrimam disciplinam, jam usu receptam, firmam manere omnino volumus. Insuper vehementer hortamur pastores, ut praxim benedicendi Matrimonia intra Missam ubique introducant.[5]

334. Matrimonia Catholicorum cum hæreticis semper detestata est Ecclesia. Neque hac in re officio suo defuerunt decessores nostri. Sic enim in Concilio Baltimorensi Provinciali IV. statuebatur:

Sacerdotibus omnibus hujus provinciæ in memoriam revocamus, antiqua Ecclesiæ lege, quam SS. Pontifices non desierunt inculcare, vetari Matrimonia catholicorum cum acatholicis, cum sanctitas sacramenti postulet, ut uterque fide et aliis animi dispositionibus gratiæ sacramenti suscipiendæ idoneus

[1] Balt., Num. 25. [2] Conc. Trid., loc. cit. [3] Balt., Num. 71. [4] Ibid., 88.
[5] Cf. Decreta S. C. R. circa Missam pro Sponso et Sponsa, in Appendice.

sit, et plura graviaque incommoda et mala ex hujusmodi connubiis sæpe sequantur; nempe discordia domestica, et catholicæ partis et prolis perversio. Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant ex auctoritate Apostolica ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut conscientiæ securitati et libero religionis exercitio a Catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide Catholica educationi, solemni coram Deo promissione iis de rebus emissa; secus, nullatenus licebit sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper sacerdotes, pluribus SS. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum fœdera hujusmodi ineuntur, quæ neque intra ecclesiam ineunda sunt.[1]

335. Moneantur tamen animarum pastores, ut in hisce promissionibus exigendis fortiter quidem in re, in modo tamen suaviter se gerant, ne "æmulationem quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam,"[2] utrumque sponsum exasperent, indeque mala oriantur graviora; quod eo magis præcavendum, cum constet raro hisce in regionibus ab Episcopo vel sacerdote pro ineundis ejusmodi nuptiis dispensationem peti, donec res jam eo usque processerit, ut Matrimonium per Ecclesiæ monita abrumpi posse vix sit sperandum.

336. Omnis opera in eo potius ponenda est, ut fideles a mixtis istis conjugiis omnino deterreantur. Hortamur igitur animarum pastores, ut semel saltem in anno, tempore præsertim Adventûs vel Quadragesimæ, gravi sermone greges sibi commissos mala quæ ex iis pullulant edoceant, simulque fidei pericula indicent, quæ tum sponso Catholico, tum proli suscipiendæ imminent; gravissima ostendentes fuisse rationum momenta quibus permota Christi Ecclesia id genus nuptias acriter semper vetuerit, ac etiamnum vetet.

337. Ex istis conjugiis pessimus ille ortum habuit abusus, ut Catholicus coram præcone hæretico contractum matrimonialem quandoque iniret. In quem animadverterunt Patres Concilii Baltimorensis VII., sequenti decreto:

[1] Balt., Num. 49. Vide Instructionem S. P. Pii Papæ IX., in Appendice.
[2] Rom. x., 2.

Stricte prohibemus, ne sacerdotes Matrimoniis eorum qui jam ab acatholico ministro vel conjuncti sunt, vel conjungi volunt, interesse præsumant.[1]

338. Quod explicantes et confirmantes, prioris Concilii Plenarii Patres sic statuerunt:

Decretum Concilii Baltimorensis Provincialis VII. intelligendum declaramus de iis, qui temere conjunguntur coram præcone acatholico, contra leges ecclesiasticas, quæ vetant communionem in divinis cum hæreticis, et usurpati muneris sacri agnitionem. Nolumus sacerdotes suam operam præstare iis quos noverint ministellum adituros, fœderis matrimonialis iterandi causa, vel qui fœdere sic inito, absque pœnitentiæ indiciis, benedictionem sacerdotalem petunt.[2]

339. Haud raro accidit, ut in quibusdam locis paucæ quædam familiæ Catholicæ degant, inter maximum Acatholicorum numerum, quorum plerique baptismate haud sunt abluti.[3] Ob sacerdotum vero penuriam, loca hujusmodi raro a Missionariis perlustrantur. Hinc evenit, ut Catholici non pauci clam Ecclesia Matrimonia invalida propter impedimentum *disparitatis cultus* ineant. Cum vero accesserit sacerdos, eum confitendi causâ adeunt, atque eo monente, petunt ut sua Matrimonia, quæ sæpe valida esse bona fide putaverant, rehabilitentur. At Acatholicus conjux consensum renovare plerumque omnino recusat: ob locorum vero distantiam et temporis angustias Episcopus adiri vix potest; periculum autem manifestum est in morâ. Hisce perpensis, censuerunt Patres, orandam esse S. Sedem, ut ipsis fiat potestas communicandi Missionariis qui talia loca forte inviserint, facultatem sanandi *in radice*, vel alias rehabilitandi hujusmodi Matrimonia in supra memoratis casibus, prout ipsis in Domino visum fuerit; hac tamen adjecta conditione, ut quamprimum Episcopum certiorem facere debeant, quandocunque hac facultate usi fuerint.

[1] Balt., Num. 77.

[2] Ibid., 100.

[3] De hæreticorum Baptismi validitate relate ad Matrimonium, vide Declarationem S. Sedis, in Appendice.

Patribus etiam visum est expedire, ut supplicatio ad Sanctam Sedem porrigatur, ut Episcopis potestas fiat communicandi Vicariis Generalibus, et urgente necessitate, aliquibus sacerdotibus, facultates quas ipsis concedere consuevit Sancta Sedes, dispensandi in impedimentis Matrimonialibus, prout eis in Domino visum fuerit.[1]

340. Decretum Tridentinum de Matrimoniis clandestinis[2] in plerisque hujus regionis diœcesibus promulgatum haud fuisse constat. Qua de re, hæc fuit Patrum Concilii Baltimorensis V. sententia:

Censuerunt Patres haud expedire decretum Tridentinum de clandestino Matrimonio ad alias parœcias diœceseos Detroitensis, extra ipsam civitatem, adhuc extendere; nec ad alias diœceses Americæ Fœderatæ, præter eas in quibus jam noscitur promulgatum : et orandam esse S. Sedem, ut dispenset quoad ipsam civitatem Detroitensem.[3]

Cum vero eadem perdurent rerum adjuncta, eidem et nos adhæremus sententiæ. Plura enim incommoda certo oritura nobis videntur, si proprii sacerdotis præsentia ad id necessaria esset, ut valide iniri possent Catholicorum nuptiæ. Si quo vero in loco dubium adhuc existat, utrum lex Tridentina ibidem promulgata fuerit, rem Ordinarii judicio relinquimus dirimendam. Ut omnis tamen controversia auferatur, conscientiarum securitati consulatur, ac in re maximi momenti uniformitas habeatur, optimum fore nobis videtur, si Summæ Sedis auctoritate, ea disciplina quæ jam fere ubivis apud nos viget, universe in hac regione, excepta Provincia Neo-Aurelianensi, instituatur.[4]

[1] "Relate ad hæc duo postulata, voluerunt Em^{mi} Patres standum omnino esse formulis facultatum, ubi determinantur personæ quibus memoratæ facultates communicari possunt." Instruct. S. C. III., art. vi.

[2] Concil. Trid., Sess. xxv., de Reform. Matrim., c. 1.

[3] Balt., Num. 62.

[4] "SS. Pater postulationi huic minime censuit annuendum." Instruct. iii., art. vii., *supra*.

CAPUT X.

De Sacramentalibus.

341. Præter Sacramenta proprie dicta, alias quoque res sacras habet Ecclesia, quæ olim latiori quidem ac minus proprio sensu etiam Sacramenta vocabantur. A multis autem sæculis in morem venit, ut *Sacramentalia* appellentur. Origo nominis ex eo est, quod, Sacramentis virtute ac meritis longe inferiora cum sint, ea tamen effectibus quodammodo imitentur. "Sunt quædam in Ecclesia," de Sacramentalibus agens ait antiquus et optimæ notæ Theologus, "in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur."[1] Sacramentalia scilicet gratiam ex opere operato, ut ajunt, seu propria virtute, non conferunt; illam tamen a Deo impetrant, pios motus devotionis, amoris, grati animi, et peccatorum detestationis in nobis excitando. Ideoque vim habent, ut theologi docent, venialia peccata delendi. Sacramentalia ab aliis plura, ab aliis pauciora numerantur. Vulgatus hic versus, compendiaria veluti formula, pleraque complectitur:

"Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus."

342. Quibus vocibus innuuntur Orationis Dominicæ recitatio, aquæ lustralis aspersio, Eulogiarum seu benedicti panis usus, confessio generalis coram Ecclesia vel fratribus facta, eleemosynarum erogatio, et Præsulis benedictio.

343. Quotidianæ fidelium preces, præcipue Oratio Dominica, aliæque ab Ecclesia præscriptæ vel a cœtu fidelium in loco sacro congregatorum recitatæ, maximam habent efficaciam, et teste S. Augustino peccata leviora delent. "De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc

[1] Hugo a S. Victore, De Sacr., p. 9.

vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere Pater Noster, qui es in cœlis. * * Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata."[1] Et alibi testatur "peccata, sine quibus hic non vivitur, operibus misericordiæ et piis orationibus mundari."[2]

344. Aquæ lustralis seu benedictæ usus a primis Ecclesiæ temporibus repetendus est. Antiqui etiam Sacramenti haud proprie dicti nomine sæpe cohonestabant. Ejus effectus laudat his verbis antiquus auctor, qui quis fuerit jam ignoratur: "Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur. Quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos sanctificat atque mundat et purgat, et cætera bona multiplicat, et insidias Diaboli avertit, et a phantasmatum versutiis homines defendit."[3]

345. Eulogiæ, seu panis benedicti fragmenta, in veteri Ecclesia, deficiente paullatim pristinæ charitatis fervore, baptizatis et aliquando catechumenis loco Eucharistiæ dabantur. Qui mos hodieque manet apud Orientales, et in nonnullis etiam Occidentis ecclesiis, ubi Eulogiæ intra Missarum solemnia, ante vel post communionis tempus, fidelibus porriguntur. Eas etiam invicem mittebant veteres Christiani, in symbolum communionis. Virtus Eulogiarum ex Ecclesiæ benedictione, et ipsarum significatione tota pendet. Imitantur enim et quodammodo adumbrant Sacrosanctum illum Panem, qui

[1] Enchirid. ad Laur., Cap. 71, Ed. Maur. vi., 223.

[2] Ep. ad Hilarium, ed. cit., ii. 543.

[3] Hæc, olim Alexandro I. adscripta, ex vetusto quodam Pontificali decreto aut Rituali Libro in Corpus Juris Canon. translata fuerunt. Can. 20, Aquam., Dist. iii., de Consecr

manna longe præstantior de cœlo descendit, quemque pie manducando multa membra unum Christi corpus efficimur.

346. Generali Confessionis forma, quæ Missæ initio et non semel in Officio Divino recitatur, labes animi ac peccata quotidiana, non sine magno Christianæ humilitatis profectu, coram Deo et Ecclesia Christifideles profitentur; atque ad ea magis magisque odio habenda et pia ultione punienda excitantur. Qua peccati detestatione et satisfaciendi voluntate, corda nostra a peccatis eorumque reliquiis mundantur.

347. Bona nostra temporalia in pauperes erogando, Christum in suis diligere nos ostendimus; amoremque, quem ore profitemur, re et opere comprobamus. Hinc fovetur augeturque charitas; et dimittuntur peccata in quæ frequentius ex naturæ infirmitate labimur. Ipsæ Sacræ Literæ manifeste docent, eleemosynam et in pauperes misericordiam nos ab omni peccato redimere ac liberare posse.[1]

348. Benedictio præsulis, id est Episcopi, (etiam Presbyteri in Missa, et multo magis cum Venerabili Sacramento,) et præcipue Pontificis Romani, qui Christi et Petri in terris locum singulari modo obtinet, plurimum iis proficit, qui eam humili piâque mente suscipiunt. Confertur etiam hujusmodi benedictis rebus ad cultum divinum et fovendam pietatem destinatis, qualia sunt vestes, annuli, numismata, cruces, coronæ precatoriæ, et plura hujusmodi.

349. Ad Sacramentalia etiam revocantur supplex et humilis tunsio pectoris, cineres prima Quadragesimæ die capitibus adspersi, palmæ benedictæ, Agnus Dei cereus, candelæ Romanæ Ecclesiæ more die Purificationis B. V. M. benedictæ, altarium et templorum consecratio, aliaque plura, quæ longiori oratione non egent.

350. Curent imprimis concionatores et animarum rectores, ut harum rerum naturam, significationem, rectumque usum

[1] Cf. Tob. iv., 11. Daniel iv., 24.

fidelibus exponant, ac sæpius inculcent. Iis qui sapientiæ et ingenio suo nimis innituntur, persuadeant hæc, levia licet minutaque videantur, non esse contemnenda, quum ad pie vivendum et salutem consequendam non parum proficiant. Rudiorem vero plebeculam, quæ contrario errore abripitur, etiam atque etiam moneant, ne rebus ipsis nimiam efficaciam tribuat, neque eas cœca quadam et immodica fiducia servet, et superstitiosa veneratione prosequatur, quasi ipsæ per sese, sine pia mentis dispositione, plurimum possent. Illos vero acerrime reprehendant, qui hujusmodi res sacras, ut Ethnicis moris erat, amuletorum quasi loco habent, quæ ipsos etiam fœdissimo vitiorum cœno involutos ab ira Dei et ultione præstent immunes.

TITULUS VI.

De Cultu Divino.

CAPUT I.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

351. Universi cultus divini summa et caput est Sacrificium. Omnia enim complectitur officia, quæ erga Deum rerum omnium Auctorem, Conservatorem, ac Dominum, bonorum omnium largitorem, supremum vitæ ac mortis arbitrum, scelerumque vel occultissimorum judicem et ultorem, ab homine servari oportet. Quamobrem sacrificia ab ipso humanæ gentis exordio divinitus instituta fuisse legimus. Neque tamen hæc, utpote quæ futurorum bonorum umbra tantum essent ac figura, poterant per se Deum placare ac propitium reddere; sed virtutem suam a maximo illo, quod ipsa præsignificabant, Sacrificio, quodque Christus Dominus, ubi venisset plenitudo temporis,[1] erat Deo Patri oblaturus, totam repetebant. Sacrificium hoc a tot vatibus prænuntiatum, totque sæculorum votis exoptatissimum, Deus homo factus, sacerdos simul et victima, in ara Crucis sua morte consummavit. Ut tamen cruentæ hujus Oblationis perpetua apud suos memoria permaneret, Ipse, quia "manet in æternum sempiternumque habet sacerdotium,"[2] Sacrificium visibile

[1] Gal. iv., 4.

[2] Hebr. vii., 24.

instituit, quo indesinenter, modo tamen incruento, crucis sacrificium in Ecclesia repræsentaretur, ejusque singularis virtus quotidianis, in quæ labimur, peccatis expiandis inserviret. Quod fecit supremo vitæ tempore, quâ nocte tradebatur;[1] quum in novissima cœna, ut ait Concilium Tridentinum[2] "sacerdotem secundum ordinem Melchisedec se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et iisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit,[3] per hæc verba: 'Hoc facite in meam commemorationem.'"

352. Itaque Sacrificium, quod in Missa peragitur, a crucis sacrificio re non differt. Una namque et eadem est Victima; idem quoque Sacerdos, qui nunc per ministros, quos sacerdotii sui participes effecit, id ipsum offert, quod olim cruci affixus Ipse obtulerat. Alius tantummodo est offerendi modus: Qui enim jam in cruce effuso sanguine oblatus est, nunc super aris incruente immolatur. Nulla igitur ratione Sacrificium Missæ, quod ajunt impii homines, derogat peracto in cruce sacrificio; quin immo ejus merita ac beneficia quam latissime propagat, atque in omnes uberrime diffundit. Siquidem Christus in hoc Sacrificio pro iis, quos redemit, omnibus eumdem pretiosum Sanguinem et vulnera Patri suo ostendit ac offert, quibus ad dexteram Ejus in cœlis sedens gratiam nobis apud Eum conciliat. Utrobique enim sempiterno sacerdotio fungitur, ut possit "salvare in perpetuum accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis."[4]

353. Magna igitur fiduciâ adeundus est magnus hic Pontifex noster, Jesus Filius Dei, qui in aris nostris tanquam in

[1] I. Cor. xi., 23.
[2] Sess. xxii., De Sacrif. Mis., Cap. 1.
[3] Luc. xxii., 19.
[4] Hebr. vii., 25.

throno gratiæ sedet.[1] Regnat quidem apud cœlites, ex quo devicta morte cœlos penetravit, Rex regum et Dominus dominantium; quotidie tamen, velut hostia pacifica, quæ imis summa reconciliet, ad instaurandum perficiendumque nostræ redemptionis opus offertur. "Quoties enim," solemnia sunt Deum precantis Ecclesiæ verba,[2] "hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur." Quæ quidem Oblatio inexhaustos in nostrum usum et commodum divinæ misericordiæ thesauros in se continet: neque præsentis tantum vitæ limitibus circumscribitur ejus fructus et utilitas; sed futuram etiam, alterumque, qui humanis oculis cerni non potest, mundum complectitur.

354. Non solum enim vivos ubique terrarum fideles attingit, sed etiam vita functos, quibus pie et religiose in pace Domini mortuis culparum forte pœnæ adhuc luendæ supersint. "Hac quidem Oblatione," ut loquitur SSm^{us} Dn^{us} Noster Pius PP. IX,[3] "placatus Deus, gratiam donumque pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, justæ animadversionis severitate ad clementiam traducitur; eâ temporalium pœnarum reatus et obligatio dissolvitur; eâ defunctorum in Christo animæ nondum ad plenum purgatæ sublevantur; eâ obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; eâ Sanctis et in primis Immaculatæ Sanctissimæque Dei genitrici Virgini Mariæ eximius quidam honor cultusque conciliatur." Quam late pateat divini hujus Sacrificii fructus, Cyrillus quoque Hierosolymitanus testatur, dum ait Missam ex Apostolorum traditione offerre sacerdotes, "pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, et pro omnibus, generatim, qui inter nos vita

[1] Hebr. iv., 14–16.
[2] In Secr. Missæ, Dom. ix., post Pent.
[3] In Ep. Encycl. Amantissimi Redemptoris, 3 Maji, 1858.

functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet Victima."[1]

355. Agnoscat igitur ac reverenter suspiciat suam ipsius dignitatem Sacerdos, quem Christus vicarium sibi in hoc Sacrificio offerendo et adjutorem elegit. Hæc quippe dignitas maximos ac præstantissimos hujus sæculi honores longe superat. "Habemus enim nos sacerdotes," inquit Ambrosius,[2] "nostram nobilitatem præfecturis et consulatibus præferendam;" eamque, quam nec Angelis unquam licuit attingere, neque ipsi quidem beatissimæ Dei Genitrici Mariæ, licet sanctitate et loco ipsa mortales cæteros antecellat. Itaque Christum, cujus sacerdotii particeps est, quemque offerendo repræsentat, totum in se exprimat; ita ut vere possit cum Paulo dicere: "Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus."[3] Quod præcipue eo tempore, quo Sacrificium Missæ peragit, facere debet. Non, nisi corde et corpore ab omni criminis macula elutis, et candida innocentiæ stola indutus, ad altare Dei se sistat. Fide et charitate totus ferveat oportet, qui hisce sacris operaturus accedat. Si enim Ecclesiæ lex Christianum quemvis, qui Christi corpus suscipere velit, ab omni lethalis peccati labe liberum esse jubet, profecto longe majus quiddam a sacerdote postulabit, qui Christi corpus et sanguinem non suscipere tantum, sed etiam conficere et aliis ministrare aggreditur! Idcirco, ut ait idem Ambrosius, non mediocris esse debet sacerdotis pro populo supplicaturi virtus, "cui cavendum non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem."[4]

356. Non igitur gravioribus tantum culpis, sed et maculis quibusque et vel ipsis cupiditatum humanarum vestigiis,

[1] S. Cyril. Hierosol., Catech. xxiii., Mystag. 5, de Sac. Liturg.
[2] S. Ambros., Exhort. Virg., § 82, Ed. Maur. Paris, 1690, Tom. ii., col. 299.
[3] Gal. ii., 20.
[4] Ep. 63 ad Eccles. Vercell., § 59, ed. cit., ii. 1036.

quantum fieri licet, depurgari decet, qui Deum hoc sancto Sacrificio colere, sibique et cæteris placatum ac propitium reddere studet. "Si enim," ut loquitur Magnus ille Gregorius,[1] "interesse sacrificiis non audent, nisi sanctificati, quid de sacrificantibus censendum? Sanctificare enim purgare est. Quantum ergo puros decet esse, ubi invitatæ ad sacrificium, nonnisi sanctificatæ admittendæ sunt plebes! Sanctificatio quippe corporis pudicitia est, sanctificatio mentis charitas et humilitas. Sanctificetur ergo ad sacrificium invitatus, sed magis ille cogitur, a quo invitatur." Atque præclare iterum in rem nostram Ambrosius: "Qui Christo ministrat, oportet primo carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut corpus et sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger, minimeque sanus, immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide quid agas, sacerdos! nec febrienti manu corpus Christi adtingas. Prius curare, ut ministrare possis. Si mundos eos, qui ante fuerant leprosi, Christus jubet occurrere sacerdotibus, quanto magis mundum ipsum convenit esse sacerdotem."[2]

357. Sacræ Literæ, gravissima proposita pœna, "opus Dei," quod nominis Sacrificium hoc proprio quodammodo jure sibi vindicat, fraudulenter fieri vetant.[3] Fraudulenter autem agit, qui debita Dominum suum opera fraudat, imperfecte, inscite, et negligenter agendo. Ex hoc igitur præcepto, quocum terribilis adeo comminatio conjuncta est, satis manifeste patet quanta cura, diligentia, ac sollicitudine sacerdotem hisce Sacris operantem adlaborare deceat, ut omnes ab Ecclesia præscriptos ritus ac cæremonias accuratissime servet. In his sane vel minimum quidem apicem adjicere, tollere, aut ullo modo immutare, nefas est. Nullus enim in peragendo

[1] S. Greg. Mag., Lib. vi. in I. Reg., Cap. 3, § 10, Ed. Maur., Paris, 1705, iii., 378.
[2] De Vid., Cap. 10, § 65, ed. cit., ii., 203.
[3] Jerem., xlviii., 10.

hoc Sacrificio ritus adhibetur, nulla cæremonia, quæ inanis aut supervacanea citra impietatem existimari possit. Ea enim pariter omnia, sive minima videantur sive maxima, sapientissima mater, Ecclesia instituit; quibus majestas divini Sacrificii magis eluceret, quibusque veluti adminiculis hominum animi ad altissimarum, quæ hoc mysterio teguntur, rerum contemplationem attollerentur.

358. Volumus igitur districteque præcipimus, ut sacerdotes in hisce provinciis universi ea omnia, quæ in Romano Missali habentur, ad amussim sequantur. De quo libro hæc a S. Pio V. Pontifice præscribuntur: "Missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc traditur, decantent ac legant; neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumant."[1]

359. Nonnulla quæ ad Missam debita decentia, honore, et reverentia celebrandam a Patribus superiorum Baltimorensium Conciliorum statuta sunt, iterum promulgamus, atque confirmamus:

360. In divino Sacrificio celebrando detur opera diligenter, ut omnia altarium ornamenta, et sacra vasa sint munda; non fœda corporalia, vel purificatoria; non vestes laceræ vel indecentes; indusia vero privati apparatus sub amictu et alba lateant ita ut non indecoro, vel mundano more appareant; nec quidquam altari tremendo, vel sacramentorum administratione indignum sit.[2]

361. Ut omnia juxta ordinem fiant, et solemnes Ecclesiæ ritus integri serventur, monemus rectores ecclesiarum ut sedulo invigilent ad abusus eliminandos qui in cantu ecclesiastico in his regionibus invaluerunt. Curent igitur ut sacrosancto Missæ Sacrificio et aliis divinis officiis musica, non vero musicæ divina officia inserviant. Noverint, juxta Ecclesiæ ritum, carmina vernaculo idiomate, inter Missarum solemnia, vel vesperas solemnes, decantare non licere.[3]

362. Statuimus sacerdoti nulli, vi facultatum generalium

[1] S. Pius V. in Bulla "Quo primum tempore," Missalibus præposita.

[2] Balt., Num. 23.

[3] Ibid., 47.

sibi concessarum celebrandi in quocumque loco decenti, licere Missam celebrare in ædibus privatis, nisi in stationibus, et in iis ædibus quas Ordinarius designaverit; aut dum actu missionis exercitiis, procul ab aliqua ecclesia, dat operam. Quod si Ordinarii alias concedant licentiam celebrandi in privatis ædibus ob speciales circumstantias, iis commendamus eam pro una tantum vel altera vice concedere.[1]

363. "Sacerdos maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios."[2] Evitanda igitur festinatio est et præcipitantia quædam, quæ sine scandalo existere nequit; prolixitas quoque, quæ adstantibus fastidium pariat. Itaque nequis infra horæ trientem Missam absolvere audeat, nec ultra dimidiam horam producat.[3] Sacerdotes, qui incomposite, festinanter, et præcipiti lingua Sacrum peragunt, a Missæ peragendæ munere arcendos judicavit Benedictus XIV.[4]

364. Sacerdotes, quamdiu Missam legunt, vel canunt, nunquam ab altari descendant, nisi quando id præcipit Rubrica, aut ad concionem adstantibus habendam. Hinc nullo modo id facere licet, ad preces etiam ab Ordinario quacumque de causa præscriptas seu Latino seu vernaculo sermone recitandas. Hæ namque ante vel post Missam recitari debent. Fertur vero, quod non sine maximo animi dolore accepimus, nonnullos aliquibus in locis esse Sacerdotes, qui ipsa intra Missarum solemnia, ab altari recedant, ædemque sacram circumeant, a singulis fidelibus eleemosynam petentes. Quem turpissimum abusum, Ecclesiæ sacrisque ejus ritibus injurium, quique Catholicorum ruborem et indignationem, Acatholicorum vero irrisionem et contemptum provocat, reprobamus, et prorsus extirpandum decernimus. Quâ in re singulorum Episcoporum conscientia oneratur.

[1] Balt., Num. 22.

[2] Rubr. Gener. Missal., § xvi.

[3] Bened. XIV., Instit. xxxiv., 6, § 30.

[4] Ibid., § 32.

365. Vehementer etiam cupimus, ut animarum moderatores commissos sibi greges sæpe ac diligenter doceant divini hujus Sacrificii dignitatem ac præstantiam, uberrimosque fructus, qui in pie ac devote Sacris adstantes deriventur. Iis in memoriam non semel revocent, ac maximopere inculcent gravissimam illam, quâ tenentur omnes Christifideles, obligationem singulis Dominicis festisque de præcepto diebus Missam audiendi. Quæ quidem obligatio tam vetusta est, et ab ipsis Ecclesiæ incunabilis tam parum remota, ut leges omnes, quæ hac de re loquuntur, non ipsam primum inducere, sed jam pridem existentem supponere et declarare videantur.[1]

Suos etiam moneant et cohortentur, ut singulis quoque, si fieri possit, per hebdomadem diebus, et præcipue in Festis Domini Nostri et beatissimæ Virginis, ubi nulla adest legis obligatio, Missæ sacrificio devote interesse velint.

366. "Omnis pontifex ex hominibus assumptus," quemadmodum monet D. Paulus,[2] "pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis." Quibus verbis edocta semper intellexit Ecclesia, Pontificum et Sacerdotum esse, ut Eucharisticum hoc et Propitiatorium Sacrificium pro iis offerant, quorum ipsis cura concredita est. Atque hanc obligationem ex divino præcepto descendere, Concilium Tridentinum[3] disertis verbis affirmavit. Quam Tridentinorum Patrum mentem Summi Pontifices uberius explicarunt atque confirmarunt; ac præsertim Benedictus XIV., in Constitutione, "Cum semper oblatas,"[4] quâ clare et aperte gravissimisque verbis declaravit et constituit, Parochos aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missæ Sacrificium, pro ovibus sibi commissis, omnibus Dominicis aliisque Festis de præcepto diebus offerre.

[1] Cf. 64 Missas, de Consecr. Dist. I.; item c. 63; Conc. Trid., Sess. xxii., Decr. de observ. et evitand. in celebr. Mis., § moneant.

[2] Hebr. v., 1. [3] Sess. xxiii., Cap. 1, de Ref. [4] Die 19. Aug., an. 1744.

367. Quod dies festos attinet, quibus Catholici nostrates ab obligatione Missam audiendi, et ab operibus servilibus abstinendi, Apostolica auctoritate liberati sunt, nullo pacto existiment Parochi animarumque rectores, se, vi hujus permissionis, ab onere quoque Missam pro suis applicandi solutos esse. Concessit tamen Apostolica Sedes harum regionum Episcopis, ut Parochos sibi subjectos, modo justa et legitima causa concurrat, illis diebus ab hoc onere Missam explicandi dispensent, dummodo pro gregibus sibi commissis in ejusmodi Missa specialiter orent.

368. Quum vero Sacra Congregatio de Propaganda Fide in Responsione ad Dubia quædam de Missarum applicatione nuper proposita,[1] statuerit Missionarios, qui quovis modo suscipiunt curam animarum in aliquo determinato loco, neque justitia neque charitate teneri ad Missam pro populo festis diebus applicandam; Patres opportunum duxerunt, supplicandam esse ipsi Sacræ Congregationi, ut mentem suam hac de re uberius declarare, ac significare dignetur, utrum Responsio prædicta complectatur, necne, Missionarios hujus regionis, ubi parœciæ canonice erectæ nondum existunt.[2]

369. Licite accipi potest stipendium justum seu eleemosyna ad celebrandam Missam, quam quis pro alio celebrare non tenetur; stipendium enim non datur tanquam pretium vel compensatio Missæ, sed uti medium ad sustentationem ministri. Ex lege autem naturali, qui alicui servit, aut in alicujus

[1] Die 23. Mart., 1863, In op. cui titulus "Acta ex iis decerpta, quæ apud Sanctam Sedem geruntur. Romæ (typis S. C. de Prop. Fide), 1866, Tom. 1, Fasc. vii., pp. 389–408.

[2] Huic supplicationi satis est factum per S. Congregationis Decretum III., *supra:* ibi enim renovatur declaratio prius facta, per responsionem nempe hujusmodi ad duo quæsita:

"Ad 1., *negative;* non teneri, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac parœciæ Canonicæ erectæ jam sint, atque ad eas Vicarii apostolici et Missionarii missi sint ut legitimorum Pastorum vices gerant:"

"Ad 2., vitandam esse expressionem, *teneri ex charitate*, dicendum vero esse, *decere ex charitate;* idque ita ut nulla proprie dictæ obligationis significatio appareat."

ministerio occupatur, ab eo etiam ali debet et sustentari: quod confirmatur ab Apostolo scribente, "Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?"[1] Quantitas tamen stipendii justi universaliter determinari vix potest. Sacra Congregatio Concilii interrogata, "quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium, die 15 Novemb. 1698 respondit: attendendam esse consuetudinem loci, vel legem synodalem quatenus adsit; sin minus, statuendam esse per episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio." Sed in eo quod spectat ad quantitatem eleemosynæ ab episcopo determinandam, non potest eadem et universalis regula statui pro omnibus locis in hisce tam longe lateque extensis provinciis, siquidem habito respectu ad locorum et temporum circumstantias, in diversis locis ea minor vel major esse debet. Unde relinquentes singulis Ordinariis, ut rerum adjunctis bene consideratis quantitatem stipendii, quæ ipsis justa esse videtur, pro clero suo determinent,[2] hoc solum statuimus, nequis plus neve regulariter minus exigat, quam episcopo suo opportunum ac justum visum fuerit. Neque, accepto stipendio, Missam celebrare, præsertim pro recenter defunctis, ultra tempus communiter admissum differat; secus justitia commutativa violatur ac proinde obligatio restituendi contrahitur.[3]

370. Similiter ob easdem causas, stabilis quædam et universalis ratio vix haberi potest in omnibus hisce provinciis, pro fundationibus vel in perpetuum vel ad certum annorum numerum; sed hoc Ordinario loci relinquendum esse censemus, inhærentes regulæ canonicæ, quâ prohibetur, ne funda-

[1] I. Cor. ix., 13.

[2] Animadvertendum est, juxta Ben. XIV. sententiam, minime esse necessarium, ut stipendium Missæ tantum sit, ut integram sustentationem sacerdoti ea die qua celebrat suppeditet. Ben. XIV., de Sacrif. Missæ, Lib. iii., C. 21, Num. 11, 12.

[3] De modo servando circa ordinem dicendi eadem die binas Missas, vide Instructionem S. R. C., in Appendice.

tiones acceptentur absque prævio assensu episcopi, si de sæculari instituto agatur, vel prælati regularis, si fundatio in gratiam communitatis exemptæ fiat.[1] Insuper omnes monemus, ut in hujusmodi rebus summa circumspectione et adcurata deliberatione procedatur, earumque conditiones adamussim adimplendæ curentur. Neque hic possumus quin declaremus, esse abusum non tolerandum et rei sacræ profanationem, quod, quemadmodum pluries factum est, invitationes, publicæ et frequentes ad eleemosynas in hujusmodi fundationes erogandas, per plures menses continuos ephemeridibus popularibus inter alia negotia profana inserantur. Quem abusum sine mora per Episcopos et prælatos tolli et in posterum præcaveri volumus.

371. Quo vero magis distincta ratio habeatur de obligatione onera Missarum, cum manualium tum ad indefinitum tempus, accurate adimplendi, sancimus ut in singulis ecclesiis sæcularibus ac regularibus adsit catalogus sive tabella onerum, quæ ad perpetuum vel ad certum præfinitumque tempus imposita ipsis, ac respective acceptata fuerunt; utque ibidem in sacrario asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi sive temporaria onera, in altero vero Missæ *manuales et adventitiæ* inscribantur, una cum fideli ac distincta adnotatione subsecuti utrorumque implementi.[2]

372. Curetur omni studio, ut purissima aptissimaque sit materia, quæ ad augustum hoc sacramentum conficiendum adhibetur. Hostiæ sint ex tritici farina et aqua naturali confectæ, recentes, macularum expertes, quæque haud facile in fragmenta dissiliant.

373. Summa autem sollicitudo adhiberi debet in his pro-

[1] Decr. jussu Urbani VIII. a S. Congr. Conc. promulgatum: "Cum sæpe contingat," § 7; vid. Bullarium 21 Junii, 1625.

Vide etiam Rescriptum S. C. de Prop. Fide, in Appendice.

[2] Bened. XIV. de Synodo Diœc. Lib. xiii., c. xxv., § 4. Additum est hoc Decretum, ex Instructione S. Congr. Generali, *supra.*

vinciis, ut vinum certo genuinum ad Sacrificium eucharisticum procuretur. Quoniam experientia compertum est, vini genera, quæ in hisce regionibus sub nomine vulgari Port, Madeira, Sherry, Malaga, etc. vænire solent, maximam partem et plerumque substantialiter adulterari, imo sæpe omnino artificiose confici, ea ad sacrosanctum Sacrificium non facile adhibeantur; sed potius illa seligantur, quæ vocantur vulgari sermone Sauterne, Bordeaux, Catawba, Isabella et alia, de quorum genuina natura nullum subest dubium rationabile. Præsertim tamen suadendum est, ut ab ipsis vitis cultoribus, qui Catholici sint ac notæ probitatis, vinum ad Sacrificium necessarium obtineatur; quod nunc temporis, cum vitis indigena fere ubique colatur, et magna sit vini inde facti copia, tanta plerumque facilitate fieri potest, ut nulla in re tam gravi negligentiæ excusatio valere jam possit.[1]

CAPUT II.

De Benedictione Sanctissimi, et de Quadraginta Horarum Expositione.

374. Sanctissimam Eucharistiam non solum tabernaculo conclusam pio cultu prosequi, sed etiam publicæ fidelium venerationi pompa quadam exponere consuevit Ecclesia. Quod fit, ut Filio Dei solemnes honores summusque cultus coram omnibus reddantur, animique adstantium in ejus amorem incendantur atque inflammentur. Atque in hac quidem regione, habetur sic quasi publica quædam fidei nostræ testificatio, adversus hæreticos et incredulos, inter quos versa-

[1] Vide Instructionem S. C. de Prop. Fide, in Appendice.

mur, quique inscrutabile hoc divinæ charitatis mysterium aut ignorant aut irrident.

375. Quapropter, quoniam Ecclesia lege communi non definivit, sed potius episcopis determinandum reliquit, quam frequenter, spectatis locorum circumstantiis populique fidelis indigentiis, Sanctissimum Sacramentum utiliter exponatur,[1] Nos certo sperantes fore, ut cultus erga tantum tamque venerabile Sacramentum ad pietatem populi fidelis augendam, ejusque amorem in amantissimum Redemptorem nostrum magis magisque inflammandum permultum conferat, statuere decrevimus, ut solemnis Sanctissimi Sacramenti Expositio et Benedictio, consueto ritu stricte observato, in omnibus nostræ ditionis ecclesiis et in sacellis monasteriorum et communitatum religiosarum, saltem quandocunque debita cum solemnitate fieri poterit, singulis totius anni Dominicis diebus, festisque de præcepto, vel festis etiam primæ et secundæ classis non de præcepto, semel tantum in die, dari possit. Per octavam vero Corporis Domini licebit eam solemniter fieri tum in Missa solemni, tum in Vesperis, Benedictione iterato data. Licebit insuper solemnem Benedictionem dare bis in hebdomade tempore Quadragesimali, singulis pariter diebus sacrarum Missionum tempore, in festo Sanctissimi Cordis Jesu, et ubicumque fit devotio Quadraginta Horarum; et in aliis diebus ab Ordinario designatis. Quod si Ordini alicui religioso vel Societati Sancta Sedes aliquid amplius indulserit, illud omnino incolume esse volumus. Extra autem hujusmodi privilegium, de quo certum Ordinario exhibeatur documentum, nolumus Benedictionem dari vel Expositionem fieri, nisi prout supra, venia Ordinarii expressa, salvis etiam in omnibus S. Congreg. Rituum hac in re decretis.[2] Omnes autem monemus et adhortamur, ne quid prætermittant, quod juxta rubri-

[1] Bened. XIV. Const. "Accepimus," 16 Apr., 1746.

[2] Cf. Syn. Diœc. Baltim. mense Jun., 1857, habit. Const. 1.

cas et rerum adjuncta ad debitæ reverentiæ significationem requiratur, siquidem multo melius est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio id fiat.[1]

376. Preces Quadraginta Horarum, quæ sæculo decimo sexto, Pio PP. IV. approbante, in usum venerunt, ac deinde a Clemente PP. VIII. accuratius ordinatæ[2] multis indulgentiis auctæ fuerunt, longe lateque per orbem Christianum et passim etiam in his Provinciis solemniter haberi solent. Ac profecto nemo, qui naturam hujus devotionis bene perpenderit, inficiabitur, ea rite servata, fidem saluberrimam, quâ Regem gloriæ ac supremum Dominum sub humili Sacramenti hujus velamine delitescentem agnoscimus ac profitemur, in Christifidelium animis firmius roborari et suavissime nutriri et augeri, aliosque optimos in vitæ spiritualis commodum et emolumentum fructus percipi uberrimos. Quoniam vero in nostris regionibus plura obstant, quominus omnia, quæ Instructione Clementina præscribuntur ad amussim observari queant, Sedem Apostolicam humillime supplicandam esse censemus, ut solemnem hunc ritum eadem forma peragendum, quâ Diœcesis Baltimorensis ex Summi Pontificis concessione jam utitur, reliqui omnes Ordinarii in suas possint diœceses introducere, videlicet:[3]

1°. Ut, durantibus temporum locorumque peculiaribus circumstantiis, in omnibus ecclesiis et publicis Oratoriis per universas hasce Provincias alternis vicibus, semel vel bis quotannis, prout Ordinariis satius in Domino visum fuerit, Sanctissimum publicæ adorationi per triduum, in forma Quadraginta Horarum, exponi possit horis diurnis tantum, a mane usque ad vesperam, de nocte autem recondatur;

[1] Conf. Bened. XIV., Inst. Eccles. 30.
[2] Clemens VIII., Const. "Graves et diuturnæ," die 25. Nov., 1592.
[3] Huic supplicationi S. Pontifex benigne annuit. Vide Decretum iv., sup.

2°. Ut processionem omittere liceat, si commode fieri nequit, ita ut neque intra ambitum ecclesiæ haberi valeat;

3°. Ut universi utriusque sexus Christifideles, qui illam ecclesiam, in qua Venerabile per tres dies expositum manebit, devote visitaverint, et inibi pias ad Deum preces per aliquod temporis spatium effuderint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel singulis hujusmodi diebus lucrari possint et valeant;

4°. Ut iis vero, qui confessi et sacra communione refecti ecclesiam visitaverint, in qua Sacra Eucharistia publico cultui exposita est, ibique pie oraverint, indulgentiam plenariam, semel per Expositionis triduum lucrandam, quæ applicari possit animabus fidelium defunctorum, Sanctitas Sua benignissime concedere dignetur, ea tamen lege, ut Christi fideles ecclesiam prædictam unoquoque tridui die visitent;

5°. Ut omnia altaria illius ecclesiæ, in qua alternatim fiet Expositio, privilegiata, durante Expositione, declarentur.

377. Mandant vero Patres hujus Concilii, ut iis exceptis, quæ Sedes Apostolica modificare vel remittere indulserit, ea omnia sedulo serventer in hujus devotionis celebratione, in ecclesiis tam regularium quam sæcularium, quæ exposita reperiuntur in libro, cui titulus: "Ceremonial for the use of the Catholic churches in the United States of America."[1]

378. Ordinariis tandem definiendum pro suis singulis diœcesibus tempus relinquimus, ordinemque, quo in diversis ecclesiis congrue per alternas vices Expositio habeatur, aliaque præscribenda necessaria et opportuna, ut cultus exhibeatur Deo acceptior et ab omni abusu magis remotus. Ad quem finem optime assequendum, haud parum conferet Sodalitium, si quod habeatur, Smæ. Eucharistiæ cultorum, qui id in se suscipiant, ut per horas certas in hujus devotionis

[1] Vide opusculum, cui titulus: Ordo in Orat. Quadrag. Hor. in Diœc. Baltim. servandus, edit. 1858.

exercitio alternatim vigilent in ecclesiis in quibus Expositio habetur. Hujusmodi igitur Sodalitia, inter singularum Ecclesiarum fideles, Pastores instituenda curent.

CAPUT III.

De Vesperis.

379. Vesperæ integræ ut decantentur, diebus Dominicis Festisque in omnibus ecclesiis, more Ecclesiæ Romanæ, quatenus fieri potest, volumus et mandamus. Atque hæ quidem nunquam omittendæ sunt ob alia exercitia pietatis. Cultus enim solemnis Ecclesiæ Pontificibus probatus, et per tot sæcula vigens Deo gratior censendus est. Ut autem etiam hac in parte uniformitas habeatur, omnino in praxim generalem deducenda esse ea volumus, quæ de Vesperis minus solemnibus et de Missa cantata sine Diacono et Subdiacono in libro Cæremoniali nuper Baltimoræ edito habentur; ideoque monemus sacerdotes, ut vel ipsi, vel per alium quemdam bene expertum pueros cæremonias in Missis cantatis et Vesperis rite peragendas diligenter doceant.

380. Insuper valde exoptandum esse censemus, ut rudimenta cantus Gregoriani in scholis parochialibus exponantur et exerceantur, sicque numero eorum, qui psalmos bene cantare valent, magis magisque increscente, paulatim major saltem pars populi, secundum primitivæ ecclesiæ[1] adhuc in variis locis vigentem usum, Vesperas et alia similia cum ministris et choro decantare addiscat. Qua ratione omnium ædificatio promovebitur, juxta illud S. Pauli: "Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus."[2]

[1] Bona, Rerum Liturgic., Cap. xxv., Num. 19.
[2] Ephes. v., 19.

TITULUS VII.

De Disciplinæ Uniformitate Promovenda.

CAPUT I.

De Uniformitate quoad Festa et Jejunia.

381. Fidem Catholicam, quum ex auctoritate sive docentis, sive jubentis aut vetantis Dei tota pendeat, nullo temporum lapsu, aut locorum varietate minui, obsolescere, aut ullo modo immutari unquam posse, luce clarius manifestum est. Disciplinam quoque suam Sancta Mater Ecclesia, licet origine humanam, quamque sapienti usa consilio variare ac mutare aliquando solet, unam tamen perpetuo eandemque, ubi nulla contrarium suadet necessitas, ubique servari optat ac modis omnibus studet. Curandum igitur, quantum in nobis est, ut disciplina nostra vel ab universalis Ecclesiæ disciplina nullatenus discrepet, vel si id omni ex parte fieri nequit, saltem ad eam quam proxime accedat. Hac imprimis ratione consuletur uniformitati, quam inter omnes harum Provinciarum ecclesias existere vehementer optamus.

382. Principio autem ut de iis, quæ ad Ecclesiæ præcepta pertinent, loquamur, maximopere dolendum est tantum inter nos in Festis ac Jejuniis observandis discrepantiam inveniri. Aliquibus enim in locis Festa septem vel octo; in aliis vero quatuor tantum celebrantur. Jejunii quoque, præsertim Qua-

dragesimalis, diversa est pro locorum diversitate observantia. Haud difficile quidem esset, Festorum numerum ad minimum reducendo, et indulgentiorem, quæ se offerat, jejunandi rationem sectando, uniformitatem quandam inducere. Sed summopere cavendum est, ne falsa uniformitatis specie magis difformes ab universali Ecclesia reddamur.

383. Patribus visum est festos dies, quales nunc in unaquaque Provincia servantur, esse retinendos. Festum tamen Patronale Beatæ Mariæ Virginis sine labe Conceptæ, tanquam festum de præcepto, ipso die Decembris octavo, per has Provincias ubique celebretur.[1] Quod ad Provincias S. Francisci atque Oregonensem et Diœcesim Sanctæ Fidei attinet, Sanctam Sedem orandam esse censemus, ut pro quinque illis festis diebus, quibus a Baltimorensi Provincia discrepant, concedatur dispensatio quoad præceptum Missam audiendi et ab operibus servilibus abstinendi, non tamen quoad devotionem et solemnitatem externam. Supplicandum quoque duximus, ut S. Sedis auctoritate iisdem liceat se Baltimorensi Provinciæ in servandis jejunii diebus conformare.[2]

384. Volumus præterea, ut in posterum Festum Patronale Ecclesiæ cujusque consecratæ solemniter et ritu debito celebretur. Quod in urbibus adeo facile fieri potest, ut, si negligatur, nullus sit excusationi locus. Idem faciendum erit, licet Ecclesia fuerit tantum benedicta. Rure tamen et in oppidulis, ubi difficile esset per hebdomadam plebem fidelium congregare, poterit Festum (quoad externam solemnitatem) in Dominicam proxime sequentem transferri.

[1] SS. D. N. Pius Papa IX. ita benigne decrevit. Cf. Decretum V., *supra*.

[2] Hisce duobus postulatis haud annuit S. Pontifex, volens potius ut "recurrant Episcopi quorum interest, in particulari, expositis suæ petitionis rationibus." Instruct. iii. art. xi.

Ad supplicationem Concilii Patrum "circa dispensationem ab abstinentia a carnibus in Sabbatis, jussit Sanctitas Sua, Episcopos qui ejusmodi Indulto indigere se putant, expositis rationibus, in particulari recurrere debere." Cf Instructionis iii. art. x., *supra*.

CAPUT II.

De Uniformitate in aliis Promovenda.

385. De dispensationibus pro matrimoniis ineundis agentes Patres Tridentini; hæc decreverunt: "In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel rara, idque ex causa et gratis concedatur."[1] Cum vero disciplinæ ecclesiasticæ rite servandæ valde obstet nimia dispensandi facilitas, curent Ordinarii, ut potestate a legibus Ecclesiasticis hac super re latis eximendi, quæ ipsis a Sede Apostolica concessa est, nonnisi parcius, et causis bene perpensis utantur; præsertim quando de impedimentis in primo *affinitatis*, vel secundo *consanguinitatis* gradu agendum erit. Inter impedimenta occulta, et ea quæ in publicam devenerint notitiam scite distinguant; atque cum gravior obstet prohibitio, nonnisi graviori de causa nubendi veniam concedant. Valde autem optamus, ut collatis consiliis, tam in hoc Plenario Concilio, quam in Conciliis Provincialibus, quæ subsequentur, Episcopi, illi præsertim qui comprovinciales sint, et conterminas habeant diœceses, inter se de certa ac uniformi agendi ratione has dispensationes concedendi, quantum fieri possit, conveniant; ut querelarum de diversis ac sæpenumero contrariis hoc in negotio agendi regulis tollatur occasio.[2]

386. Patres Tridentini voluerunt ut dispensationes in causis Matrimonialibus gratis omnino concederentur.[3] Illorum vestigiis inhærentes, Præsules in Concilio Prov. Baltimorensi VIII. decreverunt:

Quum facultates extraordinariæ Episcopis hujus provinciæ a S. Sede collatæ, *sine ulla mercede* exercendæ sint, nulla

[1] Sess. xxiv., Cap. 5., De Reform. Matr.

[2] Pro exceptione quoad Italos, vide Rescriptum S. C. de Prop. Fide, in Appendice.

[3] Loc. cit. Vid. Sess. xxv., c. 18, De Ref.

exigenda est taxa pro dispensationibus ab impedimentis Matrimonii.[1]

Hac quippe super re, Em^{mi} Patres S. C. de Propaganda Fide nuper "mandarunt, ut omnibus Episcopis istarum regionum inculcetur memoratæ præscriptionis observantia, quâ pro dispensationibus ab impedimentis Matrimonii pecuniam nullo omnino titulo percipiendam esse jubetur, iis tantum exceptis casibus, in quibus Apostolica Sedes eleemosynam oratoribus injungendam monet, in pium aliquod opus impendendam."[2]

387. Ut iidem pro catechismo tradendo libri in omnibus diœcesibus, quantum fieri possit, adhiberentur, jam adlaborarunt decessores nostri. In primo enim Prov. Conc. Balt. ita decreverunt:

Quoniam multa incommoda jam orta sunt, et in posterum oritura videntur ex eo quod in diversis hujus provinciæ diœcesibus diversi catechismi et libri precum adhibeantur, privata auctoritate editi, et quoniam uniformitas in iis maxime optanda est; curent episcopi ut illi tantum catecheseos libri usurpentur, qui cum eorum approbatione editi fuerint, aliis quibuscumque postpositis. Dabitur autem opera, ut catechismus componatur, qui circumstantiis hujus provinciæ magis accommodatus, Catholicam doctrinam in catechismo Cardinalis Bellarmini expositam tradat, quique post Sedis Apostolicæ approbationem, edetur in communem catholicorum usum.[3] Moneant insuper fideles ut a precum libellis, qui sine Ordi-

[1] Decret. 4. Verba ipsa a S. Sede adhibita subjungere visum est. In folio E., typis impresso, facultatum extrordinariarum, quæ per S. Congregationem de Prop. Fide Episcopis hujus regionis concedi solent, in quo dispensandi potestas in casibus quibusdam difficilioribus datur, hæc habentur: "Voluit autem eadem Sanctitas Sua ac omnino præcepit, ut prædictus Episcopus iisdem facultatibus, urgentissimis dumtaxat concurrentibus causis, et gratis utatur, injuncta tamen aliqua congrua eleemosyna in pium opus eroganda." Eleemosynæ nomine intelligi non potest fixa quædam summa a quovis eroganda, sed ea, quam quisque, ratione habita suarum facultatum, commode dare potest. Eleemosyna autem cum sit, in pios usus omnino est impendenda.

[2] Instructio S. C. II., seu specialis, data Jan. 24, 1868, art. 3, *supra.*

[3] Balt., Num. 32. In Concilio Plenario, anno 1852 habito, munus datum est quibusdam Concilii Patribus Catechismum tam anglica quam germanica lingua conscribendi, qui per omnes diœceses usu veniret.

narii approbatione a privatis quibuscumque in lucem editi circumferuntur, abstineant.

388. Ecclesia Catholica, ceu pia mater, fidelium suorum filiorum corpora adhuc post mortem officiis tenere prosequitur, eaque ritibus sacris in loco sacro recondit, donec tuba Archangeli mirum spargente sonum resurgant, et animis conjuncta ante Judicis thronum cogantur. Pro iis vero debito honore reponendis, cœmeteria parat ac sacris cæremoniis et precibus consecrat, atque ab omni profano usu segregat. Piaculare etiam pro fidelium defunctorum æterna quiete sacrificium offerre non cessat, ut ab omni inquinamento, si quod eluendum supersit, mundati, gaudia sempiterna consequantur.

389. Porro sepultura ecclesiastica privantur infideles, hæretici, et schismatici; excommunicati notorii et vitandi; qui mentis compotes sibi mortem consciverint, nisi aliquo forsan tempore superstites resipiscentiæ signa dederint; qui morti proximi obstinate et coram testibus Sacramenta sibi oblata respuerint; qui notorie scandalosam degerint vitam, nec pœnitentiæ ullum dederint signum; demum, qui duello perierint, dederint vel non dederint resipiscentiæ indicia. In dubio vero, an sint a sepultura ecclesiastica arcendi, consulendus erit Ordinarius, cum id commode fieri poterit; secus autem, in partes lenitatis et misericordiæ propendeat judicium. Quod præstandum consulimus præsertim, quandocumque defunctus morte subitanea correptus nullum habuit pœnitendi tempus; cum juxta juris regulam, odia sint restringenda.[1] "Ex mente Sedis Apostolicæ toleratur, ut in sepulchris gentilitiis, quæ videlicet privata et peculiaria pro Catholicis laicorum familiis ædificantur, cognatorum et affinium etiam Acatholicorum corpora tumulentur."[2]

390. Parvuli sine baptismo decedentes seorsim in loco non

[1] Cf. Rit. Rom., De Exequiis.

[2] Ex Decr. S. Cong. Inquisit., 30 Martii, 1859, 25 Apr., 1860. Cf. Conc. Prov. Pragense, an. 1860, Tit. iii., c. 13, § 2, sub fin.

benedicto sunt sepeliendi; at infans in utero matris fidelis simul cum ea defunctus, simul cum ea sepulchrum habeat. Adulti vero qui morte correpti fuerint, dum Baptismo recipiendo semet disponerent, sepultura ecclesiastica haud priventur; desiderii, namque, seu flaminis, ut ajunt, baptismo mundati esse rite existimantur.

391. In Superiori Concilio Plenario de ritibus funereis hæc decreta sunt:

Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum; vel etiam in cœmeteriis profanis, quando adsunt cœmeteria Catholica.[1]

392. Cum tamen conditionem, in qua nostrates versantur, consideremus, legis hujus rigor mitigari aliquantulum posse videtur. Si cujus itaque Catholici defuncti, si fuerit ad fidem conversus, consanguinei superstites sint Acatholici, et fundum in alieno cœmeterio jam possideant, permittimus ut exequiæ in domo vel etiam publice in Ecclesia celebrentur, si pastori id eorundem bono spirituali profuturum vel alias expedire visum fuerit. Si superstites Catholici sint, fundum vero in alieno cœmeterio sine ulla fraude legis vel ab anno 1853 habuerint, in quo cadavera jam sint humata, pastoris arbitrio et conscientiæ relinquimus, ut preces pro exequiis in Rituali præscriptas privatim in domo recitet, antequam cadaver efferatur; at in Ecclesia, ut nonnisi præhabita Ordinarii venia exequiæ fiant, præcipimus.

Præterea, si in Cœmeterio profano separata terræ pars obtineri nequeat, in qua Corpora Catholicorum exclusive inhumentur, saltem loculus ubi cadaver deponitur benedicatur, ea oratione adhibita quæ in Romano Rituali expresse præscribitur, (Tit. de Exequiis) "Deus cujus miseratione animæ, &c.[2]

[1] Balt., Num. 80.

[2] Additum, ex Instruct. I. S. C. de Prop. Fide, Jan. 24, 1868, Art. 17, *supra.*

393. Ordinarios locorum in Domino enixe hortamur atque obsecramus, ut curent de sepulturis disciplinam quantocius, et quantum fieri possit, ad normam a SS. Canonibus statutam exigendam. "Pauperes, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur."[1] Si quis vero locum aliquem in cœmeterio sibi et hæredibus suis in perpetuum reservatum velit, ita ut nullus alius ipsis nolentibus ibi sepeliri unquam possit, pro jure istiusmodi *exclusivo*, ut ajunt, pretium solvi potest. Ex pecuniis ita comparatis dubium haud est, quin ea habeatur summa, quæ cœmeteriis servandis, restaurandis, et ornandis sufficiat. Si quid supersit, ad charitatis vel religionis opera promovenda Ordinarii judicio adhibeatur. Districte autem vetamus, ne unquam, quocunque sub prætextu, sine Ordinarii venia, pecunias quæ ex cœmeteriis derivantur, suas facere audeant viri ecclesiastici; id vero si attentaverint, pœnis severissimis plectantur.

394. Ad pietatem erga defunctos magis fovendam statuimus, ut Pastores animarum curent in praxim deducere quod habetur in Rituali Romano de Exequiis: "Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur."

395. Ne ob locorum distantias in mortuis ad Cœmeteria deferendis, nimia incommoda præsertim a pauperibus perferri debeant, consulimus ut in urbibus, in quibus plures sint ecclesiæ, plura etiam cœmeteria habeantur.

396. Ut necessitatibus rei ecclesiasticæ subveniatur, Ecclesiæ, scholæ, aliaque opera pia vel incipiantur, vel incepta ad finem feliciter perducantur, sæpius nobis datur occasio fidelem populum hortandi ut media necessaria subministret. Quanta vero animi generositate et alacritate id semper præstiterint

[1] Rit. Rom. de Exequiis.

fideles, ipsis pauperioribus de penuria sua omnia quæ habent mittentibus,[1] verbis explicari vix posset. Quæ cum ita sint, nulla excusatione contegi posse videtur praxis pecunias in usus ecclesiasticos iis mediis comparandi, quæ peccandi directam præbeant occasionem, scandali publici causæ sint haud infrequentes, et nomen Catholicum alienorum ludibriis et opprobriis exponant. Hujusmodi nonnunquam esse videntur eæ festivitates, quæ prope populosas urbes haberi consueverunt, quæ vulgo *Pic-Nics, Excursions,* vel simili nomine veniunt. Ordinariorum itaque prudentem curam ad mala, quæ ex hac causa oriuntur, in posterum præcavenda convertendam fore speramus. Vel enim prohibendum, ut tales festivitates religionis nomine cohonestentur, vel saltem omnino providendum ne, quod cordati jam lugent, peccatorum seminaria fiant. Sciant vero sacerdotes, qui his modis pecunias in usus pios comparandi utantur, se districtissimum judicium effugere haud posse, Superioribus intentatum, quorum incuriâ vel negligentiâ inferioribus ansa peccandi datur.

397. Praxim, si qua existat, pecuniam exigendi ad fores ecclesiarum, ut fideles ingredi possint, et divinis mysteriis adesse,[2] "Sibi minime placere declaravit Summus Pontifex, Pius Papa Nonus, et eliminandam prorsus voluit."[3] Supremi itaque Pastoris judicio obsequentes, huic consuetudini finem imponi omnino volumus. Cum enim alia ratione reditus satis amplos ecclesias percipere posse experientia constet, praxis ea improbanda videtur, quæ pecuniæ fixam summam, vectigalis instar, fidelibus imponendi, ut Missæ adstare vel Verbum Dei audire possint, speciem præseferre videtur.

398. Apostolus voluit, ut "fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro

[1] Marc. xii., 44. [2] Instructio S. C. sup. cit., Art. 18.
[3] Vide Litt. Em^{mi} Card. Barnabo, vi. Kal., Feb., 1862, Ad Archiep. Cincinnat., in Actis Conc. Prov. Cin. iii., p. 40, Cf. p. 17, ibid.

regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate."[1] Morem hunc orandi pro omnibus ordinibus, maxime pro iis "qui in sublimitate sunt," semper solennem sibi habuit Ecclesia, ut libri Liturgici testantur. Nunquam tamen maxima diligentia præcavendum non intellexit, ne religionis specie profana negotia in Dei Sanctuarium gerenda inducerentur, neve precum ad Deum fusarum prætextu, de rebus humanis, circa quas in foro et in triviis disputatur, disserendi caperetur occasio. Cum vero res apud nos eo usque devenerint, ut sectarum præcones tum in earum templis, tum etiam in populi cœtibus, politicis hujusmodi precibus, quæ sæpe ex iratis partium studiis proficisci noscuntur, Deum non honore sed contumelia potius afficere fere quotidie audeant; volunt Patres ut nullæ preces publice in templis recitentur, præter eas quas Ecclesia ipsa probavit.

399. Si vero aliquando, ob publicas calamitates vel necessitates, preces vernaculo sermone recitari in fidelium cœtibus visum fuerit, id nonnisi statuente Ordinario fiat, eæque tantum adhibeantur orandi formulæ quas ipse præfinierit. Idem et de diebus pro gratiarum actione a Civili Magistratu designatis statuimus. In iis enim, nonnisi jubente Ordinario, cæremonias ecclesiasticas haberi volumus; eæ vero si celebrentur, ad normam a Rubricis statutam peragantur. De rebus autem politicis ne unquam e suggestu fiat sermo districte vetamus.

400. Curam suam de Catholicis, qui militiæ vel classi nomen dederint, manifestarunt Concilii Plenarii I. Patres, sequenti decreto:

Cum sapientissimo consilio per leges ac statuta harum Rerumpublicarum cautum sit, ne potestas secularis ullum usurpet jus sese in rebus sacris immiscendi, meminerint episcopi,

[1] I. Tim. ii., 1.

quo maximo possunt studio apud Auctoritatem civilem laborandum, prudenter tamen, prout Dominus suggesserit, ne unquam Catholici, qui vel militiæ vel classi adscripti sunt, cultui Acatholicorum contra suam conscientiam adesse cogantur.[1]

401. Nunc autem, aucto istorum hominum numero, magis magisque Episcopis in eumdem finem adlaborandum erit. Curent etiam, quantum fieri potest, ut sacerdotum ministerio juventur, atque ut Missæ adstandi et verbi Dei audiendi Dominicis diebus liberam habeant copiam. Neque negligant saluti prospicere orphanorum Catholicorum, quorum patres vel in classi vel in exercitu occubuerunt, qui aluntur vel a Gubernio, vel a privatorum benevolentia. Pro istis enim aut Orphanotrophia Catholica instituenda sunt, quod pro suis jam præstiterunt sectarii non pauci; vel in Orphanotrophia jam instituta erunt colligendi; vel saltem conandum erit ut doctrinâ imbuantur Catholica. Quod charitatis officium, cum urgentissimum sit, volumus ut quamprimum ab iis, ad quos spectat, suscipiatur.

402. Cum ob diœceseon amplitudinem, multasque, quibus assiduo distinentur curas, difficile sit Episcopis sæpius omnia invisere loca suæ jurisdictioni subjecta, censuerunt Patres orandam esse S. Sedem, ut ipsis liceat communicare Sacerdotibus, prout opus fuerit, facultates benedicendi cœmeteria, et etiam campanas oleo ab Episcopo consecrato, juxta Pontificalis Romani ritum.[2]

403. Ut uniformitas, vel in minimis quæ sub fidelium oculos cadunt, habeatur, consulimus præsulibus, ut quoad vestes Episcopales vel in ecclesiis, sive intra, sive extra propriam diœcesim, vel domi, vel in itinere deferendas, quantum fieri possit, Cæremonialis Episcoporum[3] præscripta, et consuetudines in Ecclesia Romana probatas accurate servent.

[1] Balt., Num. 96.

[2] Huic petitioni annuit S. Sedes, prout continetur in Decreto S. C. P. F. vi., *supra*.

[3] Clemens VIII., in Constitutione huic libro præfixa hæc habet: "Cæremoniale

404. Decreto Innocentii X.,[1] duobus ante sæculis emisso, cautum fuit, ne Episcopi Sacræ Congregationi de Propaganda Fide subordinati, Pontificalia in aliis præterquam in propriis Ecclesiis, etiam de consensu Ordinariorum exercere possent, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ ac Pontifici reservatæ. Similia deinceps decreta a prædicta Sacra Congregatione prodierunt.[2] Quæ decreta quum hactenus non fuerint ab omnibus eodem modo intellecta neque eadem fide observata; ut in posterum Episcopi omnes uniformi regula utantur, declarandum censemus, horum decretorum rigorem a Pio VII.,[3] eadem Sacra Congregatione supplicante, ita fuisse relaxatum, "ut, quando rationabili causa vel urgente necessitate Episcopi seu Vicarii Apostolici ad alienas diœceses vel Vicariatus se conferunt, possint sibi invicem communicare facultatem Pontificalia exercendi, dummodo tamen semper accedat Episcopi seu Vicarii loci consensus, inviolatumque de cætero maneat residentiæ præceptum."

Episcoporum * * * * in universali Ecclesia ab omnibus et singulis * * * perpetuo observandum esse præcipimus."

[1] Die 28 Mart., 1651. [2] Die 26. Jul., 1662, et 17 Jul., 1715. [3] Die 8 Aug., 1819.

TITULUS VIII.

De Regularibus et Monialibus.

CAPUT I.

De Regularibus.

405. Permulta bona in religionem derivata esse, ex eo quod viri Religiosi in nostris diœcesibus laborem impenderint suum, libenter profitemur. Ea profecto semper mens fuit antecessorum nostrorum, eaque nobis etiamnum insidet opinio, eorum adhibita operâ multum levari onus Episcoporum humeris impositum; auxilium opportunum præberi clero sæculari pastoralibus officiis pene obruto; plura demum beneficia non uno ex capite a fideli populo percipi. Ut Viennensis Concilii Generalis verbis utamur: "Quia una est regularium et sæcularium, prælatorum et subditorum exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides et unum baptisma, decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti."[1]

406. Ut tamen optimi hi fructus colligantur, hoc omnino requiritur, ut stabiles ac permanentes fiant fundationes, quæ in qualibet diœcesi a communitate Religiosa instituantur. Jam-

[1] Clement., Cap. Frequens, de Excess. Prælat.

pridem enim conquestus fuit Summus Pontifex, Bonifacius VIII., Religiosos Ordines, qui tunc temporis existebant, "domos vel loca de novo suscipere, vel olim suscepta dimittere, se ibidem ad alia transferentes;"[1] idque omnino fieri Apostolica auctoritate vetuit. In eamdem sententiam Patres Concilii Cincinnatensis Provincialis I.,[2] quod a Sancta Sede recognitum est, caverunt ne Religiosi a conventionibus cum Episcopis factis resilirent; et ne pastores et rectores Religiosi ab ecclesiis et locis quibus præpositi fuerant, ab ipsorum superioribus amoverentur, nisi alii societatum sodales, cum consensu Ordinarii, subrogarentur. Et sane maxime tum diœcesibus, tum Ordinibus ipsis in bonum cederet, si hæc regula omnino servetur.

407. Quum vero ea sint apud nos rerum adjuncta, ut non semper canonice vel permanenter erigi possint domus Religiosæ, seu monasteria, id interdum nolentibus ipsius communitatis superioribus; ut in talibus casibus omnis disputationibus et querelis locus auferatur, duxerunt Patres hujus Plenarii Concilii, hoc conditionis instar contractui Ordinarium inter et Religiosam communitatem appositæ habendum, istam scilicet nullum collegium, parœciam, congregationem, scholam, aliudve opus pium deserere posse, Ordinario invito, nisi sex saltem menses elapsi fuerint a tempore, quo de intentione ita agendi illum certiorem fecerit. Hoc enim temporis spatium requiri ad minimum videtur, ut Episcopus alios idoneos operarios sufficere possit, et sic opera, vel necessaria, vel certe maxime utilia continuare. Hæc vero de iis tantum communitatibus intellecta volumus, quæ regenda assumunt opera proprie dicta diœcesana, sive ea quæ per pecunias aliaque media ex diœcesi desumpta sustentantur, et ad tempus tantum, nulla perpetuo permanendi suscepta obligatione. Neque quidquam per ea, quæ dicta sunt, ullo modo iis dero-

[1] Cap. Ex eo, de Excess. Prælat. et Subd., in 6to. [2] Decr. xviii.

gari censendum est, quæ de monasterii canonice erecti bonis non alienandis, permutandis, vel relinquendis, per venerandas SS. Pontificum Constitutiones sancita jamdudum fuerint. Salva etiam jura tertii volumus, præsertim vero eorum benefactorum, qui bona vel mobilia vel immobilia donaverint, ut in specie opus aliquod bonum in aliquo determinato loco, vel aliis præstitutis conditionibus, institueretur vel foveretur.

408. Curent tamen Episcopi, ut juxta canonicas sanctiones omnia jura ac privilegia Regularium, sive Congregationum Religiosarum, intra limites suæ jurisdictionis existentium tueantur, et cum iis ea ratione agant, ut nulla illis nedum discedendi nequidem conquerendi justa occasio suppeditetur. Quod efficacius fiet, si quo tempore in Diœcesi considunt, omnia quoad tam spiritualia quam temporalia Episcopum inter et illorum superiores accurate intelligantur, scriptoque instrumento consignentur. Tunc enim, si unquam ex Diœcesi discedant, quid bonorum ad illos, quid vero ad Diœcesim, ex justitia vel æquitate pertineat intelligetur, adeoque insignis causa querelarum tolletur. Omnes Dei sacerdotes, tam Regulares quam Sæculares, in eundem laborant finem, ut nimirum gloriam Dei salutemque animarum pro viribus promoveant; ideoque nulla deberet esse inter illos dissensio, potius vero concors unitas amorque fraternus.

409. De cæteris quæ ad Regulares pertinent, nullo modo nova decreta requiruntur; sed sufficere videtur declaratio disciplinæ jamdudum tum a Sancta Sede Apostolica, tum a Conciliis institutæ.

410. Legibus Episcopi, qui est in sua Diœcesi generalis Pastor, ligantur quotquot incolunt illius Diœcesim, cujuscumque sint status et conditionis, nisi speciali privilegio ab ejusdem subtrahantur jurisdictione.[1] A potestate enim cujuscumque inferioris Prælati possunt plures eximi auctoritate Summi

[1] Ben. XIV., de Syn. Diœc., L. xiii., c. 4, § 5.

Pontificis, a cujus jurisdictione nemo exemptus esse potest. Attamen, Regulares per leges canonicas, eorum exemptione non obstante, parere coguntur Episcopalium legum sanctionibus, in iis quæ respiciunt curam animarum, aut sacramentorum administrationem; juxta decretum Tridentinum,[1] atque Apostolicas Constitutiones Concilii textum explicantes, et præsertim Constitutionem *Firmandis* a Benedicto XIV. editam.[2]

411. Regulares, etiam exemptos, Episcoporum jurisdictioni saltem delegatæ subesse, canonica præcipiunt instituta, quoad domorum religiosarum fundationes,[3] suorum alumnorum ordinationes,[4] Verbi Divini prædicationem,[5] SS. Sacramenti publicam expositionem,[6] librorum de rebus ad religionem pertinentibus tractantium approbationem,[7] confraternitatum erectionem,[8] monialium confessiones,[9] et quoad observanda et evitanda in celebratione Missæ.

412. Ex quibus omnibus luculenter patet, Regulares in iis quæ curam animarum et administrationem sacramentorum respiciunt, subesse jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi degunt; nihilque ipsos hac in parte privilegiis suis juvari; eosdemque Statuta omnia Diœcesana, Provincialia, et Plenaria, eadem plane ratione quâ sacerdotes sæculares, districte teneri observare.

413. Dum hæc et cætera a Concilio Tridentino, vel a Summis Pontificibus, de mutuis Episcoporum Regulariumque

[1] Sess. xxv., c. 11, de Regul.

[2] 6 Nov., 1744. Vid. de Syn. Diœc., loc. cit.

[3] Conc. Trid., Sess. xxv., c. 3, de Regular.

[4] Ibid., Sess. xxiii., c. 12, de Reform. versus finem. Bened. XIV., Constit. Impositi Nobis, 27 Feb., 1747.

[5] Ibid., Sess. v., c. 2, de Ref. versus finem. Gregor. XV., Constit. Inscrutabili, 5 Feb., 1622. Clement. X., Constit. Superna., 21 Jun., 1670.

[6] S. R. C., 18 Dec., 1647, 7 Jun., 1681; et pluries alias.

[7] Conc. Trid., Sess. v., de edit. et usu SS. Libr.

[8] Clem. VIII., Const. Quæcunque, 7 Dec., 1604; Paul. V., Constit. Quæ Salubriter, 23 Nov., 1610.

[9] Greg. XV., Inscrutabili, 5 Feb., 1622; Clem. X., Constit. Superna, 21 Jun., 1670.

juribus et officiis statuta, Regulares religiose custodierint; necnon pari cura sartæ tectæ ab ipsismet Episcopis serventur Regularium exemptiones in iis quæ ad regimen internum communitatis, ad Missarum celebrationem intra cœnobium, ad Sacramentorum in favorem fratrum vel familiarium administrationem, eorumque sepulturam spectant; auctoritas Episcoporum, et monasteriorum immunitates facile conciliabuntur.[1]

414. Maxime demum religiosis Superioribus in Domino commendamus, ut accurate servent decretum Sanctæ Congregationis Episcoporum et Regularium,[2] probante Sanctissimo Domino nostro Pio PP. IX., editum, quo verbis expressis iis vetatur, ne quis "ad habitum admittatur absque testimonialibus literis tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit." Observata enim regula hâc sapientissima, nullus eorum fraudibus supererit locus, qui ex una in aliam religiosam vagantes domum, dedecore maximo tum Religiosos Ordines, tum Catholicum nomen haud raro afficiunt.

CAPUT II.

De Monialibus.

415. Sanctimonialium, sive fœminarum religiosarum, hujus regionis præclara in Christianam Rempublicam merita spectantes, non possumus quin agamus Omnipotenti Deo gratias; qui harum tam utilium Congregationum tantum numerum, tantamque varietatem in Ecclesiæ subsidium excitaverit.

[1] Vide Lit. Em^mi Card. Sterckx, Archiep. Mechlin., in Appendice.
[2] 25 Jan., 1848. Integrum in Appendice prostat.

Hisce quippe Congregationibus acceptum referimus, quod tot puellarum innocentiæ servandæ habeamus parata tutaque domicilia; his debet America nostra institutionem numerosæ juventutis tum in literis, tum in Christianis moribus, atque adeo diffundendæ Catholicæ Fidei efficax adjumentum. Quin etiam, quum luctuosi belli tumultus academiarum nostrarum prosperitati magno damno essent; fecit tamen Sororum charitas, ut ipsæ belli calamitates in singularem Ecclesiæ commendationem verterent. Quis enim, etiam Acatholicus, Sororum nostrarum in Nosocomiis inexhaustam patientiam, parem in omnes beneficentiam, singularem ubique modestiam, potuit non admirari; aut tantarum virtutum effectricem causam aliam cogitare, quam divini Spiritus adjutorium illud, quo etiam inimicus homo cogatur fateri, "Digitus Dei est hic!"

416. Postulat igitur Pastoralis officii nostri sollicitudo, ut tam eximiæ portioni Dominici gregis subministrentur ea præsidia, quæ sacratas Deo Virgines in instituti sui vigore primitivo perpetuò sustentent; idque præsertim, cum a S. Concilio Tridentino Virgines sacratæ paternæ sollicitudini Episcoporum concreditæ sint.[1] Quapropter opportunum visum est Patribus quæ sequuntur statuere, per quas Monialium disciplina facilius ac maturius instauretur et constantius perseveret.

417. Ut de Sacris Virginibus apud nos Deo dicatis usurpemus verba Fratrum Nostrorum in Concilio Ravennatensi: "Sacrarum Virginum confessionibus excipiendis eos tantum Episcopi præficiant, qui quâ par est morum gravitate, prudentia, doctrina, et asceticæ artis intelligentia prædita reperiantur. Meminerintque Tridentinos Patres,[2] ad opportunum solatium remediumque afferendum ipsarum animis, in afflictione interdum et augustia constitutis præcepisse, ut 'præter Ordinarium Confessorem, alius Extraordinarius ab Episcopo

[1] Pro privilegio SS. conservandi in Sacellis Monialium, vide Appendicem.
[2] Sess. xxv., De Regul. et Monial., c. 10.

et aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.' Offerant itaque Monasteriis omnibus suæ jurisdictioni subjectis, instentque pro viribus, ut a Superioribus etiam Regularibus quoad Sanctimoniales eorum regimini subjectas idem, juxta formam a Benedicto XIV. præscriptam,[1] exhibeatur. Nec se iidem Episcopi adeo difficiles præbeant,[2] peculiaribus etiam Monialibus Confessarium Extraordinarium aliquando petentibus; quin potius, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum justis precibus libenti animo obsecundent."[3]

418. Directores autem hujusmodi quam maxime allaborent ad conservandum in Monasteriis spiritum vitæ perfectioris, et strictam regularum observantiam; nihil in iis, neque in laudabilibus consuetudinibus, Episcopo inconsulto innovantes. Invigilent insuper Episcopi et Directores, ut earum solitudo sancta, si non clausura, sarta tecta custodiatur, eæque ad orationis et contemplationis sanctæ amorem formentur.

419. Quum de natura trium votorum Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ, quæ a Monialibus, præsertim quorumdam Monasteriorum, heic in America emitti solent, dubitaretur: scilicet, utrum vota hujusmodi uti solemnia, an tantummodo uti simplicia essent habenda; et si uti solemnia, utrum, ratione habita temporum, locorum et aliorum hujusmodi adjunctorum, et ad varia incommoda præcavenda, consultius necne, ut in posterum Moniales omnes simplicia tantum vota nuncupare permitterentur; quumque alii aliter sentirent, ad omne dubium amovendum, censuerunt Patres antecessores nostri rem totam ad Sanctam Sedem esse deferendam. Hac autem re mature perpensa et rite examinata, tan-

[1] Constit. Pastoralis Curæ, 5 Aug., 1748: et de Syn. Diœc., Lib. xii., c. 12, § 17.
[2] Bened. XIV., loc. cit.
[3] Conc. Prov. Ravennat., Anno 1855; Part. iv., Cap. 7, Num. 13.

dem per Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium, ad R^{mum} Archiepiscopum Baltimorensem transmissum,[1] ita rescripsit Sancta Sedes :

I. "Vota, quæ a Monialibus a Visitatione Beatæ Virginis Mariæ nuncupatis emittuntur in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskaskia, St. Aloysii, et Baltimoræ, attentis Rescriptis a Sancta Sede ab iisdem jam impetratis esse solemnia.

II. "Quoad clausuram, prædictas Moniales uti posse facultatibus sibi in variis Rescriptis a Sancta Sede Baltimorensi Archiepiscopo concessis.

III. "Ratione habita ad locorum temporumque circumstantias, in posterum ab iisdem Monialibus Visitationis post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia; exactisque quinque annis a votorum simplicium professione admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, præviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus, quibus professæ votorum solemnium fruuntur et gaudent.

IV. "Vota, quæ ab aliis Monialibus in Monasteriis jam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint.

V. "Tandem, in Monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis, vota a Monialibus esse emittenda simplicia."

420. Constat vero ea, quæ in articulis quarto et quinto habentur, ad omnes hujus regionis Moniales, quocumque veniant nomine, applicanda esse, iis exceptis Monasteriis de quibus in primo articulo fit sermo. Hoc vero tum ex iis

[1] 3. Sept., 1864.

manifestum est, quæ in ipsa Sacra Congregatione gesta sunt:[1] tum per verba E^mi Cardinalis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide confirmatur.

421. Spectatis peculiaribus hujus regionis circumstantiis, visum est etiam Patribus opportunum supplicare Sanctam Sedem, ut in iis Monasteriis in quibus vota sunt solemnia, probatio quinque annorum, quæ juxta Rescriptum inter Vota Simplicia et Solemnem Professionem intercedere debet, ad decem annos usque protrahatur. Ita enim tum Monialium vocatio, tum earum ad claustralem vitam aptitudo diutius probatur, tutiusque occurritur iis incommodis quibus hactenus ea Monasteria fuerunt exposita.[2]

422. Demum, quum omnino deceat ut Moniales, sint vel non sint claustratæ, in conventibus suis, quantum fieri possit, permaneant, atque in sancta solitudine spiritualibus exercitiis et operibus pietatis et charitatis secundum earum institutum sese devoveant, prorsus reprobamus morem illum, seu verius abusum, qui nuper invectus est, juxta quem nonnullæ ex istis piis fœminis huc illuc circumcursant, et sæpe ad loca ab earum Monasteriis remota divertunt, causa pecuniæ colligendæ pro novis domibus fundandis, vel ab ære alieno iis quæ jam sunt fundatæ liberandis. Ordinarios vero locorum in Domino hortamur, atque enixe obsecramus, ne permittant, ne quidem tolerent istam consuetudinem, quæ tum veræ status religiosi indoli repugnat, tum gravibus periculis et publicis nonnunquam scandalis obnoxia est.

[1] Vid. Acta ex iis decerpta quæ apud S. Sedem geruntur, Vol. I., Fasc. 12.

[2] Huic Patrum supplicationi annuit Sancta Sedes, speciali edito Decreto, supra relato, num. vii.

TITULUS IX.

De Juventute Instituenda, Pieque Erudienda.

CAPUT I.

De Scholis Parochialibus ubique fundandis.

423. Christus Dominus Noster ad Patrem suum jamjam ascensurus, ex plenaria illa potestate quæ data ei fuerat in cœlo et in terra, omnibus Apostolis quos operis sui vicarios his in terris relinquebat, mandatum illud insigne, veluti supremæ suæ voluntatis testamentum et summi illius amoris, quo in homines flagrabat, pignus eximium edixit: "Euntes, docete omnes gentes."[1] Quo quidem divino eloquio, Ecclesia Ejus seipsam intellexit non solum præconem ac testem, sed et cunctorum insuper hominum matrem ac magistram cœlitus institutam fuisse. Quamobrem nullo non tempore summa ubique terrarum cura invigilavit, ut salutarem doctrinam disseminaret ac custodiret. Factum inde etiam est, ut omnes errores tam contra fidem, quam contra morum honestatem semper impigre debellaverit.

424. Nihil sane in Ecclesia innotescit magis, aut pulchrius splendescit, quam zelus ille atque ardor divinus, quo pia illa mater Juventutem, rei Christianæ spem firmissimam, semper

[1] Matth. xxviii., 19.

et ubique est prosecuta. Memoria enim tenens et in corde conferens præclara illa Domini sui verba, "Sinite parvulos ad me venire,"[1] nullis unquam laboribus pepercit, ut tenellum illum hominum florem ab omni vitiorum afflatu arceret, et ab omni labe erroris incolumem servaret. Hinc sacri Antistites, jam inde ab exordiis Ecclesiæ, collatis viribus magis magisque allaborarunt, ut Christianam Juventutem tum in scholis tum extra scholas rite erudiret atque pie educaret. Quam profecto Juventutis institutionem, ut omni discrimini subducerent, gymnasia circumquaque excitavere, privilegiis amplissimis auxerunt, et per varios scholarum gradus ad summum usque artium atque scientiarum fastigium evehere non dubitarunt. Ex quibus gymnasiis quot quantaque beneficia, quam uberrimi fructus in civilem societatem, atque adeo in ipsam Ecclesiam redundarint, neminem præterire arbitramur.

425. Itaque non possunt hujus Plenarii Concilii Patres ultro non agnoscere palamque profiteri, curam teneriori ætati atque adolescentiæ Christianis moribus informandæ impendendam, inter præcipuas sollicitudinis Pastoralis partes recenseri; eoque magis, quo hodierni Religionis nostræ inimici suas omnes artes conferre connituntur, ut juvenum animos vel a prima ætate depravent.

426. Experientia siquidem diuturna satis superque probavit, quam gravia sint mala, quam intrinseca etiam pericula, quæ Juventuti Catholicæ ex frequentatione scholarum publicarum hisce in regionibus plerumque obveniunt. Vi enim systematis apud illas obtinentis, nequaquam fieri potest quin simul in magnum fidei morumque discrimen juvenes Catholici adducantur. Neque alia profecto ex causa repetendi videntur progressus, quos exitialis illa Indifferentismi, ut vocant, labes hactenus in hac regione maximos habuit, habetque in dies; illa quoque morum corruptela, quâ vel tenerrimam apud nos

[1] Matth. xix., 14.

ætatem passim infici ac perdi non sine lacrymis videmus. Consuetudo enim eorum, qui aut falsam aut nullam religionem colunt, quotidiana etiam auctorum lectio et meditatio, qui Sanctissimam Religionem nostram et instituta, immo cœlites ipsos incessunt, rodunt, nigroque sale adspergunt, paullatim in puerorum Catholicorum animis vim ac virtutem veræ Religionis elevant. Deinde condiscipuli, quibus utuntur, iis plerumque sunt moribus et exemplis, ea loquendi agendique nefaria licentia, ut hoc commercio et usu familiari nostris adolescentibus, (licet domi optime institutis) pudor omnis ac pietas, quasi cera admoto igne, cito absumatur ac pereat. Neque decessores nostros hujusmodi mala et pericula latuerunt, ut ex hisce eorum decretis videre est:

427. Quoniam quamplurimos adolescentes ex Catholicis parentibus præsertim pauperibus ortos, in multis provinciæ hujus locis expositos esse, et adhuc exponi constat magno fidei amittendæ periculo, vel morum corruptelæ, ob inopiam talium magistrorum quibus tantum munus tuto committi possit; necessarium omnino censemus ut scholæ instituantur, in quibus juvenes edoceantur fidei morumque principia, dum literis imbuuntur.[1]

428. Cum non raro plura reperiantur in libris qui in scholis plerumque adhibentur, quibus principia fidei nostræ impugnantur, dogmata nostra perperam exponuntur, et ipsa historia pervertitur, qua ratione puerorum animi erroribus imbuuntur, in animarum damnum gravissimum; postulat tum religionis studium, tum Juventutis recta educatio, et ipsum Fœderatæ Americæ decus, remedium aliquod tanto malo afferri.[2]

429. Cum constet publicæ educationis rationem plerisque in his Provinciis ita iniri, ut hæresibus inserviat, puerorum Catholicorum mentibus sensim sine sensu falsis sectarum principiis imbutis, monemus pastores, ut omni quo valent studio Catholicorum puerorum Christianæ et Catholicæ educationi prospiciant, et diligenter invigilent, ne versione protestantica bibliorum utantur, vel sectarum cantica aut preces recitent. Ideo invigilandum erit, ne in publicas scholas

[1] Balt., Num. 33. [2] Ibid., 34.

libri vel exercitia hujusmodi introducantur, cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem et moderate hisce sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum qui auctoritate valent opportunum adhibere remedium implorato auxilio.[1]

430. Optimum vero, immo unicum quod superest remedium, quo gravissimis hisce malis atque incommodis occurratur, in eo situm videtur, ut in singulis diœcesibus, unamquamque prope ecclesiam, Scholæ erigantur in quibus juventus Catholica tam literis ingenuisque artibus, quam Religione ac probis moribus imbuatur. Quod jam a Patribus superioris Concilii Plenarii sapienti consilio provisum fuit:

Hortamur episcopos, et, attentis gravissimis malis quæ ex juventute haud rite instituta sequi solent, per viscera misericordiæ Dei obsecramus, ut Scholas unicuique ecclesiæ in eorum diœcesibus annexas instituendas curent; et si opus fuerit, et rerum adjuncta sinant, provideant ut ex redditibus ecclesiæ cui Schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur.[2]

431. Decessorum igitur nostrorum vestigiis inhærentes, Pastores animarum vehementer monemus, ut pro viribus operam suam conferant ad Scholas Parochiales, ubicumque fieri potest, extruendas. Hisce in Scholis, sub Pastorum oculis ordinatis, vitabuntur pericula quæ gymnasiis publicis inhærere jam diximus; defendentur pueri ab illo indifferentismo adeo nunc grassante; viam Catholicam insistere, jugumque Domini ab adolescentia portare addiscent.

432. Quod ut facilius præstetur, magnopere commendamus multiplicationem adhibitarum pluribus jam in locis Sodalitatum sive Congregationum piarum utriusque sexus, quæ, juxta peculiaris sui instituti regulas, pueros puellasque tum primis literarum ac artium rudimentis imbuere, tum præsertim cœlestis doctrinæ pabulo vel ab ipsis quasi incunabulis reficere et enutrire satagant.

[1] Balt., Num. 54.

[2] Ibid., 90.

433. Quod si ob defectum hujusmodi Sodalitatum, sæcularibus hominibus munus instituendæ pueritiæ committendum sit, ii tantum ad hoc operis eligantur, qui non tantum scientiâ præstent, sed etiam fide, moribus ac vita probatissima inter cæteros emineant. Quod de mulieribus quoque dictum volumus, quibus instituendarum puellarum cura credatur.

434. In re tanti momenti, seriò etiam parentes monendi sunt, ut proli suæ magis magisque invigilent, et pro recta ejus educatione diligenter consulant ac sedulo laborent; cum suis Pastoribus pie conspirent, suasque opes generose diffundant, ut Scholæ Catholicæ Parochiales quantocius erigantur ac sustententur.

435. Cum autem omnibus in parœciis Scholæ exclusive Catholicæ, propter rerum angustias, nondum haberi queant, et nullibi sit locus pro institutione quotidiana et necessaria nisi in gymnasiis publicis, eo magis oportet omnes cautelas adhibere, ut exinde quam minimum detrimentum juventus Catholica patiatur. Hunc in finem Catecheses et Scholæ doctrinæ Christianæ instituantur. Pueros puellasque in propriam ecclesiam Dominicis et aliis diebus festivis, et quandoque etiam sæpius, Pastores convocent, ut eos elementa Christianæ doctrinæ studiose et diligenter edoceant.

436. Quod quidem non solum a patribus maxime commendatum atque usitatum fuit, sed etiam sæpius gravissimisque adjectis pœnis, præsertim tribus hisce sæculis, quæ disciplinam restitutam subsecuta sunt, plurimorum Pontificum atque Synodorum legibus constitutum. Inter præclaros piissimi hujus moris atque instituti restitutores ac vindices, eminuit S. Carolus, Ecclesiæ Mediolanensis Antistes, cujus hac in re labores, consilia, ac præcepta digna sunt, quæ ab omnibus animarum Pastoribus assidue perlegantur. Ecclesiæ igitur monitis ac præceptis obtemperet animarum moderator; ac sanctorum hominum, immo ipsius Christi Pastoris optimi

exemplo animatus, parvulos, spem commissi sibi gregis, singulari amore prosequatur, summa cura custodiat, indefessa vigilantia et sollicitudine a luporum ac Tartarei prædonis insidiis et incursibus defendat ac tueatur. Pulcherrimum illum integritatis et innocentiæ florem, atque ineffabile, quo fruuntur, baptismalis gratiæ donum, sanctum in illis inviolatumque, quasi oculi sui pupillam, servandum ipse curet. Eos ita instituat atque assuefaciat, ut Dei domum et atria sancta Ejus libenter frequentent; ibique congregatos sanctis vitæ morumque præceptis imbuat. Tenellis adhuc eorum animis ea instillet fidei ac pietatis rudimenta, quæ postea ætate adultis firmamento ac robori, tutissimoque contra pravas dœmonis ac malorum hominum insidias præsidio sint futura.

437. Parentes omnibus, quibus poterit, modis inducat, ut partes suas agant. Eos hortamentis excitet, minis terrefaciat, precibus exoret, ut liberos stato catecheseos tempore ad ecclesiam mittant. Hos autem ad alacrius adsistendum discendumque munusculis et præmiis alliciat. Quod enim quotidie faciunt hæreseos magistri, ut pueros Catholicos ad suas scholas trahant, veneno erroris imbuant, atque infortunio mactent sempiterno; id Dei sanctissimæque nostræ Religionis minister non studiose ac diligenter præstabit, ut suos servet, neque ex iis, quos dedit Christo suo Pater, perdat quemquam?[1]

438. Neque hoc muneris per alios, ut negligentiores solent, sed per sese ipse exequatur. Onus enim pueros Christianæ fidei rudimentis instituendi adeo est cum pastorali officio conjunctum, ut qui ex ignavia vel desidia id ferre nolit, aut in alios rejiciat, violati officii pœnas vitare nullo modo possit. Quod disertis verbis omnibus, ad quos spectat, in memoriam revocatur a Patribus Concilii Plenarii superioris.[2]

439. Dum pueros ad divinarum rerum scientiam educare studet, omnem in eo operam ponat, ut, quod in Ecclesia

[1] Joan. xvii., 12; xviii., 9

[2] Decr. 89, jam supra cit., in Tit. iii.

Catholica laudat Augustinus,[1] "pueros pueriliter doceat;" ea scilicet facilitate et simplicitate, quæ eorum imbecillitatem et imperitiam deceat. Altissima fidei mysteria ita explicet, ut eorum ætati atque ingenio se accommodet. Etiamsi, quod sæpe evenit, adulti haud pauci catechesos tempore dicentem in templo circumstent, nunquam ipse verbis aut loquendi modis exquisitis et elegantioribus utatur; sed ea tantum adhibeat, quæ simplicia, clara, et apertissima sint, quæque ab omnibus, etiam rudioribus, facile intelligantur. "Qui docet," monet apposite Augustinus,[2] "non curet quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia. Cujus evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet quod ostendere intendit. * * * * * Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur?"

440. Sedulo laborent animarum Pastores, ut parentes, qui ipsorum curæ concrediti sunt, liberos suos qui ad annos discretionis pervenerint ad Sanctæ Eucharistiæ et Confirmationis Sacramenta suscipienda rite paratos adducant: et ad hunc finem obtinendum, sæpius per annum, præsertim appropinquante Paschali tempore, populum publice in templis moneant de gravissimo hoc officio, quod qui non servaverint parentes se maximo salutis amittendæ periculo exponunt, ac proinde a Sacramentis arcendi sunt, donec resipiscentes officio suo satisfecerint.[3]

441. Curent etiam animarum Pastores, ut quotannis Ordinarios certiores faciant de numero eorum, qui superiori anno prima vice ad Sacram Synaxim admissi fuerint.[4]

[1] S. Aug. de Moribus Eccles. Cath., Lib. i., Cap. 30, Ed. Maur., i. 708.
[2] De Doctrina Christ., Lib. iv., Cap. 9, §§ 23, 24, ed. cit., iii. 73.
[3] Cf. Conc. Cincinnat. Prov. II., an. 1858, Decr. 12.
[4] Ibid.

442. Omnibus animarum curam gerentibus in Domino injungimus, ut saltem quater unoquoque anno, et præsertim, si fieri possit, Quatuor Temporum feriis, pueros omnes spirituali ipsorum regimini commissos, qui nondum S. Eucharistiæ participes facti sunt, in unum colligant, et per aliquot dies Doctrinam Christianam diligenter edoceant. Eos, qui ad septennium pervenerint, ad Confessionem accedere curent; qui vero id ætatis attigerint, ut Panem cœlestem discernere valeant, ad primam Communionem, omni adhibita diligentia, disponantur.[1]

CAPUT II.

De Scholis Industriæ, seu Reformatoriis constituendis.

443. Perpetuus ille humani generis hostis, qui ab ipso mundi exordio cum semine mulieris exercet inimicitias, Christi corpus, quod est Ecclesia, nequit quidem violare ac perdere: at calcaneo tamen ejus insidiatur, et nonnulla saltem membra vulnerare, et in interitum secum rapere quotidie studet. Quod eum felici nimis successu agere, non sine acerbo animi dolore fateri cogimur. Inter alia vero hujus generis sane luctuosa, quæ quotidie ante oculos obversantur, illud maxime deplorandum est, quod parvulos nostros, sacro baptismi fonte renatos, Deoque ob innocentiam et sanctitatem acceptissimos, a sinu et complexu Ecclesiæ matris avellit, et ad sua castra transfert, ut de filiis hostes, de piis sanctisque impios faciat ac profanos. Atque hoc quidem cum per se ipse efficere nequaquam possit, nullo negotio inter mortales invenit, quorum ope et auxilio efficiat. Adsciscit enim sibi

[1] Cf. Conc. Prov. Cincinnat. III., an. 1861, Decr. 2.

homines aut hæresis labe infectos, aut religionis omnis osores et contemptores, quibus in nefario hoc opere sociis et adjutoribus utatur.

444. Atque hi quidem sunt, qui puellas et pueros Catholicos, aut parentibus vita functis orbatos aut a dyscolis derelictos, quasi lupi agnos nacti, statim arripiunt et in domos Refugii dictas conjiciunt; ubi, velut in carcere quodam inclusi, ita caute custodiuntur, ut nec a conjunctis quidem reperiri et dignosci queant. Quin et ipsa nomina misellis istis mutantur, ne forte patriæ religionis memoriam aliquando excitare possint. Aluntur splendide quidem, si prioris conditionis ratio habeatur; educantur tamen sedulo ad hæresim, ad avitæ fidei odium et detestationem, ad interitum animæ sempiternum. Atqui hæc omnia specioso philanthropiæ nomine geruntur; jamdiu enim apud istos homines obsolevit præclarum illud nomen Christianæ charitatis!

445. Ad mala hæc præcavenda et avertenda, vix ullum in civitatum legibus præsidium sperari potest; quinimmo, his sæpe improbi homines ad hæc scelera patranda ac tuenda fœdissime abutuntur. Quamobrem nonnulli jam Episcopi, charitate et misericordia permoti, in suis diœcesibus pias domos erexerunt, aut jam erectas in hunc usum converterunt, ut in eas pueri, quorum religio aut animæ salus periclitatur, recipiantur, ut a lupis rapacibus tuti serventur, et Christianæ fidei morumque principia addiscant. Vocantur idcirco Domus Refugii seu Protectionis, at frequentius Scholæ Industriæ; ibi enim docentur pueri agriculturam, aut fabriles aliasque vulgares artes, quibus olim exercendis sibi victum honeste comparare possint. Appellantur etiam nonnunquam Scholæ seu Domus Reformatoriæ; quoniam in eas aliquando recipiuntur pueri, qui forte malis parentum ac propinquorum exemplis aut incuria a recto tramite aberrarunt, quos tamen tempore et diligenti opera adhibita emendatum iri sperari merito possit.

446. Episcopos igitur enixe hortamur, ut omni, quâ possint, cura et sollicitudine, tenellos hosce Christiani gregis agnos ab avidis circumcursantium luporum faucibus defendant. Pias hujusmodi Industriæ seu Refugii Domus ubique constituant; idque præsertim majores prope urbes, ubi major est periclitantium numerus. Laudandi quidem sunt, qui summam in eo industriam ponunt, ut magnifica e marmore templa ubique in Dei honorem et cultum extruantur. At longe melior atque utilior, in his vivis et electis lapidibus[1] ad æternum Divinæ Majestatis habitaculum præparandis, labor et cura impenditur.

CAPUT III.

De Universitate Literarum Fundanda.

447. Præter plures, quæ Dei O. M. beneficio in hac regione existunt, minores Scholas, in quibus Religionis ac literarum elementa pueris traduntur, habentur etiam Scholæ majores, seu Collegia, in quibus, in adultioris ætatis commodum, dum literæ artesque ingenuæ plenius ac perfectius docentur, Catholicæ quoque doctrinæ capita fusius atque uberius explicantur. Quod quidem maximopere commendandum ducimus; virosque illos pios et eruditos, qui in hac palæstra huc usque cum laude desudarunt atque elaborarunt, de Christiana republica optime meritos esse prædicamus. Quantum enim ab eorum opera pendeat, is facile intelliget, qui ex hisce Academiis et Collegiis eos prodituros sciat, qui deinceps Sacrorum ministerio forte se addicant; qui in foro, in curia, in magistratu aliquando versentur.

448. Singulari Dei beneficio nobis obtigit, ut clericorum

[1] Miss., in Ded. Eccles., in Postcomm.

Collegia non solum domi, sed etiam in Europa habeamus. Atque ante omnia commemorandum est Collegium Americanum in Urbe Sancta, omnium matre atque principe, prope ipsam Apostolicæ veritatis Cathedram constitutum; quod SSm̃i. Domini Nostri Pii PP. IX. paternæ munificentiæ acceptum referri debet. Hoc profecto, ut, quotquot sumus hujus regionis Episcopi, tueamur, foveamus, ornemus, et quantum in nobis est, collatis consiliis, opibusque amplificemus, tum æquitas, tum grati animi officium postulat.[1]

449. Commemorari quoque debet Collegium alterum pro nostræ regionis Missionariis, prope celeberrimum illud literarum scientiarumque domicilium, Universitatem Lovaniensem, ab Episcopis Belgii constitutum. Cujus jam fructus plurimos ac saluberrimos percepimus. Novennio enim, ex quo fundatum est, plusquam quinquaginta Missionarios ad nos misit, qui in Vinea Domini excolenda laborarent.

450. Neque ultimo loco prætereundum est Collegium Omnium Sanctorum, viginti fere ante annis, Drumcondræ prope Dublinium in Hibernia erectum. Cujus Collegii præsidibus et doctoribus gratias et habemus, et hanc nacti occasionem palam agimus maximas, eo quod pro nostris diœcesibus haud paucos sacerdotes maxima benevolentia et liberalitate educarint.[2]

451. Atque utinam in hac regione Collegium unum maximum, sive Universitatem habere liceret, quod Collegiorum horum omnium, sive domesticorum sive exterorum, commoda atque utilitates complecteretur; in quo, scilicet, literæ et scientiæ omnes, tam sacræ quam profanæ, traderentur! Utrum vero Universitatis hujusmodi constituendæ tempus advenerit, necne, Patrum judicio, rem totam maturius posthac perpendentibus, relinquimus.

[1] Vide quæ hac super re monet S. Cong. P. F., in Instructione Generali, art. 20, *supra*.

[2] De Collegio Barcinonæ in Hispania constituendo, vide Literas E^mi Card. Barnabò, in Appendice.

TITULUS X.

De Salute Animarum efficacius Promovenda.

CAPUT I.

De Zelo animarum.

452. Quanto zelo saluti animarum procurandæ incumbere debeant Sacerdotes Christi, attentius consideranti, quis sit Christus, quis sacerdos, apparebit clarissime. Christus, "Filius Dei vivi,"[1] "splendor gloriæ" Patris, "et figura substantiæ ejus,"[2] "Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, consubstantialis Patri, propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, et homo factus est."[3] Ideo scilicet æternus Dei Filius in tempore venit, ut hominum animas servaret; quapropter titulo insignitur Salvatoris. Hoc enim Illum olim Prophetæ salutaverunt: "Aperiatur terra et germinet Salvatorem;"[4] et ideo Angelo jubente vocatus est Jesus, "quia salvum facturus erat populum suum a peccatis eorum."[5] Quod ut præstaret, nedum "virginis non horruit uterum,"[6] sed "factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,"[7] "dedit semetipsum redemptionem pro omnibus."[8]

[1] Matth. xvi., 16.
[2] Hebr. i., 3.
[3] Symbol. Nicæn.
[4] Is. xlv., 8.
[5] Matth. i., 21.
[6] Hymn. Ambros.
[7] Phil. ii., 7.
[8] I. Tim. ii., 6.

453. Christus tamen in terris modo visibili et naturali perpetuo haud erat mansurus, sed postquam "opus consummasset quod dederat ei Pater ut faceret,"[1] ad Illum reversus est, ut "nobis pararet locum."[2] Dum adhuc itaque cum hominibus versaretur, quosdam viros elegit, quibus "dedit virtutem et potestatem super omnia dæmonia, * * * et misit illos prædicare."[3] Eos misit ut fructum, qui maneret, afferrent;[4] fructos vero ille idem erat, quem ut colligeret Ipse cœlestis Agricola in mundum venerat. Sicut Eum miserat Pater, et Ipse misit eos;[5] ac ea potestate, quæ Ipsi in cœlo et in terra data fuerat, iis edixit ut docerent omnes gentes, ut omnes qui crediderint et baptizati fuerint, salvi fierent.[6] Quâ igitur potestate Ipse missus fuerat, etiam illi missi sunt, eo quidem aucti imperio, quo ad mundi usque finem opus perficere possent quod a Se cœptum illis consummandum mandavit. Nec tamen ipsi Apostoli omni ævo in terris mansuri erant; necesse igitur est, voluisse Christum, ut decurrentibus sæculis alii et alii sufficerentur, qui illorum et potestatis hæredes essent et officii.

454. Tales veros esse Novæ Legis Sacerdotes, semper tenuit Ecclesia Catholica. Illi scilicet "ex hominibus assumpti, pro hominibus constituuntur in iis quæ sunt ad Deum;"[7] "Dei sunt adjutores,"[8] Christi locum tenent, Dei vices in terris gerentes; Deus enim per eos veluti exhortatur, et in iis posuit verbum reconciliationis.[9] Quod adeo verum est, ut qui infelix eos spreverit, Christum ipsum sprevisse dicendus sit; qui autem lubens aurem iis præbuerit, idem, quod Christum ipsum audientibus promittitur præmium, certissime mereatur.[10]

455. Recogitent itaque Sacerdotes, ac attente animo volvant, debere se opus ipsis demandatum, salutem scilicet

[1] Joan. xvii., 4.
[2] Ibid., xiv., 2.
[3] Luc. ix., 12.
[4] Joh. xv., 16.
[5] Ibid. xx., 21.
[6] Matth. xxviii., 19, 20.
[7] Hebr. v., 1.
[8] I. Cor. iii., 9.
[9] II. Cor. v., 19, 20.
[10] Luc. x., 16.

animarum, jugiter perficere; non enim sui sed aliorum causa sacerdotes vocati et consecrati sunt. "Habemus duo quædam," ait præclare Augustinus, "unum quod Christiani sumus, alterum quod præpositi sumus. Illud quod Christiani sumus propter nos est; quod præpositi sumus propter vos est,"[1] fideles scilicet, quos alloquebatur.

456. Idem igitur quod fecit Christus, facere debent sacerdotes, et eâdem potestate, eodem modo, iisdem mediis, eundem in finem. Potestas enim quæ in Christo inest, eo quod Deus sit, ab Ipso Sacerdotibus communicatur. Dein, sicut ipse dilexit usque in finem suos qui in mundo erant,[2] ita et illos "zelus domus Dei comedere" debet.[3] Quod ut præstent, viribus omnibus mentis et corporis incumbere debent ad sui immolationem, ac vitæ consummationem, si necessarium fuerit, quemadmodum ait Apostolus: "Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris;"[4] quæ omnia eum in finem dirigenda sunt, ut voluntas Dei fiat, ac gloria Ipsius augeatur, qui "omnes homines vult salvos fieri,"[5] et "glorificatur in consilio Sanctorum."[6]

457. Zelus Sacerdotis, hoc modo instructus, supra humanas vires positus omnino dici debet. Insunt quidem hominum animis veritatis amor, altæ cogitationes, desideria eximia; quæ non semel fratrum bonum invicto robore, corde impavido, alacri labore quærunt. Verum hæc omnia Sacerdoti Christiano satis esse non possunt. Debent namque naturales illæ dotes vitam viresque a Dei gratia accipere. Ea vero "de fontibus Salvatoris"[7] hauritur; Ipse quippe "vita"[8] est, qui venit ut sui "vitam habeant, et abundantius habeant."[9] Adhibeantur itaque media naturalia, facultates scilicet mentis et corporis sensus, omniaque quæ illis adjumento esse possunt; multo magis autem media supra naturam adhibere

[1] Serm. De Temp., 165, in Edit. Maur., 46.
[2] Joan. xiii., 1.
[3] Ps. lxviii., 10.
[4] II. Cor. xii., 15.
[5] I. Tim. ii., 4.
[6] Ps. lxxxviii., 8.
[7] Is. xii., 3.
[8] Joan. xi., 6.
[9] Ibid., x., 10.

oportet, qualia sunt quæ *gratiæ gratis datæ* vocantur, et *virtutes acquisitæ;* omnia tamen a divina gratia informentur necesse est, quæ ea adjuvet, dirigat, attollatque.

458. Nec in mundo nec in iis quæ in mundo sunt reponitur finis ille, ad quem moveri debet Zelus Sacerdotis Christiani, sed ex "fide quæ per charitatem operatur"[1] derivatur. Fides enim quis sit Deus nos docet; charitas vero, "quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis,"[2] efficit ut sicut oportet Deum diligamus. Qui ita Deum diligit, simili amore et se et proximum fovet, et nihil aliud vult, nisi ut semper et ubique Dei voluntas fiat, et omnibus ad salutem perductis, Ejus augeatur gloria. Quapropter Sacerdos Zelo ductus conabitur in primis, ut "certam suam vocationem et electionem faciat;"[3] totus deinde in eo erit ut alii ejusdem doni participes fiant. Christus enim, qui exemplar illi proponitur, "dedit Seipsum redemptionem pro omnibus,"[4] ac ita opus perfecit quod Ipsi a Patre demandatum fuerat.

459. Ut vero rite exerceatur Zelus, Sacerdos ipse impollutus et sanctus esse debet. Ita enim vitam suam moresque informet necesse est, ut aliis non solum prædicando doctor, verum insuper agendo virtutum exemplar esse possit. Non sicut olim Scribæ et Pharisæi, esse decet Christi Ministrum, quorum quidem doctrina bona, opera mala fuerunt,[5] sed plus quam eorum ipsius justitia abundet oportet.[6]

460. Sit itaque Sacerdotalis Zelus purus ac omnis humanæ sordis expers. Gentis nesciat diversitatem; nec originis, coloris, vel conditionis differentias curet. Illi non sit "gentilis et Judæus, Barbarus vel Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus."[7] Non inani vanæ gloriæ fumo delectari, non humanæ laudis desiderio abripi, non

[1] Gal. v., 6.
[2] Rom. v., 5.
[3] II. Pet. i., 10.
[4] I. Tim. ii., 6.
[5] Matth. xxiii., 2, 3.
[6] Ibid., v., 20.
[7] Col. iii., 11.

etiam de bona hominum opinione sollicitus esse debet. Curam habeat Sacerdos de bono nomine,[1] non ut gloriam habeat penes alios, sed ut melius Dei gloriam promovere possit, Illius ad exemplum qui dixit, "Non quæro gloriam meam."[2] Sæpius enim vel contemptum vel odium mundi experiatur necesse est Sacerdos, qui Zelo flagret; quod quomodo illi superare poterunt, "qui gloriam ab invicem accipiunt, et gloriam quæ a solo Deo est, non quærunt?"[3] Meminerint itaque Dei ministri eorum, quæ dixit Paulus: "Si hominibus placerem, servus Dei non essem;"[4] ac maximopere curent, ut in omnibus se exhibeant "sicut Dei ministros, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam."[5]

461. Commodis et voluptatibus etiam licitis hujus vitæ capiendis animum non intendet suum, qui vero Zelo ducatur Sacerdos. Neque de favore vel honore, vel loci, aut muneris præstantia sollicitus erit. Etsi enim licite his frui, eaque etiam quâ decet modestia cupere possit, exinde tamen ad zelum exercendum non movetur, neque quæ sua sunt quærit, sed potius quæ Jesu Christi.[6] Abhorreat etiam a turpis lucri amore; avaritia enim simulacrorum servitus esse dicitur,[7] et a sacrilegii et peccati illius, quod Simon magus in mundum invexit, specie non est aliena. Nec unquam metu cogatur, aut ideo tantum agat ut vel aliorum increpationes, vel alia incommoda vitet.

462. Prudens vero et secundum scientiam sit Zelus Sacerdotis omnino oportet. Quid, quando, quomodo loquendum vel palam vel privatim, doceat prudentia, quæ sic eum dirigat, ut non mentis vel indolis impetu rapiatur, non agat animi impulsu vel phantasia ductus; sed, omnibus coram Deo mature perpensis, tempora expectabit et momenta, ut, cum

[1] Eccl. xli., 15.
[2] Jo. viii., 50.
[3] Ibid., v., 44.
[4] Gal. i., 10.
[5] II. Cor. v., 8.
[6] Phil. ii., 21.
[7] Col. iii., 5.

hora venerit agendi, quieta ac tranquilla mente ea, quæ magis opportuna dijudicaverit, peragere possit.

463. Hæc prudentia "desursum est, descendens a Patre luminum."[1] Scientiâ vero informatur, quæ partim humana, partim divina est. Scientiam humanam acquirere debet Sacerdos mediis ordinariis, assiduo scilicet labore, et perseveranti studio. "Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus."[2] Circa quæ potissimum versari debeat hæc scientia, superius jam dictum est.[3] Caveant vero Sacerdotes, ne nimium tempus insumant in legendis ephemeridibus, vel aliis nugatoriis libellis, nec querelis locum dent, quas olim emisit Hieronymus: "Sacerdotes Dei omissis evangeliis et Prophetis videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere, et quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis."[4] Monitis potius obtemperent Patrum Toletanorum: "Sciant Sacerdotes Scripturas Sacras et canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione divina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina."[5]

464. Adest tamen et alia scientia, humana illâ multo præstantior, quæ, si piæ meditationi et orationi rite incumbat, in animum Sacerdotis infunditur a Spiritu Sancto, cum supernis donis intelligentiæ et sapientiæ, scientiæ et consilii. Hæc ut plenissime illi detur, diu noctuque efflagitet Christi Sacerdos.

465. Zelus insuper patiens sit ac perseverans, in omnibus suaviter et fortiter agens, ac æquo animo ignorantiam, defectus, et vitia aliorum sustinens. Cum quibusdam severus esse debet, Paulo Titum jubente: "Increpa illos dure; argue cum omni imperio."[6] At patientia temperandus est hic rigor, ut

[1] Jac. i., 17.
[2] Mal. ii., 71.
[3] Tit. iii., c. 4, De vita et honestate cler.
[4] Epist. 146, ad Damas.
[5] Conc. Tol. iv., c. 25
[6] Tit. i., 13; ii., 15.

idem Apostolus Timotheum monuit: "Increpa in omni patientia et doctrina."[1]

466. Eveniet forte, ut Sacerdos vero Zelo succensus nullo unquam lætari possit successu; non tamen propterea animo dejiciatur, nec a labore cesset neque in eo prosequendo remissus fiat. Sæpius ad Deum pro peccatoribus preces fundat; ac suæ potius quam illorum culpæ infelicem rei eventum referat.

467. Quod Paulus prædixit, jam evenit: "Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa;[2] a veritate auditum avertent homines, ad fabulas autem convertentur."[3] Eorum tamen recordemur quæ adjecit: "Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple."[4] Hæc itaque animo et opere teneamus. Si rei eventus prosperus sit, Deo reddamus gratias, nec nobismet gloriam quæ Ejus est demus; si vero alii meliori nobis successu gaudeant, iis non invideamus, sed lætemur potius Christum annuntiari, et animas salvas fieri. Et si Zelus noster aliis inutilis prorsus esset, nobis tamen maximam feret utilitatem; qui enim hoc Zelo vitam informaverit suam, semper dicere poterit: "Bonum certamen certavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus."[5] Fidelis et indefessus operarius in vinea Domini a dicto Prophetæ magnum solatium in omni difficultate capere poterit; "Docti fulgebunt sicut splendor firmamenti; et qui erudiunt multos ad justitiam, sicut stellæ in perpetuas æternitates."[6]

468. In illud præcipue incumbere debet Sacerdotum Zelus, ut vitia quæ in gregibus pullulant forti manu reprimant, et si fieri possit, radicitus evellant. Ea enim zizania sunt quæ spargit inimicus homo, ut bonum semen suffocent. Quæ si tollantur, uberrimæ efflorescent virtutum segetes, fructum

[1] II. Tim. iv., 2.
[2] Ibid., iii., 1.
[3] Ibid., iv., 4.
[4] Ibid.
[5] Ibid., iv., 7, 8.
[6] Dan. xii., 3.

usque ad centesimum allaturæ. Quæ probe intelligentes decessores nostri, sequentibus decretis pastorum zelum excitaverunt:

469. Dominici festorumque dierum sanctificationem iterum atque iterum populis suæ curæ commissis pastores commendare modis omnibus curabunt, verbi Dei prædicatione, catechesibus, aliisque pietatis Christianæ publicis exercitiis. Moneant frequenter oves suas de vitandis cauponis, et caupones a sacramentis arceant qui potantium excessus fovent, præsertim diebus dominicis.[1]

470. Cum immania scandala ex nimia potatione oriantur, hortamur pastores, et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Eum in finem, laudandum censemus eorum fidelium Zelum, qui ab omni liquore ardenti se abstinent ad excessuum periculum tutius declinandum. Qui autem sponte societatem inter se ineunt, ut mutuis virtutum exemplis sese adjuvent ac roborent, imprimis adhibere debent subsidia illa quæ Christus Dominus in Ecclesia reliquit, quibus vitia humana emendentur, et infirmitas sustentetur; atque oratione, sacramentorum frequenti susceptione, aliisque pietatis exercitiis, auxilium supernum sibi comparare, nec sibi, nec suis propositis, sed Deo, sine quo nihil prodest humanus conatus, fidere.[2]

471. Novum etiam in dies experiuntur præsertim juvenes peccandi periculum, cum modis omnibus conentur potestates tenebrarum harum eos per sensuum illecebras ad ea, quæ mundi et carnis sunt, Deo posthabito, allicere. Qua in re curare debent Ordinarii, ut animarum pastores oves suas a malo cohibeant. A theatris itaque et scenicis ludis, iis præsertim qui mali et periculi pleni esse noscuntur, prudenter fideles avertant. Curent tamen, ne nimio rigorosas sectando sententias libertatem Evangelicam coarctent. Si qui enim hujusmodi sint ludi, quæ nec peccandi periculo nec scandalo obnoxii sint, iis adstare laicis permitti potest. Inter concionandum vero, generalibus et gravibus verbis in eos ani-

[1] Balt., Num. 52. [2] Ibid., 53.

madvertant ludos, qui ut plerumque fit, nonnisi peccandi ansam præbent.

472. Choreas immodestas, quæ quotidie magis magisque frequentantur, insectentur ac prorsus damnent. Moneant fideles, quantum non solum in Deum, verum in societatem, et familiam, seipsos denique offendant, qui choreis hisce vel operam dant, vel saltem præsentia sua favere videntur. Parentes præcipue doceant, quam gravis judicii rei fiant, si tenellam filiorum ac filiarum ætatem puritatis et animi candoris amittendi periculo objiciant, tolerando ut hoc modo diaboli laqueis incauti irretiantur.

CAPUT II.

De Missionibus instituendis.

473. Valde animarum saluti promovendæ prodesset, si in unaquâque diœcesi Missionarii instituerentur, quorum vel unicum vel saltem præcipuum officium esset *Missiones,* vel exercitia spiritualia statis temporibus variis per diœcesim congregationibus dare, præsertim vero tempore Adventus, et Quadragesimæ, ante puerorum primam communionem, et ante Episcopi visitationem, ac Sacramenti Confirmationis administrationem. Ubicunque ab Ordinariis constituti fuerint hujusmodi Missionarii, pastores animarum in Domino hortamur, ut illorum Ministerii beneficia suis ovibus procurent tempore opportuno. Si vero unquam pastorem aliquem hac in re suo officio deesse contigerit, ab Episcopo cogendus erit ad Missionarios accersendos; quod si non fecerit, ipse Episcopus eos mittat.[1]

474. Consultum vero erit, ut ad hoc opus vocentur vel Re-

[1] Vide Constitutionem Benedicti XIV. Gravissimum, De Missionum Utilitate, in Appendice.

gulares, vel Sæculares Sacerdotes, qui Animarum Zelo succensi tam præclaro ministerio totos sese devoveant. Quâ in re opportunum ducunt Patres Ordinarios locorum monere, ut quâ meliori et efficaciori ratione judicaverint ipsi, reditus provideant idoneos Missionariis sustentandis; et quum actu Missionibus dant operam, si quando congregationes illorum expensis solvendis impares forent, atque etiam quum domum redeunt ut vires renovent, orationi insistant, ac studiis necessariis incumbant.

475. Meminerint vero viri illi, qui ad Missionem vocantur, se in auxilium tantum Pastorum arcessiri. In eo igitur toti sint, ut fideles per pœnitentiam et bona opera ad sacram synaxim digne recipiendam præparent, nec unquam desint tum publicis concionibus, tum privatis hortationibus, æternas veritates alte in omnium animis imprimere: simul vero ignaros doceant, errantes in viam revocent, ac omnibus media opportuna salutis præbeant. In rebus autem quæ parœciæ curam, vel administrationem respiciunt, ne se immisceant. Cum populo dum agunt, de eo quod laudandum est, disserant; quod ipsis censura dignum videtur, inconsulto Pastore discrete taceant. Si quid vero corrigendum ipsis occurrerit, comiter illud pastori indicent ejusque audiant opinionem; vel, si necessarium judicaverint, ea de re Episcopum certiorem faciant. "Memores tamen sint conditionis suæ;" et caveant ne inopportuno vel incauto Zelo bonum, quod ex eorum laboribus provenire potest, vel præpediant, vel certe minuant.

476. Diligenter etiam præcaveant, ne illorum ratio agendi ullam vel levissimam turpis lucri speciem præ se ferat. Quapropter illa omnia sedulo evitent, quæ populi mentibus hujusmodi suspicionem ingerere possent, quæ quidem gravissimo foret Missionis damno. Consultum igitur futurum duxerunt Patres, si antequam prædicti Missionarii Collectas aggredi-

antur, vel etiam libros pios, Rosaria, Cruces, Numismata, aliaque hujusmodi, in Congregationibus ubi fiunt Missiones vel per se vel per alios vendant, tam Pastoris prævium assensum, quam Ordinarii obtineant approbationem.

CAPUT III.

De Confraternitatibus instituendis.

477. Zelus Sacerdotis maxime in hoc exhibendus est, ut omni industria adhibita iis utatur mediis, quæ ad homines a peccatis arcendos et ad virtutis exercitium alliciendos pertinent. Inter quæ præcipuum locum habent piæ illæ Sodalitates, seu Confraternitates, quæ ab Ecclesia probatæ, et ex Indulgentiarum thesauro ditatæ, nostri præsertim sæculi malis corrigendis aptissimæ videntur. Viget nunc ubique *associationis* (uti ajunt) studium, per quod homines callidi alios quamplures in ruinam tam temporalem quam æternâm facillime trahunt. Si vero recte hæc *associationis* notio intelligatur, ea Catholica prorsus dici debet. Provenit enim ex principiis Catholicæ fidei, quibus omnes Christianæ gentes a primordiis imbutæ sunt, quæ illarum mentibus alte infixa manent, etiam cum per hæresim ab Ecclesia defecerint. Atque illis quidem præclaris fidei sæculis, quæ falso ignorantiæ fuisse tempora quidam dictitant, undique vigebant societates, quarum quævis duo commoda nunc plerumque ab invicem divisa præstabat, cum esset simul et pia Confraternitas, et mutui auxilii societas.

478. Cum ultimus Ecclesiæ finis sit salus animarum, fovere debent sacerdotes illas præcipue Confraternitates, quæ pietati conservandæ vel augendæ directe conducunt, et hanc ob

causam plurimis Indulgentiis ab Ecclesia ditatæ sunt. Hujusmodi vero sunt:

I. Confraternitates Sanctissimi Sacramenti, Adorationis Perpetuæ, Adorationis Nocturnæ, et aliæ quæ ad Augustissimum Eucharistiæ Mysterium referuntur. Optarent Patres, ut hæ Sodalitates apud nos in posterum majori ubique studio foveantur;

II. Confraternitas Sacratissimi Cordis Domini Nostri Jesu Christi; cum Ecclesia pronuntiaverit hanc devotionem modo speciali horum temporum necessitatibus convenire;

III. Confraternitates, quæ omnibus in locis magno numero in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ erectæ sunt, inter quas generaliter loquendo antiquiores anteponere præstat; recentiores tamen minime negligantur, quas Indulgentiis Ecclesia locupletaverit, uti, e. g. Rosarii Viventis Societas;

IV. Alacriter item propagandæ sunt piæ Societates honori Sancti Josephi, Beatæ Virginis Sponsi augendo; eas enim sibi gratas esse non semel declaravit Summus Pontifex Pius Nonus;

V. Opportunum etiam videtur societates fovere Sanctis Angelis, maxime Custodibus colendis; quam devotionem summopere omnibus inculcant Patres;

VI. Simul, ut plura complectens bona, quæ tum ipsi precanti, tum omnibus hominibus præsertim vero peccatoribus, Deo opitulante benevertent, commendant Patres *Apostolatus* (ut dicitur) *Orationis* pientissimum opus, quod jam a SS^{mo} Domino Nostro Pio PP. IX. probatum fuit per Breve Apostolicum Cajetæ[1] datum, dum ibi ab Urbe exul commoraretur, ac deinde per aliud Breve Romæ[2] editum. Ita enim consilio Apostoli morem gerimus, qui voluit "primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus."[3]

[1] 19 Aug., 1849. [2] 26 Feb., 1861. [3] I. Tim. ii., 1.

VII. Huic valde affinis est alia Societas, precibus fundendis pro conversione ad fidem Acatholicorum hujus regionis instituta. Eam jam commendarunt Patres superioris Concilii Plenarii, sequenti decreto:

Commendamus fidelibus, ut societatem ineant, preces fundendi causa, ad Acatholicorum omnium qui nobiscum versantur patriæ necessitudine conjuncti conversionem, ut erroribus omnibus rejectis, uno ore glorificent Deum, in fidei unitatem concurrentes. Porro supplicandum Summo Pontifici duximus, ut indulgentiarum concessione foveat hoc pium studium, eas omnibus tribuens qui eum in finem preces fundunt.[1]

Tam pium opus, ad quod nos urget vel ipse amor patrius, maxime laudandum censuerunt Patres, simulque vota exprimunt ut ubique in hisce Provinciis instituatur.

VIII. Omni insuper studio prosequendas declarant illas Societates quæ simul et pietatem fovent, et augmentum religionis, atque Ecclesiæ dilatationem. Inter quas eminet Societas Fidei Propagandæ, quæ maxime Catholica est, et a quâ tot ac tanta bona in rem Catholicam in his regionibus jam derivata sunt. Eam, ut par est, commendarunt decessores nostri in primo Concilio Plenario, hisce verbis:

Hortantur Patres ut ubique per hasce Provincias pia ad propagandam fidem Societas extendatur ac promoveatur, quæ in Galliis cum tanto religionis profectu existit.[2]

Huic affinis est Societas Sanctæ Infantiæ. Præcipue vero laude ac commendatione dignissimam duxerunt Patres Sancti Petri Archiconfraternitatem, cujus utilitatem, immo necessitatem alio in loco jam inculcarunt.

IX. His demum adjungendæ sunt Societates quæ simul operibus pietatis incumbunt, et opera misericordiæ, sive quæ animas sive quæ corpora juvent, exercent. Inter illas primo

[1] Balt. Num. 98. SS^{mus} Dominus Noster Pius PP. IX. petitioni superius expositæ benigne annuit, atque indulgentias nonnullas in perpetuum concessit, die 5. Septembris, 1852.—Vide Appendicem, num. xxxiv.

[2] Ibid., 97.

venit Societas a S. Vincentio a Paulo dicta, quæ late diffunditur, temporum nostrorum adjunctis aptissima est, et uberrimos fructus non una in regione jam tulit.

479. Sunt plures ex supradictis societatibus quæ tum viros tum fæminas complectuntur, aliquibus mulieres excludentibus. Omnino itaque instituendæ et fovendæ esse videntur piæ mulierum Sodalitates, quæ necessitatibus tum spiritualibus, tum corporalibus, maxime sequioris sexus, efficacius provideant, infantibus, pueris et puellis præsertim orphanis, ægrotantibus, senibus, pauperibus, omnibus demum egentibus vitæ necessaria suppeditantes, et de iis præsertim curam gerentes qui vel de fide vel de praxi religionis periclitantur.

480. Cum vero manifestum Patribus sit pias societates magno numero et diversa forma instituendas esse in unaquâque diœcesi, pro diversis locorum et temporum necessitatibus, hæc regulæ generalis instar in earum moderamen notare voluerunt.

I. Novæ societates non instituantur, si veteres sufficiant. Si enim facilius aures præbeantur novitati, veteres societates certo periclitabuntur, novarum successus anceps erit.

II. Sacerdos novam non instituat societatem, nisi veniâ præhabita Episcopi, quæ in scriptis dari et servari debet.

III. Si novas societates instituere necessum sit, adhibeantur, in quantum fieri possit, veterum regulæ et agendi praxis, ut Indulgentias quibus istæ auctæ sunt, novi socii lucrari possint.

IV. Societas nova ab Episcopo ne probetur, quam non constat esse prorsus Catholicam, tum quoad finem quem sibi præstituunt socii, tum quoad leges quibus devinciuntur, et quæ absolute auctoritati canonicæ Episcopi non subjaceat. Alias tolerare forte quandoque licet, ast minime probandæ sunt.

481. Optimum etiam fore duxerunt Patres si, ut mos erat

avitæ fidei sæculis, Operariorum Sodalitates, quæ in mutuum auxilium inter ipsos coalescunt, reduci ad normam Catholicam possent, et Ecclesia benedicente institui. Sic enim quæ sæpe exinde oriuntur mala præcaverentur; plura vero bona spiritualia et temporalia perciperentur.

482. Demum, ut ad pias sodalitates fideles alliciantur, exteriora adhibeantur media oportet; celebrentur scilicet earum festi dies speciali cum solemnitate; appositæ illis fiant instructiones; in processionibus, et aliis Ecclesiæ cæremoniis, quantum per rubricas liceat, locus proprius illis detur; omnis tandem honoris illis deferendi occasio arripiatur. Sic enim iis dilatatis, bona obvenient quamplurima; magno vero adjumento pastoribus animarum piæ illæ Sodalitates erunt.

CAPUT IV.

De Nigrorum Salute Procuranda.

483. Cum Pastorum sit totius gregis sibi crediti curam gerere, speciatim illis onus incumbit pro iis invigilandi qui vel majori periculo exponuntur, vel minori virtute præditi difficilius Satanæ conatibus resistere possunt. "Debemus" enim "nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere;"[1] et quantum in nobis est, omnibus, pro quibus Christus sanguinem fudit, redemptionis beneficia exhibere.

484. Libenter itaque iis assentimur, quæ de salute et Christiana educatione emancipatorum Nigrorum uniformi ratione procuranda habentur in Instructione ab Emo. Cardinali Præfecto Sacræ Congr. de Propaganda Fide, data[2] ad R^{mum} Delegatum Apostolicum pro hoc Concilio Plenario habendo.

[1] Rom. xv., 1. [2] 31 Jan., 1866. Refertur, *supra*, in Actis.

Ut enim ibi dicitur, "de ea re agitur, quæ summæ prorsus necessitatis est; cui nisi statim provideamus, tantam messem in horrea Christi colligendo, hominum inimicorum fraudibus, ac cupiditati, irreparabili plane damno objiciemus." Et sane cum quotidie videamus heterodoxos homines nulli labori parcere, ut erronea de religione placita mentibus Nigrorum inserant, nos, qui Christi boni Pastoris ministri et adjutores sumus, vel per segnitiem vel per incuriam eos deserere, prorsus dedeceret. Hæc enim est vera charitas, si non bona tantum temporalia hominibus augeantur, verum si participes fiant summi illius ac pretio omni majoris beneficii, libertatis scilicet illius veræ, quâ filii Dei nominamur et sumus, quam Christus moriens in cruce, veteri hoste profligato, omnibus nullo excepto hominibus comparavit.

485. At vero diu collatis, ut rei magnitudo postulabat, consiliis, id certum omnino videtur, non uno eodemque modo in omnibus nostris diœcesibus agi hac in re posse. Aliter enim alii homines judicia ferunt; alia aliis in locis sunt rerum adjuncta, aliæ difficultates quæ erunt superandæ, alia media quæ forte præsto erunt. Vix igitur et ne vix quidem, in tanta regionum amplitudine et diversitate regula generalis statui potest. Unde melius videtur si Ordinariorum zelo ac prudentiæ decernendum relinquatur, quid in diversis locis in bonum Nigrorum sit agendum. Si itaque, omnibus bene perpensis, Ordinario in Domino videatur saluti Nigrorum profuturum, ut ecclesiæ separatæ pro ipsis construantur, omnino laudandus erit, qui hoc opus, debita cum licentia, fuerit aggressus. Si vero alibi consultius judicabitur Nigros potius invitare ad ecclesias jam erectas simul cum aliis frequentandas, curet Ordinarius id ea fieri ratione, ut amplius nulli accusationi vel accusationis prætextui Ecclesia subjiciatur. Hoc enim graviter onerat conscientiam nostram, ut omni ad Christum accedere volenti pateat aditus; omnibus petentibus

præsto sint, qui sacramenta ministrent; ac omni modo provideatur locus, in quo omnes, qui volunt, diebus Dominicis ac festis Missæ tremendo sacrificio adstare possint. Quod si per socordiam præstitum haud fuerit, opprobrium maximum is merebitur, qui officii oblitus, media salutis omnibus petentibus non præbuerit, sive nigri sint illi, sive alii, qui ob ejus incuriam perierint. Judicem enim olim habebit Illum, "qui pusillum et magnum fecit, et cui æqualiter cura est de omnibus."[1]

486. Sed jam nos docuit Christus, pastori bono non satis esse de iis qui sunt in ovili curam habere, vel etiam ostium apertum tenere ita ut omnes ingredi possint. Si enim vel unam ovem perdiderit, alias dimittens, eam quærens per aspera vadit et montana loca, frigoris vel caloris intemperiem nihili facit, dura quæque et ardua superat, donec tandem lætus redeat inventam super humeros ferens. Neque nos igitur contenti esse debemus, si volentibus præsto simus; sed et nolentes compellendi sunt, ut intrent, et cœnæ magnæ assideant.[2]

487. Maxime itaque in votis habemus, ut viri Apostolici missiones in locis ubi abundat multitudo Nigrorum instituant, ad quas istius coloris homines invitent. Si enim omnibus methodus ista Verbi Dei prædicandi plura affert bona, iis potissimum proderit, qui rerum divinarum ignari, et res omnes sensibus metientes, acriori indigent stimulo, ut ad cœlestia percipienda se tandem erigant. Ordinarios itaque locorum, animarumque pastores in Domino hortamur atque obsecramus, ut nulla morâ interposita, missionum beneficia Nigris, qui illorum curæ demandati forte sunt, omnino procurent.

488. Attamen probe novimus difficultatem maximam in eo esse sitam, quod sacerdotes tanto numero non habeamus, ut magnum hoc opus rite ubique instituatur. "Parvuli petunt

[1] Sap. vi., 9. [2] Luc. xiv., 16–23.

panem, et non est qui frangat eis."[1] Præcipue itaque curandum, ut operariorum numerus augeatur. Sacerdotes per viscera misericordiæ Dei nostri rogamus et obsecramus, ut quantum in ipsis est, huic operi vires, tempus, seipsos denique totos, si fieri potest, devoveant. Superiores ordinum Regularium aliquos ex suis alumnis designent, qui in auxilium veniant Episcoporum; sacerdotes sæculares, quos in hoc opus Dominus vocaverit, omnibus aliis relictis, Nigrorum saluti procurandæ, debita præhabita Ordinarii venia, se totos tradant. Si qui etiam ex sacerdotum copia, quâ regiones Europæ Catholicæ lætantur, Dei spiritu moti nobis auxilio esse velint, illis in memoriam revocamus messem quidem multam hic esse, operarios autem paucos.

489. In hac autem re, sicut in aliis similibus apud nos, præsertim juventuti ad veram pietatem educandæ incumbendum est. Hi enim, si veritates religionis a teneris annis edoceantur, ac si eorum animi ad eam quam decet normam efformentur, primo pueri devoti, postea vero homines vere Christiani erunt. In id etiam totum incumbit sectariorum studium, ut per scholas (quas vocant) libertorum, puerorum puellarumque animis errorum portenta, quæ ipsi tenent, alte imprimant. His itaque conatibus pro virili est obsistendum. Quam rem zelo ac charitati commendamus Ordinum Religiosorum utriusque sexus, qui ex instituto pauperibus educandis operam dedunt. Seges namque uberrima ipsis colligenda offertur. Quod si tantam salutis alienæ procurandæ occasionem neglexerint, quomodo effugient![2] Volumus itaque ut, ubicumque id fieri poterit, scholæ Catholicæ pro Nigris statuantur.

490. Ex peculiaribus vero rerum adjunctis in quibus versantur Nigri emancipati, timendum etiam est, ne plures ex eorum parvulis orphani fiant, quibus providere omnino

[1] Thren. iv., 4.

[2] Hebr. ii., 3.

debemus. Locorum itaque Ordinarios adhortamur, ut ubi hujusmodi orta fuerit necessitas, opportunis charitatis Christianæ remediis illi occurrere satagant. Illi vero viri vel mulieres religiosi, qui orphanorum istorum curam gesserint, benedictionem uberrimam a Domino obtinebunt; Christum siquidem ipsum, in parvulis ejus omnium maxime derelictis, hospitem collegerint ac nudum cooperuerint.[1]

491. Demum, de hisce omnibus, necnon et de meliori atque efficaciori methodo Nigrorum Salutem promovendi, cum varia variis in locis forent forte præscribenda, censuerunt Patres, in Conciliis Provincialibus proxime habendis, maxime vero iis in Provinciis ubi hujusmodi Nigri majori numero versantur, esse diligenter pertractandum.

[1] Matth. xxv., 34, 35.

TITULUS XI.

De Libris et Ephemeridibus.

CAPUT I.

De Fugienda pravorum Librorum Lectione.

492. Ex arte typographica, quemadmodum ex tot aliis egregiis recentiorum sæculorum inventis, plurima et præclara in literas, scientias, Religionem ipsam, atque adeo in universam hominum vitam atque societatem commoda redundasse, nemo est quin compertum habeat ac libens fateatur. Atque utinam mirabili hoc opere et artificio, quo scripta pene incredibili celeritate multiplicantur et ubique locorum diffunduntur, studiosi ac periti homines unice ad augendam Illius laudem, a quo descendit "omne datum optimum et omne donum perfectum,"[1] ad animarum salutem promovendam, ad honeste delectandum ac docendum uterentur! Utinam ii tantum libri, qui ad pietatem ac sanctos mores instillandos tutandosque, ad artes literasque humaniores excolendas et ornandas, ad sacros codices et divina eloquia vulganda illustrandaque, denique ad SS. nostram Religionem prædicandam atque amplificandam facerent, prælo committerentur! Tunc enim, in Evangelio pacis disseminando Deique regno in terris longe lateque propagando, sacrorum præconum ac Dei minis-

[1] Jac. i., 17.

trorum quasi socios et æmulos typothetas haberemus. Atque ita quidem facillima et tutissima omnibus pateret via ad cœlestem illam sapientiam, quæ optima est humanæ vitæ dux et magistra, assequendam et arripiendam. Hæc quippe est sapientia vera, maxima, unica, quæ nos Deo caros acceptosque reddit, quæ tanquam clarior ipsa luce et sole speciosior a divinis Scriptoribus prædicatur; quæ hominem in operibus sobrie deducit, eumque potentia sua custodit; quæ filiis suis vitam inspirat, inquirentes se suscipit et præit in via justitiæ; quâcum denique habitandum est ut a Deo diligamur, vitæque æternæ hæreditatem adipiscamur.[1]

493. Verum proh dolor! egregiam hanc artem, vel ab ipsis repertæ typographiæ exordiis, vaferrimus ille Dei hominumque hostis totam ad se rapere et in usus suos convertere studuit. Et sane vix credibile dictu est, quos sæculo decimo sexto progressus hæreses habuerint, quot animarum strages ediderit infernus ille prædo et homicida, ingeniosæ hujus ac prope divinæ artis beneficio. Tanta est humanæ naturæ imbecillitas, tanta Dœmonis in perdendis hominibus a Christo redemptis constantia et malignitas! Quod si superioribus sæculis homines, Dœmonis astu illecti et abrepti, tam præclaro Dei dono tam turpiter abusi fuerint; quid de pessimo hoc miserrimoque, quo vivimus, sæculo dicendum est, quo non jam libertas, sed effrænata scribendi quæ libeat typisque imprimendi licentia, instar fluvii ruptis aggeribus ripas prætergressi, in immensum excrevit, totumque, qua late patet, orbem impiis, pestiferis, in probos mores, Ecclesiam, Deumque ipsum injuriosis et contumeliosis scriptis inundavit?

494. Et re quidem vera inter innumera, quæ hac ætate quaquaversus grassantur, mala, nullum est quod magis lacrymis plorari debeat, nullum quod majus fidei ac moribus Christifidelium detrimentum inferat, quam "teterrima illa tot

[1] Sap. vii., 28, 29; ix., 11. Eccli. iv., 12–14.

undique volantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi ac fallaciæ et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in Christianæ plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant."[1] Etenim quotidie prostant sub omni forma, vilique pretio circumferuntur pravi libri, libelli, novellæ, nec non et ephemerides, quæ ab omnibus fere teruntur. Quodque maximopere dolendum est, nonnulli ex his libris, novellis, diariis, foliis publicis, aliisque hujusmodi, quorum scriptores Religionem ac morum honestatem, si non aperto marte, at insidiose et quasi cuniculis aggrediuntur et evertere student, a Catholicis hominibus emuntur, aut eorum ære collato juvantur et sustentantur, in eorum domos recipiuntur, et ab eorum liberis et domesticis lectitantur. Lugenda sane istorum parentum est cæcitas, qui sibi suisque foveam suis ipsi manibus fodiunt ac ruinam parant! Quid mirum enim, si hinc, spreta religione et excusso quolibet modestiæ et verecundiæ fræno, præter peccata plurima et scandala, sequatur etiam casus in præceps interitusque familiarum? Neque enim ita "potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant."[2]

495. Quum igitur nostri muneris sit huic malo pro viribus mederi, hoc grave periculum omni quo possumus studio a gregibus nobis concreditis propulsare et avertere, singulos animarum Pastores enixe hortamur et obsecramus, ut fideles sibi commissos ac præsertim patresfamilias sæpe graviterque moneant, ut libros quoscumque, quibus Religio aut boni mores lædi ac violari possunt, procul a se suisque domibus arceant, seduloque invigilent, ne filiorum aut domesticorum manibus terantur. Serio iis in mentem revocent B. Pauli

[1] SS. D. N. Pius PP. IX., in Ep. Encyclica "Qui pluribus," die 9. Nov., 1846.
[2] Prov. vi., 27.

verba, qui negligentes et ignavos parentes quasi ejuratæ fidei reos arguit: "Si quis suorum et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior."[1]

496. Inter libros qui in scholis pro adolescentibus instituendis adhibentur, nonnullos sæpe invenire licet, qui, cæteroquin præstantissimi, Ecclesiam Catholicam, ejusque res gestas, mores, instituta, præclaros viros aut inepte vellicant, aut fœdissimis calumniis et contumeliis proscindunt. Hos antequam ad puerorum manus deveniant, ne venenum incautis propinetur, diligenter expurgandos jussit Concilium Baltimorense I.:

Statuimus, quamprimum edendos in scholarum usum, erroribus omnino expurgatos, atque judicio Episcoporum approbatos libros, quibus nihil contineatur quod Catholicæ fidei odium vel invidiam parere possit.[2]

497. Utque libris in scholarum usum aut veteribus emendandis, aut cudendis novis, certa quadam ac stabili ratione provideretur, in eodem Concilio decretum hujus tenoris latum est:

Visum est Patribus, munus seligendi, componendi vel corrigendi libros in Catholicorum collegiorum et scholarum præsertim usum, et ut ab omni errore contra fidem expurgati in lucem edantur curandi, committere Præsidibus, pro tempore existentibus, trium collegiorum in Archidiœcesi Baltimorensi, nempe S. Mariæ Baltimorensis, S. Mariæ apud Montes, et collegii Georgiopolitani. Sanxerunt etiam Patres, ut hi libri cum approbatione duorum saltem ex Præsidibus prædictorum collegiorum, atque ex auctoritate Archiepiscopi Baltimorensis, typis mandentur; operam omnem se adhibituros pollicentes, ut in collegiis, scholis, et ubique apud fideles, recipiantur.[3]

[1] I. Tim. v., 8.

[2] In fine Decr. Balt., 34, jam sup. majori ex parte allati.

[3] Ibid., 38.

CAPUT II.

De bonis Libris Disseminandis.

498. Quod si perversos libros et libellos omni, quâ pollemus, vi e medio tollere debeamus, nihil ex parte nostra prætermittendum oportet, ut libri salubres, sanæ doctrinæ, et qui vere prosint legentibus, locum pravorum suppleant vel præoccupent. Quod Patrum Concilii Baltimorensis I. provida mens jam viderat, atque hoc lato decreto perficiendum curaverat:

Insuper, sapientissimis monitis Summi Pontificis Leonis XII. fel. mem. ad Archiepiscopum Baltimorensem directis obsequentes, statuimus societatem quamdam ad disseminandos libros Catholicos instituendam, quæ ex prælatis hujus provinciæ, et aliis quos sibi adsciscant, constet.[1]

499. Maxime igitur in votis habemus, ut piæ hujusmodi Societates ubique existant, ad libros bonos ac tractatulos, ut nostrates loquuntur, Catholicos edendos et disseminandos, tam parva mole et exiguo pretio, ut ab omnibus facile comparari queant. Eos insuper viros, sive clericos sive laicos, qui necessariis dotibus pollent, in Domino provocamus et incitamus, ut, quocumque potuerint modo, sive scribendo, sive adjuvando scriptores, in propagationem Fidei Catholicæ morumque honestatis vires impendere non detrectent.

500. Quum vero non multo ante Societas quædam, quæ vulgo "Catholic Publication Society," (seu pro libris Catholicis evulgandis) appellatur, Neo-Eboraci instituta fuerit, et hucusque laudabili diligentia, constantia, et non mediocri utilitate hunc in finem laborarit, eam omnino dignam judicamus, quæ Antistitum, Sacerdotum, et Catholicorum omnium

[1] In fine Decr. Balt., 35.

industriis, opibus, studiisque foveatur. Quo melius igitur atque certius ejus fructus et utilitates per universam hanc regionem propagentur, haud inopportunum ducimus Præsules monere et hortari, ut in singulis diœcesibus ejusdem Societatis aggregationes seu affiliationes constituantur, cujus præfecti, sive alius cujuslibet nominis officiales, libris ibi in lucem edendis, aut aliunde allatis, in vulgus disseminandis invigilent. Quoniam vero sine magna pecunia hæ Societates ali et sustentari vix possint, ne deficiant et optato successu fraudentur, iis providendum erit, aut per collectas semel quotannis, tempore ab Ordinario designando in præcipuis Ecclesiis faciendas, aut alio quocumque modo, quem Ordinarius magis expedire judicaverit.

501. Quas quidem Societates nos eo majori studio atque animi alacritate tueri, juvare, et propagare decet, quo magis in dies augentur conatus et prope incredibilis diligentia impiorum hominum et sectariorum, qui omne tempus, ingenium, pecunias, studia, labores eo conferunt, ut detestabiles contra Deum, Sacrosanctam Ejus Ecclesiam, moresque honestos, libellos, numero fere infinitos, ubique locorum disseminent. Ecquis est, qui nesciat nostros ex omnibus fere sectis hæreticos eumdem in finem conspirasse, atque in immensam quandam coiisse societatem, linguis quidem inter se Babelitarum more discordes, at contra relictam in terris a Deo veritatis Cathedram unanimi fœdere conjunctos; qui hoc sibi propositum habent, ut quod Infernus fur et homicida insidiis suis artibusque nondum est assecutus, ipsi libellis suis et tractatulis perficiant, animasque Catholicorum deleta fide, sine qua nemo Deo placere et juste vivere potest, in perpetuum interitum aucupentur. Atque horum quidem opuscula, blasphemiis et mendaciis referta adversus Ecclesiæ doctrinam, ritus, et instituta, ubique gentium videre licet, vilissimo aut nullo pretio lectoribus exposita; neque inter heterodoxos tantum, sed et

inter Catholicos Europæ populos, et inter Sinas, Indos, aliasque dissitas extremi orbis nationes. Documento igitur nobis sint hostes ipsi, quâ diligentia, quo animi ardore, quâ constantia "bonum certamen fidei"[1] certare debeamus. Haud multum sane laudis in eo est, ut, quod impii homines in causa pessima faciunt, nos in optima faciamus, quemque ii in perdendis animabus impendunt laborem, nos eundem in servandis impendamus: at eos ne ulla quidem ex parte æmulari, turpissimæ ignaviæ est.

CAPUT III.

De Libris inter precandum adhibendis.

502. Libri Precum, seu precatorii, apud nos eo numero jam circumferuntur, ut, si querelæ locus sit, eorum potius abundantiam quam inopiam conqueri debeamus. Quod vero de multiloquio monent Sacræ Literæ,[2] nempe in illud facile vitia posse irrepere; id in maxima, quâ obruimur, piorum librorum multitudine, haud semel evenire experientia compertum est. Typographi enim suo genio indulgentes, aut imprudenti scriptorum pietati inservientes, nonnullos aliquando hujusmodi libros suo arbitrio ediderunt, in quibus reperiuntur quædam ineptæ et minus decentes, interdum etiam insulsæ et inficetæ orandi formulæ et Litaniæ, quæ cordatioribus nauseam et bilem moveant. Jam vero Ecclesiæ lege, libri ad Religionem et Dei cultum spectantes sine Ordinarii approbatione prælo committi vetantur: quod si, Episcopo inconsulto aut invito, in lucem prodierint, eorum lectione abstinendum est. Quod omnibus in memoriam hoc decreto revocavit Concilium Baltimorense I.:

[1] I. Tim. vi., 12. [2] Prov. x., 19.

Quoniam multa incommoda jam orta sunt, et in posterum oritura videntur, ex eo quod in diversis hujus provinciæ (Regionis) diœcesibus diversi catechismi et libri precum adhibeantur, privata auctoritate editi, * * * * * moneant (Episcopi) fideles ut a precum libellis, qui sine Ordinarii approbatione a privatis quibuscumque in lucem editi circumferuntur, abstineant.[1]

503. Ne vero laudabilis typographorum industria, aut pius scriptorum animi ardor ac devotio extra debitos prudentiæ limites vagaretur, sequenti decreto, provisum voluerunt:

Consulendum Episcopis, ut in suis quisque diœcesibus unum aut plures sacerdotes scientia theologiæ insignes designent, qui examini subjiciant libros precum, aut aliter ad religionem pertinentes, priusquam ab Ordinario aut Vicario ejus generali approbatione fidelibus commendentur. Optandum etiam, ut praxis aliorum quam Ordinarii loci, ubi hujusmodi libri publici juris fiunt, approbationem petendi in desuetudinem abeat.[2]

Quod decretum iterum confirmamus, atque ita ampliamus, ut omnes Episcopos obligandi vim habeat, in quorum diœcesibus sint præla aut typographea Catholica.

504. Curetur etiam, ut in hujusmodi libris examinandis et corrigendis, Theologi examinatores styli defectibus ac vitiis, quæ nonnunquam graviora sunt, et nobis quandoque ab Acatholicis vitio vertuntur, sanandis medicas manus adhibeant. Diligens quoque in eo ponatur opera, ut ne quævis Litaniæ in honorem Sancti cujuslibet concinnatæ temere admittantur: sed fiat delectus, et iis quæ orthodoxæ fidei maxime conformes fovendæque pietati aptiores videantur, cæteris exclusis, locus concedatur. Quæ tamen sedulo, ita ut discrimen facile ab omnibus dignoscatur, separandæ sunt et distinguendæ a tribus illis Litaniis, Sanctorum scilicet, Beatæ Mariæ Virginis, et Sanctissimi Nominis Jesu, quas probavit atque indulgentiis ditavit Ecclesia.

[1] Balt., Num. 32.

[2] Ibid., 85.

CAPUT IV.

De Ephemeridibus.

505. Quæ superius de libris, sive bonis, sive malis diximus, ea pariter Ephemeridibus seu Foliis publicis aptari facile possunt. Harum quoque nonnullæ impiæ sunt et execrabiles, aliæ quamplurimæ ad mores corrumpendos maxime idoneæ; paucæ quædam e contra, quæ utcumque tolerari possint, paucissimæ omnino, quæ laudem et commendationem mereantur. Earum, quæ improbæ sunt, lectio a Pastoribus animarum omnino cohibenda est; caute tamen et prudenter, neque semper nominatim, ne juniorum aut rudiorum animi ad avidius legendum hac ratione inflammentur. Bonas vero et in bonum Religionis animarumque spirituale emolumentum conscriptas sive consarcinatas commendent, et a suis sustentandas, legendas, et disseminandas curent.

506. Evenire aliquando potest, ut Folia publica a Catholicis viris scripta aut directa, in bonum Catholicæ fidei indirecte vertant. Ne tamen ea, quæ ipsi politicarum partium studio ducti conscribunt, Religioni Catholicæ aut Ecclesiasticæ auctoritati tribuantur, ut a malignis quibusdam adversariis aliquando fit, id omnibus notum et manifestum esse volumus, nullam a nobis Ephemeridem pro Catholicâ agnosci, quæ non Ordinarii approbationem præ se ferat.

507. In pluribus diœcesibus extant Ephemerides quædam, quæ vel ipso nomine Catholicas se profitentur, quæque Ordinarii approbationem quodammodo præ se ferunt. Iis enim veluti mediis et instrumentis utitur Episcopus, quibus clero ac populo mentem suam ac mandata significet. Hinc vulgato apud nos loquendi more, *Organa Officialia* (Official Organs) vocantur; quasi singulis earumdem paginis ac lineis, ipse qui

Episcopali dignitate et officio fungitur, gregem suum alloquatur ac doceat. Quæ sane opinio, falsa illa quidem, sed ex male intellecti nominis errore orta, fere omnium, præsertim hæreticorum, mentes pervagata est. Ex quo nasci solet incommodum neque leve, neque diutius ferendum; dum scilicet ea omnia quæ ab harum Ephemeridum seu Foliorum scriptoribus, humani aliquid forte patientibus, falso, inconcinne, intemperanter dici possunt, ipsi Episcopo quasi vi officii sui populos docenti tribuuntur.

508. Ut igitur in posterum Episcopale officium ac munus hoc onere atque incommodo levetur; ut vera *relatio*, ut loquuntur, Ordinarii ad Folia Ecclesiastica seu Ephemerides Catholicas recte et perspicue intelligatur; ut demum nullus aut nostris aut adversariis supersit dubitandi aut cavillandi locus, Patres hujus Concilii Plenarii profitentur atque declarant, approbationem Ordinarii, quæ de more Foliis Catholicis datur, nihil aliud sibi velle, quam judicare Episcopum nihil a scriptoribus contra fidem et mores proferri, spem quoque bonam se habere nihil in posterum proferendum, eosque esse redactores quorum scripta ad ædificationem utilia esse possint: Episcopum vero neque posse neque debere respondere ac rationem reddere de iis universe, quæ in hujusmodi Foliis habentur, sed de iis tantum, quæ vi officii sui docendo, monendo, jubendo, aut vetando in vulgus ediderit, et quibus sua ipse manu subscripserit. Atque hæc quidem posthac in Pastorali hujus Concilii epistola Anglico sermone conscribenda, ut ad omnium ad quos spectat notitiam deveniant, disertius ac fusius commemoranda atque explicanda decernimus.

509. Arbitrati sunt nonnulli e re Catholica fore, si habeatur Ephemeris quædam Religioni Catholicæ explicandæ, illustrandæ, vindicandæ unice dedita, cujus dominium, et administratio sint penes Archiepiscopos Baltimorensem et Neo-Eboracensem, aliosque, si videbitur, Metropolitas; quæque

omnium Episcoporum studiis commendata et subsidiis adjuta, tandem numeris omnibus absoluta evadat. Reditus inde provenientes, siqui supersint, cedere possent in bonum Societatis pro libris Catholicis vulgandis (Catholic Publication Society), aut cujusvis alîus, quæ in communem utilitatem fuerit instituta. Alii utilius futurum existimant, si loco Ephemeridis hebdomadalis, majori mole, quater in anno edendam Recensionem quandam (Quarterly Review), Acta scilicet Literaria scriptis recensendis castigandisque, haberemus. Ordinariorum judicio res tota relinquitur.

510. Confirmantur hæc omnia gravissimis SS^mi Domini Nostri Pii PP. IX. verbis nuperrime prolatis, quibus mala ex pravarum Ephemeridum lectione orta commemorat, eorumque studium commendat ac laudat, qui funestæ huic pesti per bonas ac Catholicas Ephemerides remedium aliquod afferendum curant:

"Incredibili certe animi Nostri mœrore * * vidimus et lamentati sumus maxima et nunquam satis lugenda damna et mala, quæ asperrimis hisce temporibus Catholicæ Religioni, ac vel ipsi Civili Societati inferuntur ab omnis justitiæ ac veritatis osoribus, per pestiferos libros, libellos, et præsertim Ephemerides perniciosissimis quibusque erroribus pravisque doctrinis plenissimas, ac acerrimo planeque diabolico contra divinam nostram Religionem odio conscriptas, ac longe lateque in vulgus editas ac disseminatas. Itaque inter alia haud omisimus viros pietate, ingenio, sanaque doctrina præditos etiam atque etiam excitare, ut, sub proprii potissimum Antistitis ductu, suis scriptis augustam nostram Religionem defenderent, ejusque oppugnatores refutarent, ac tot monstruosa illarum opinionum portenta detegerent, refellerent, profligarent, et incautorum præsertim hominum, ac imperitæ juventutis cereæ in vitium flecti, mentes animosque veritatis lumine illustrarent. (Alloc. 20 April., 1849.) Ac non mediocri

certe afficimur lætitia, cum complures ubique surrexerint viri, qui Nostris hisce exhortationibus ac votis perlibenter obsequentes, et egregio erga Catholicam Ecclesiam et hanc Sanctam Sedem studio animati, idoneis scriptis teterrimam tot serpentium errorum colluviem, ac funestam pravarum Ephemeridum pestem propulsare, et veritatem justitiamque tutari, cum sui nominis laude non desinunt."[1]

[1] Literæ Apostolicæ, 12 Feb., 1866.

TITULUS XII.

De Societatibus Secretis.

CAPUT UNICUM.

511. Societates Secretæ, quæ in tenebris se occultant, ut adversus Ecclesiæ vel civilis societatis bonum securius moliantur, semper damnavit Ecclesia Catholica. Liberorum enim Muratorum sectam, seu Masonicam, jam inde ab anno 1738 edita Constitutione Apostolica Romanus Pontifex Clemens XII.[1] gravissima censura notavit: quæ sententia deinde per Summos Pontifices Benedictum XIV., Pium VII., Leonem XII., et Pium VIII. specialibus Constitutionibus renovata, confirmata, et ampliata fuit.

512. Neque neglexit Pontifex feliciter regnans huic gravissimo nostrorum temporum malo, omni quo posset modo occurrere. Nam in speciali hac super re Allocutione, eam esse Ecclesiæ mentem declarat, ut Masonica "aliæque ejusdem generis Societates, quæ specie tenus diversæ in dies coalescunt, quæque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur,"[2] reprobentur prorsus ac condemnentur. Simul vero iis aggregati, vel quomodocumque faventes, gravissimis plectuntur Ecclesiæ pœnis, nominatim

[1] Const. In eminenti, die 28. April., 1738.

[2] Ex Allocut. Pii PP. IX., in Consist. Secr., 25 Sep., 1865.

vero excommunicatione, ipso facto incurrendâ, a qua absolutionem extra mortis articulum, nonnisi ab ipso Romano Pontifice, vel ab illo delegatis obtinere possunt. Quas quidem Cathedræ Principalis declarationes debita cum reverentia suscipientes, harum provinciarum Antistites, jam in Concilio Baltimorensi IV., decreto septimo, arcere conati erant fideles sibi commissos a tenebrosis hujusmodi sectis; quod decretum hisce verbis prolatum fuit:

513. Propter gravissimas rationes vetuerunt SS. Pontifices, ne fideles Secretas Societates quovis nomine nuncupatas ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam fœdera hujusmodi clanculum inita, mali suspicionem et periculum præ se ferunt, et jusjurandum temere adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes, neminem posse absolutione sacramentali donari, nisi ab hujusmodi Societatibus prorsus recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus fideles omnes, ut occulta illa fœdera omnino declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et Ecclesiæ quæ mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare, juxta sanctissima et divina illa documenta quæ Christus Dominus tradidit.[1]

514. Cum autem de sensu, quo Constitutiones Pontificiæ intelligendæ essent, omnes non prorsus convenirent, Franciscus Patritius Kenrick, Philadelphiensis tunc Antistes, S. Sedem consuluit de "Sociis Singularibus," (vulgo Odd Fellows) necnon de Filiis Temperantiæ, et aliis ejusmodi cœtibus, hanc proponens dubitationem: "Utrum cœtus illi pro vetitis habendi sint, qui profitentur se nihil adversus religionem moliri vel civilem rempublicam, licet occultum ineant fœdus juramento firmatum, vel alias se obligent ad arcanum?" Sacra autem Congregatio Inquisitionis, die 21. Aug., 1850, respondendum illi decrevit: "Comprehendi Bullis Pontificiis."[2]

[1] Balt., Num. 55. Jam inde ab anno 1810, in Baltimorensi Conventu, damnatæ fuerant hujusmodi Societates. Vid. Appendicem.

[2] Vide Responsum integrum, in Appendice.

515. Verum cum difficultates apud nos exortæ sint, ex eo quod plures sint operariorum, aliique hujusmodi cœtus, de quibus dubitatur an comprehendantur sub damnatione sæpius contra Societates Secretas a Summis Pontificibus lata, præstat rationes ob quas occultæ Societates huic judicio subjectæ sint, ipsissimis Pontificum verbis referre.

516. Jam vero Benedictus XIV., in Constitutione Apostolica, quæ incipit *Providas,*[1] hujus sententiæ causas luculenter enarrat. Hæc autem ex Benedicti Constitutione depromuntur:

"Porro inter gravissimas præfatæ prohibitionis et damnationis causas, in præinserta Constitutione[2] enunciatas, una est, quod in hujusmodi Societatibus et conventiculis, cujuscumque religionis ac sectæ homines invicem consociantur; quâ ex re satis patet, quam magna pernicies Catholicæ Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi conventiculis fiunt, quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimirum diversa protulit: 'Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt.' Tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur, quæcumque exquiruntur ad dignoscendum an aliquid in hujusmodi conventibus fiat quod sit contra Religionis, aut Reipublicæ statum, et leges. * * * * * Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eædem Societates et Aggregationes male audirent, eorumque judicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent."

517. Quibus quidem consentanea prorsus sunt, quæ in

[1] XV. Kal., Apr., 1751.

[2] Scil. Clementis XII., an. 1738.

Allocutione in Consistorio Secreto, 25 Sept., 1865, habita, in eamdem sententiam protulit Summus Pontifex, Pius IX.[1]

518. Ut vero omnis prorsus dubitandi auferatur locus, hic promulgari volumus Decretum S. Congregationis Inquisitionis, Fer. IV. 15 Aug., 1846, de Mandato Sanctissimi Domini Nostri ab E^{mo} Præfecto S. Congregationis de Propaganda Fide, sub die 13. Julii, 1865, jam quibusdam ex nobis significatum, cujus tenor est is qui sequitur: "Societates occultæ, de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eæ omnes intelliguntur, quæ adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando."

519. Quibus accurate perpensis, Nobis quidem nulla apparet ratio, ob quam prohibitio Ecclesiæ adversus Masonicam aliasque occultas sectas, ad illas extendatur operariorum Sodalitates, quas non constat aliud sibi proponere quam sociorum in propria arte exercenda mutuam tutelam ac juvamen. Cavendum tamen, ne sub hoc prætextu quidpiam admittatur, quod sectis damnatis faveat; neve operarii, qui his Societatibus nomen dant, pravis subdolisque malorum hominum artibus inducantur, ut contra justitiæ leges, laborem ab ipsis debitum subtrahant, vel alio quovis modo, eorum quibus subjiciuntur, jura lædant. Quæ tamen omnia nullo modo ita intelligi volumus, ut vel toleratæ habeantur illæ Societates, cujuscunque naturæ sint, in quibus socii ab ipso ingressu jurejurando se obligant ad obtemperandum iis, quæ a cœtus superioribus jussa forte fuerint, vel etiam secreti ineunt fœdus, quod neque interrogante legitima potestate violari impune possit. Illi etiam cœtus prorsus illiciti sunt, in quibus ita arcto fœdere in mutuam defensionem conjunguntur socii, ut exinde oriatur turbarum vel cædium periculum.

520. In mentem insuper revocandam ducimus sapientissimam Summi Pontificis provisionem, quæ Literis jam citatis

[1] Supra cit.

E^mi Præfecti S. Congregationis de Propaganda Fide nobis communicata fuit: "Voluit præterea Sanctitas sua, ut Tibi subjungeretur, recurrendum esse ad Sanctam Sedem, et quidem omnibus adamussim expositis rerum adjunctis, si quæ forte difficultates in applicatione prædicti Decreti inveniantur." Quibus verbis, cum novas quæstiones quæ de occultis sectis forte exurgere possunt, suo judicio dirimi voluerit Sancta Sedes, nolumus ut in posterum ullus in hisce Provinciis, in quâvis Ecclesiastica dignitate constitutus, nominatim Societatem damnet, nisi certo et præter omne dubium constet eam ex iis esse, quæ Constitutionibus Pontificiis, prout a Sacra Congregatione Inquisitionis applicatæ sunt, comprehenduntur. Si vero eæ fuerint circumstantiæ, ut ulteriorem expositionem doctrinæ jam traditæ postulare videantur, pro ea, "omnibus adamussim expositis rerum adjunctis," recurrendum esse monemus ad Sanctam Sedem, cujus sapientissimo judicio omnes pleno animo ac corde morem geremus.[1]

521. Monemus vero fideles nobis creditos, et in Domino hortamur et obsecramus, ut damnatis sectis prædictis omnino abstineant. Ut enim jam inclamavit Romanus Pontifex Leo XII.: "Pro certo habete, neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit; eorumque verba ab auribus repellite, qui ut vestræ in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti quod rationi, nihil quod religioni adversetur, imo nihil vel prædicari vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde, quamvis

[1] Juxta plurium Patrum sententiam, Decretum hoc numero positum omittendum erat; at ex voto S. C. videtur retinendum. Cf. Instructionem S. C. Specialem, Art. 4., supra.

quæ graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum Societatum vim et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt, consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt prætergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom., Cap. I.: 'Qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.'"[1]

522. Fideles itaque Ecclesiæ filii tenebricosos omnes cœtus prorsus fugiant, eos etiam qui districtissimis Ecclesiæ censuris haud comprehendi videantur. Pro animabus enim periculi plenos et hos esse, dubitare non licet. Pias potius frequentent "fidelium societates, quæ in Ecclesia Catholica florescunt;" in quibus "nihil retrusum atque abditum, patent omnibus leges quibus reguntur, patent quæ juxta Evangelii doctrinam exercentur opera charitatis."[2]

523. In istis scilicet, filii lucis quæ lucis sunt opera faciunt, secretum et tenebras non amant, immo vero odio habent et exhorrescunt. Caveant itaque fideles, et omni studio curent, ne in re tanti momenti decipiantur, ne sub boni specie in pessimam captivitatem trahantur, ne demum "in tenebris et in umbra mortis" versantes, spretis legibus sanctissimis, eas ineant conjurationes, quæ nostræ ætatis malum sunt maxime formidandum, quibusque unus tantum exitus esse posse videatur, ut scilicet omnia tum divina tum humana jura pessumdentur.

[1] Literæ Apostolicæ Leonis XII., Quo graviora, III. Idus Mar., anno 1825.
[2] Allocutio Pii IX., in Consist. Secret., 25 Sept., 1865.

TITULUS XIII.

De novarum Sedium Episcopalium erectione, deque Candidatorum Præsentatione.

CAPUT UNICUM.

524. Diu matureque deliberarunt Patres de novarum Sedium Episcopalium novorumque Vicariatuum Apostolicorum erectione a Sancta Sede postulanda. In eo vero convenere omnes, supplices ad Summum Pontificem mittendas esse preces, quatenus dignetur suprema sua auctoritate eos qui sequuntur erigere Episcopatus ac Vicariatus:—

525. I. In Provincia Baltimorensi:

1. Novam Sedem ad civitatem Wilmington, in Statu Delaware, quæ totam complectatur peninsulam inter Sinus dictos Chesapeake et Delaware jacentem; totum nempe Statum Delaware, una cum Comitatibus Marylandiæ dictos Cecil, Kent, Queen Anne, Caroline, Talbott, Dorchester, Somerset, et Worcester,[1] atque in Virginiæ Statu, Comitatus dictos Accomac et Northampton;

2. Novam Sedem ad civitatem Scranton, in Statu Pennsylvania, quæ ad Comitatus Bradford, Luzerne, Lycoming, Monroe, Pike, Sullivan, Susquehannah, Tioga, Wayne, et Wyoming extendatur;

[1] Quibus postea, per novam circumscriptionem, adjectus est comitatus dictus Wicomico, ex prædictorum partibus constitutus.

3. Novam sedem in civitate Harrisburg, in Statu Pennsylvania, quæ complectatur Comitatus Clinton, Centre, Mifflin, Franklin, Cumberland, Adams, York, Dauphin, Northumberland, Columbia, Lebanon, Lancaster, Montour, Union, Snyder, Juniata, Perry, et Fulton;

4. Novum Vicariatum Apostolicum in Statu North Carolina, qui ad integrum Statum extendatur.

526. II. In Provincia Oregonensi:

1. Vicariatum Apostolicum in Territorio Idaho, qui etiam illam Montanæ partem quæ ad occidentem Montium Saxosorum jacet complectatur.

527. III. In Provincia Sti Ludovici:

1. Sedem novam Episcopalem in Civitate Green Bay, (Sinus Viridis) in Statu Wisconsin, cujus sint limites; a parte Occidentali fluvius Wisconsin, a Meridie fluvius Fox, ab Oriente Lacus Michigan, et a parte Septentrionali ea pars Status Michigan, quæ jacet inter fontes fluvii Wisconsin ad Lacum Kattakittaken se se protendentis et prædictum Lacum Michigan;

2. Sedem Episcopalem in civitate Lacrosse, ejusdem Status Wisconsin, cujus limites sint; ab Oriente fluvius Wisconsin a Lacu Kattakittaken, a Meridie idem fluvius Wisconsin usque ad flumen Mississippi, ab Occidente flumen Mississippi ac Status Minnesota, a Septentrione autem Lacus Superior et ea pars Michigan, quæ est inter Lacum Superior et Lacum Kattakittaken;

3. Novam Sedem in Civitate Sancti Joseph, in Statu Missouri, quæ eam ejusdem Status partem complectatur, quæ a Meridie et ab Occidente fluvio Missouri, ab Oriente fluvio Chariton, a Septentrione Statu Iowa continetur;

4. Sedem Episcopalem in Civitate Omaha, in Territorio Nebraska, cui hujus Territorii Apostolicus Vicarius præficiatur.

5. Vicariatum Apostolicum in Territorio Montana, qui eam ejusdem Territorii complectatur partem, quæ ad Orientem Montium Saxosorum jacet;

6. Vicariatum Apostolicum pro Territoriis Colorado et Utah, qui ad eorum limites protendatur;

7. Vicariatum Apostolicum pro Territorio Arizona, cui etiam adjiciantur Comitatus El Paso, in Statu Texas, et Comitatus Messilla atque Doñana, qui nunc Episcopo Durangensi subjiciuntur.

528. IV. In Provincia Cincinnatens:

1. Novam Sedem in civitate Columbus, in Statu Ohio, quæ a Diœcesi Cincinnatensi dividatur per limites Comitatus Morrow, Delaware, Franklin, ac deinde ad Meridiem per fluvium Scioto usque ad flumen Ohio.

529. V. In Provincia Sancti Francisci:

1. Sedem Episcopalem in civitate Grass Valley, (*Vallis Pratensis,*) in California, cui præficiatur Vicarius Apostolicus Marysvillensis.

530. VI. In Provincia Neo-Eboracensis:

1. Novam Sedem in civitate Rochester, in Statu New York, quæ Comitatus qui sequuntur complectatur: nempe, Monroe, Wayne, Livingston, Cayuga, Tompkins, Seneca, Yates, et Ontario.

531. Pro Sedibus vero istis atque Vicariatibus nomina sacerdotum præsentarunt Patres, tria pro singulis, cum notulis et responsis quoad eorundem dotes a Sancta Sede requisitis, præterquam in casibus ubi præsentabantur Episcopi, uti pro Sedibus Columbus, Vallis Pratensis, et Omaha contigit. In postulatione tamen Coadjutoris pro Episcopo Marquettensi et Marianopolitano, ob infirmitatem gravem quâ, vel ineunte Concilio, erat venerandus ille Antistes correptus, haud potuit illam quæ oportebat suppeditare de candidatis notitiam, nec aderat alius qui defectum supplere posset.

532. Supplicarunt etiam Patres, ut Sedes Philadelphiensis et Milwaukiensis ad dignitatem Archiepiscopalem erigantur; quarum prior omnes Episcopos in Pennsylvania degentes haberet suffraganeos, altera vero, præter novas Sedes Lacrosse et Green Bay, etiam Sedem Sancti Pauli ex Provincia Sti Ludovici, et Marquettensem et Marianopolitanam ex Provincia Cincinnatensi, complecteretur. Petierunt insuper ut Episcopus Nashvillensis ad Provinciam Cincinnatensem transferatur. Supplicarunt demum, ut Vicariatus Apostolicus Columbiæ Britannicæ ad Provinciam Oregonensem pertinere declaretur.[1]

[1] Quæ sub hoc continentur numero a S. Cong. "in aliud tempus sunt remissa;" quod etiam de Vicariatu in Arizona, necnon et de erectione Sedis Episcopalis in Omaha, et nominatione Coadjutoris pro Marquettensi et Marianopolitano est factum. Ceteris vero postulationibus benigne annuit Sancta Sedes; uti constat ex Literis S. C. supra relatis, in Actis Concilii.

TITULUS XIV.

De efficaciori Decretorum Baltimorensium Executione Promovenda.

CAPUT UNICUM.

533. Monemus Episcopos, ut nullum non moveant lapidem, in Visitatione nempe Diœceseos, atque in Synodis tam Diœcesanis quam Provincialibus, necnon in Cœtibus Sacerdotum pro disciplinarum theologicarum discussione, quatenus in omnibus executioni mandentur hujus Plenarii Concilii Decreta; quorum collectio, prout nunc prostat, omnes complectitur et confirmat leges in præviis etiam Baltimorensibus Conciliis latis ac promulgatis, atque Sanctæ Sedis judicio recognitis.

534. Demum, quo melius ad omnium nostrorum Sacerdotum notitiam perveniant, efficaciusque in praxim deducantur hujus Plenarii Concilii Decreta, statuimus ista, postquam a S. Sede recognita in lucem edita fuerint, in Scholis nostris Juris Canonici ac Theologiæ, quasi norma quædam adhibeantur, quam in docendo Professores explicent et sequantur, alumnique omnes diligenter ac accurate addiscant.[1]

[1] De Ratione Relationis ad S. Cong. de Prop. Fide, statis temporibus faciendæ, vide Appendicem.

Ego, infrascriptus, mutationes et correctiones Decretorum in Actis relatas fideliter ex Secretariorum commentariis in pleno Concilio probatis excripsi, JACOBUS ANDREAS CORCORAN, S. T. D.
Secretarius.

Ego testor exemplar esse genuinum, et cum originali concordare,
FRANCISCUS JOS. PABISCH, S. T. D. et J. U. D.
Notarius.

Ego Cancellarius subscripsi, THOMAS FOLEY, S. T. D.
Cancellarius.

Ego Franciscus Jos. Pabisch, hujus Plenarii Concilii Notarius, testor Acta omnia et Decreta, quæ in hoc Libello, typis impresso, continentur, lecta fuisse et promulgata, quemadmodum prostant emendata, prout convenerat in Congregatione Metropolitarum, atque rite probata, in Sessionibus Solemnibus, in ecclesia Metropolitana Sanctæ Mariæ Baltimorensi, diebus 14, 18, et 21 Octobris, quæ ultima fuit apud nos Festum Maternitatis B. M. V., Anno Domini MDCCCLXVI.

FRANCISCUS JOS. PABISCH, S. Theol. et Juris Utriusque Doctor,
Notarius.

SUBSCRIPTIONES PATRUM.

Ego, MARTINUS JOANNES SPALDING, Archiepiscopus Baltimorensis, ac Sedis Apostolicæ Delegatus, definiens subscripsi.

Ego, FRANCISCUS NORBERTUS BLANCHET, Archiepiscopus Oregonensis, definiens subscripsi.

Ego, PETRUS RICHARDUS KENRICK, Archiepiscopus S. Ludovici, definiens subscripsi

Ego, JOAN. BAPTISTA PURCELL, Archiepiscopus Cincinnatensis, definiens subscripsi.

Ego, JOSEPH SADOC ALEMANY, Archiepiscopus S. Francisci, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Maria Odin, Archiepiscopus Neo-Aurelianensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes McCloskey, Archiepiscopus Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.

Ego, Richardus Vincentius Whelan, Episcopus Velingensis, definiens subscripsi.

Ego, Petrus Paulus Lefevre, Episcopus Zelanus et Coadjutor Administrator Detroitensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Martinus Henni, Episcopus Milwauchiensis, definiens subscripsi.

Ego, Augustinus M. A. Blanchet, Episcopus Nesqualensis, definiens subscripsi.

Ego, Amadeus Rappe, Episcopus Clevelandensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Timon, Episcopus Buffalensis, definiens subscripsi.

Ego, Modestus Demers, Episcopus Vancouverensis, definiens subscripsi.

Ego, Mauritius de Saint Palais, Episcopus Vincennopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, Joannes McGill, Episcopus Richmondensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Baptista Lamy, Episcopus Sanctæ Fidei, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Loughlin, Episcopus Brooklynensis, definiens subscripsi.

Ego, Jacobus R. Bayley, Episcopus Novarcensis, definiens subscripsi.

Ego, Ludovicus de Goesbriand, Episcopus Burlingtonensis, definiens subscripsi.

Ego, Georgius Aloysius Carrell, Episcopus Covingtonensis, definiens subscripsi.

Ego, Thaddeus Amat, Episcopus Montereyensis et Angelorum, definiens subscripsi.

Ego, AUGUSTUS MARTIN, Episcopus Natchitochensis, definiens subscripsi.

Ego, DAVID GULIELMUS BACON, Episcopus Portlandensis, definiens subscripsi.

Ego, HENRICUS DAMIANUS JUNCKER, Episcopus Altoniensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS DUGGAN, Episcopus Chicaginensis, definiens subscripsi.

Ego, GULIELMUS HENRICUS ELDER, Episcopus Natchetensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES HENRICUS LUERS, Episcopus Wayne-Castrensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS N. LYNCH, Episcopus Carolopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, FRANCISCUS P. MCFARLAND, Episcopus Hartfordensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS O'GORMAN, Episcopus Raphaneæ in part. infid. et Vic. Ap. Nebraskæ, definiens subscripsi.

Ego, THOMAS L. GRACE, Episcopus S. Pauli, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES QUINLAN, Episcopus Mobiliensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS FREDERICUS WOOD, Episcopus Philadelphiensis, definiens subscripsi.

Ego, MICHAEL DOMENEC, Episcopus Pittsburgensis, definiens subscripsi.

Ego, EUGENIUS O'CONNELL, Episcopus Flaviopolitanus, et Vic. Ap. Marysville, definiens subscripsi.

Ego, AUGUSTINUS VEROT, Episcopus Savannensis, definiens subscripsi.

Ego, CLAUDIUS M. DUBUIS, Episcopus Galvestoniensis, definiens subscripsi.

Ego, PETRUS J. LAVIALLE, Episcopus Ludovicopolitanus, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES J. CONROY, Episcopus Albanensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS AUGUSTINUS FEEHAN, Episcopus Nashvillensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES J. WILLIAMS, Episcopus Bostoniensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES HENNESSY, Episcopus Dubuquensis, definiens subscripsi.

Ego, SYLVESTER H. ROSECRANS, Episcopus Pompeiopolitanus et Auxiliaris Cincinnatensis, accepto per Patres Concilii voto decisivo, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES D. COADY, Administrator Eriensis, sede vacante, definiens subscripsi.

Ego, FERDINANDUS COOSMANS, S. J., Procurator Episcopi Messeniensis, Vicarii Apos. Montium Sax. ad Orientem, definiens subscripsi.

Ego, M. BENEDICTUS, Abbas Cisterciensis, definiens subscripsi.

Ego, BONIFACIUS WIMMER, O. S. B., Abbas S. Vincentii, et Præses Congr. Americano-Cassinensis, definiens subscripsi.

APPENDIX.

APPENDIX.

I. Ex Symbolo Fidei Concilii Toletani xi., a. d. 675.

[*Ad Titulum I.*]

Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse unius substantiae, unius naturae, unius quoque maiestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur: ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativitatem et Spiritus Sanctus processionem accepit: fons ergo ipse et origo est totius divinitatis. Ipse quoque Pater est essentiae suae, qui de ineffabili substantia Filium (al. Pater, essentia quidem ineffabilis, substantiae suae Filium) ineffabiliter genuit; Deus Deum, lux lucem: ab ipso est ergo omnis paternitas in coelo et in terra.

Filium quoque de substantia Patris sine initio ante saecula natum, nec tamen factum esse fatemur: quia nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando exstitit sine Patre: et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio: quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio; Pater quidem Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris et Deus de Patre; aequalis tamen per omnia Filius Deo Patri: quia nec nasci coepit aliquando, nec desiit. Hic etiam unius cum Patre substantiae creditur, propter quod et ὁμοούσιος Patri dicitur, hoc est, eiusdem cum Patre substantiae creditur: ὁμός enim graece unum, οὐσία vero substantia dicitur, quod utrumque conjunctum sonat una substantia. Nec enim de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia ejus, idem Filius genitus vel natus esse credendus est. Sempiternus ergo Pater, sempiternus et Filius. Quod si semper Pater fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset: et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem Filium Dei, pro eo quod de Patre sit genitus, defectae

naturae portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem perfectum Filium sine diminutione, sine defectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inaequalem Filium non habere. Hic etiam Filius Dei natura est Filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate nec necessitate genuisse credendus est; quia nec ulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam praevenit.

Spiritum quoque Sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque esse naturae: non tamen genitum vel creatum, sed ab utrisque procedentem amborum esse Spiritum. Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus nec genitus creditur: ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios praedicare monstremur: qui tamen nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur; quia caritas sive sanctitas amborum agnoscitur. Hic igitur Spiritus Sanctus missus ab utrisque creditur; sed minor a Patre et Filio non habetur, sicut Filius propter assumptam carnem minorem se Patre et Spiritu Sancto esse testatur.

Haec est Sanctae Trinitatis relata narratio: quae non triplex, sed Trinitas et dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrosque refertur: quae quum relative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est; et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est: similiter et Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. Item quum dicimus: Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium vel Filius ad Patrem, vel Spiritus Sanctus ad Patrem et Filium, sed ad se specialiter dicitur Deus. Nam et si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Item et Pater omnipotens et Filius omnipotens et Spiritus Sanctus omnipotens singulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut et unum lumen unumque principium praedicatur. Singulariter ergo, ut unaquaeque persona plenus Deus, et totae tres personae unus Deus confitetur et creditur: una illis vel indivisa atque aequalis Deitas, majestas sive potestas, nec minoratur in singulis, nec

augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, quum unaquæque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius quum totae tres personae unus Deus enuntiatur (al. enuntiantur).

Haec ergo Sancta Trinitas, quae unus et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt; et in hoc numero carent, quod ad se sunt. Nam ita huic Sanctae Trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus personis non possit esse plurale.

De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato, de sancta et immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse: de qua novo ordine novaque nativitate est genitus; novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne: nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit et foecundata per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur; quod si ratione colligitur, non potest esse mirabile; si exemplo, non erit singulare. Nec tamen Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria eodem Sancto Spiritu obumbrante concepit: ne duos Patres Filii videamur asserere, quod utique nefas est dici. In quo mirabili conceptu, aedificante sibi Sapientia domum, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Nec tamen Verbum ipsum ita in carne conversum atque mutatum est, ut desisteret Deus esse, qui homo esse voluisset; sed ita Verbum caro factum est, ut non tantum ibi sit Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem.

In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis: quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando sejungi. Unde perfectus Deus, perfectus et homo in unitate personae unius est Christus: nec tamen, quia duas diximus in Filio esse naturas, duas causabimur in eo esse personas; ne Trinitati, quod absit, accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam, et in aeternam personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Ita quum unius substantiae credamus esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non tamen dicimus, ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operasse credenda

est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati: quae forma illi ad unitatem personae coaptata est, id est, ut Filius Dei et Filius hominis unus sit Christus.

Item, idem Christus in duabus naturis tribus exstat substantiis: Verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est, corporis, et animae, quod ad verum hominem pertinet. Habet igitur in se geminam substantiam divinitatis suae et humanitatis nostrae. Hic tamen pro eo, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum (nam neque factus, neque praedestinatus accipitur), per hoc tamen, quod de Maria Virgine natus est, et natus et factus et praedestinatus esse credendus est. Ambae tamen in illo generationes mirabiles: quia et de Patre sine matre ante saecula est genitus, et in fine saeculorum de matre sine patre est generatus: qui tamen secundum quod Deus est, creavit Mariam, secundum quod homo, creatus est a Maria: ipse et pater matris et filius.

Item, et per hoc quod Deus, est aequalis Patri; per hoc quod homo, minor est Patre. Item et maior et minor seipso esse credendus est: in forma enim Dei etiam ipse Filius seipso maior est, propter humanitatem assumptam, quâ divinitas maior est: in forma autem servi seipso minor est, id est, humanitate, quae minor divinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem non tantum a Patre, sed a seipso minor accipitur, ita secundum divinitatem coaequalis est Patri, et ipse et Pater maior est homine, quem sola Filii persona assumpsit.

Item, in eo quod quaeritur, utrum posset Filius sic aequalis et minor esse Spiritu Sancto, sicut Patri nunc aequalis, nunc minor Patre creditur esse, respondemus: Secundum formam Dei aequalis est Patri et Spiritui Sancto, secundum formam servi minor est et Patre et Spiritu Sancto: quia nec Spiritus Sanctus nec Deus Pater, sed sola Filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic Filius a Deo Patre et Spiritu Sancto inseparabiliter discretus creditur esse persona, ab homine autem assumpto (al. assumpta) natura.

Item, cum homine unus exstat personâ; cum Patre vero et Spiritu Sancto natura divinitatis sive substantia. Missus tamen Filius non solum a Patre, sed ab Spiritu Sancto missus credendus est: in eo quod ipse per Prophetam dicit: Et nunc Dominus misit me et Spiritus Sanctus. A seipso quoque missus accipitur: pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. Hic enim, qui ante saecula unigenitus est vocatus, temporaliter primo-

genitus factus est: unigenitus propter deitatis substantiam, primogenitus propter assumptae carnis naturam.

In qua suscepta (al. suscepti) hominis forma juxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis peccatum est factus, id est, sacrificium pro peccatis nostris. Et tamen passionem ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortique adjudicatus et cruci veram carnis mortem excepit: tertio quoque die virtute propria sua suscitatus e sepulchro surrexit. Hoc ergo exemplo Capitis nostri, confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aërea vel qualibet alia carne, (ut quidam delirant,) surrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus, et movemur. Peracto hujus sanctae resurrectionis exemplo, idem Dominus noster atque Salvator paternam ascendendo sedem repetiit, de qua nunquam per divinitatem discessit. Illic ad dextram Patris sedens, exspectatur in fine saeculorum, Judex omnium vivorum et mortuorum. Inde cum Sanctis omnibus veniet ad faciendum judicium, reddere unicuique mercedis propriae debitum, prout quisque gesserit in corpore positus, sive bonum sive malum.

Ecclesiam sane Catholicam, pretio sui sanguinis comparatam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Intra cujus gremium constituti, unum baptisma credimus et confitemur, in remissionem omnium peccatorum. Sub qua fide et resurrectionem mortuorum veraciter et credimus, et futuri saeculi gaudia exspectamus. Hoc tantum orandum nobis est et petendum, ut, quum peracto finitoque judicio, tradiderit Filius regnum Deo Patri, participes nos efficiat regni sui, ut per hanc fidem quâ illi inhaesimus, cum illo sine fine regnemus.

Haec est Confessionis nostrae fides exposita, per quam omnium haereticorum dogma perimitur, fidelium corda mundantur; per quam etiam ad Deum gloriose acceditur.

II. Ex Innocentii III. Professione Fidei; Praescripta Waldensibus.

[*Ad Titulos I. II.*]

Corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur et simplicibus verbis affirmamus: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres personas esse, unum Deum totamque Trinitatem coëssentialem et consubstantialem et coaeternalem et coömnipotentem, et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, sicut in "Credo in Dominum," in "Credo in unum Deum," et in "Quicunque vult" continetur. Patrem quoque et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum, de quo

nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium, corde credimus et ore confitemur.

Novi et veteris Testamenti unum eundem auctorem esse Dominum credimus, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit; Joannemque Baptistam ab eo missum, esse sanctum et justum et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum. Incarnationem divinitatis non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur. Ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis filius, homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris et animam humanam rationabilem, simul utriusque naturae, id est, Deus et homo; una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu Sancto, omnium auctor et rector, natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate; manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera suae carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione; in qua, postquam manducavit et bibit, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non haereticorum, sed sanctam Romanam, Catholicam, et Apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur; quia non nocet malitia Episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata.

Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab Episcopo factam, id est, impositionem manuum, sanctam, et venerande esse accipiendam censemus. In sacrificio eucharistiae, quae ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, firmiter et indubitantur corde puro credimus, et simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono majus vel a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris et in virtute Spiritus Sancti.

Unde firmiter credimus et confitemur, quod, quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus, et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare, vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili, tangibili Episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria: scilicet certa persona, id est, Presbyter ab Episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba, quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis; ideo firmiter credimus et fatemur, quod, quicunque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiae facere, haereticus et perditionis Core et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus.

Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Conjugia carnalia esse contrahenda, secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disjungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua conjuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minime culpamus.

Non condemnamus juramentum, imo credimus puro corde, quod cum veritate et judicio et justitia licitum sit jurare.

De potestate saeculari asserimus, quod sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam non odio, sed judicio, non incaute, sed consulte procedat. Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia summi Pontificis vel praelatorum permissione illam credimus exercendam.

In omnibus vero locis, ubi manifeste haeretici manent, et Deum et fidem sanctae Romanae Ecclesiae abdicant et blasphemant, credimus, quod disputando et exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere, et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiae adversariis, fronte usque ad mortem liberâ contraire. Ordines vero ecclesiasticos, et omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium malum esse factum credimus.

Corde credimus et ore confitemur hujus carnis, quam gestamus, et non alterius resurrectionem. Judicium quoque per Jesum Christum esse futurum, et singulos pro his, quae in hac carne gesserunt, recepturos vel poenas vel praemia, firmiter credimus et affirmamus. Elee-

mosynas, sacrificium, ceteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in saeculo et sua possidentes, eleemosynas et caetera beneficia ex rebus suis agentes, praecepta Domini servantes salvari fatemur et credimus. . . . . . .

III. Literæ Em^mi Cardinalis Sforza;

De Unione Precum inter Episcopos.

[*Ad Titulum III., Cap. II.*]

Illus^me ac Rev^me Domine!

Inter tot quibus Episcopus quotidie destinetur labores, interque curas, quas secum affert Pastorale Ministerium, haud exiguum certe levamen erit, si omnes Episcopi Catholici sibi mutuo auxilium praebere studeant, et assiduis orationibus invicem Omnipotentem Deum exorent. Hinc aliqui Episcopi, praesertim Ditionis Ecclesiasticae, operae pretium esse existimarunt, si plurimi Episcopi in Spiritu Domini congregati tria pietatis officia vellent exercere. Primum erga defunctos Episcopos; secundum erga seipsos; tertium erga Episcopos in coelis cum Christo regnantes esset persolvendum.

I. Ut primo fiat satis, quilibet Episcopus vel per se, vel per alium Sacerdotem, Missam unam quolibet mense celebrabit pro Episcopis recens vita functis, nec non alteram quotannis infra Octavam omnium Sanctorum pro omnibus Episcopis Catholicis in Christo quiescentibus.

Nec est cur ad hanc misericordiam fratribus impendendam rationes coacervandae sint. Neminem enim profecto latet quam districtum judicium (Sap. vi. 6), populi Principibus, id est Episcopis immineat: quam facillime Ipsi omissionibus saltem in pastorali munere obeundo debita contrahant in Purgatorio persolvenda; quam denique rarum sit, ut particularia suffragia defuncto Episcopo, praeter illa in die obitus, et anniversaria brevi aliquando duratura, applicentur. Nec denique illud est silentio praetereundum, licet neminem fugiat, meritum haud exiguum ex tali pietatis officio unumquemque apud Deum consecuturum, et quo plures fuerint Episcopi congregati, eo copiosius unicuique suffragium obventurum.

II. Secundum pietatis officium erga seipsos adimplendum in eo situm est, ut omnes sint speciali modo in spiritu congregati coram Domino, dum orationi quotidie vacant, aliasque sanctas absolvant actiones.

Sacra enim Scriptura non semel innuit, quid quantumque valeat hujusmodi orationis Unio (Mat. 19. 19, Tob. cap. 42. 8). Quare sive mentali orationi, sive piae lectioni vacent, sive Missam celebrent, sive horas canonicas persolvant, sive preces supererogatorias recitent, sive sacras functiones peragant in Ecclesia vel Oratorio, omnia simul agere proponant. In Sacro quoque faciendo, specialiter orent pro toto Episcopatu Catholico, et infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli unam Missam celebrent pro incolumitate Summi Pontificis, omniumque Episcoporum, et pro sanctificatione gregis unicuique commissi.

Ut autem haec pia Unio firmior in dies evadat, Reginae Apostolorum tutelae et patrocinio commendanda erit, ac proinde neminem ex Episcopis pigebit post Horas Canonicas vel alio tempore semel in die orationem illam Ven. Claudii Bernardi recitare, *Memorare Piissima Virgo*, et ter deinceps illam invocare, *Virgo Immaculata, Regina Apostolorum, ora pro Nobis.*

III. Tertium denique pietatis officium postulat, ut speciali cultu prosequamur omnes Episcopos, qui in terris degentes pastorali munere sanctissime perfuncti sunt, quique nunc in coelis degentes semper parati et prompti sunt ad interveniendum apud Deum pro his, qui missi ad excolendam Vineam Domini in labores eorum introierunt. Quapropter in fine Horarum Canonicarum commemorationem facient Episcoporum, quorum illa die festum agitur, et omnium Sanctorum Episcoporum.

I.

Ant: Pastores optimi, qui animam posuistis pro ovibus, intercedite pro nobis et pro grege nostro ad Dominum.

V. Benedicite Sacerdotes Domini Domino.

R. Benedicite et superexaltate Eum in saecula.

OREMUS.

Deus qui in sanctis Tuis et exemplum et praesidium collocasti, concede nobis famulis Tuis, Sanctorum omnium Antistitum, quorum memoriam hodie recolimus, et exempla sectari et protectione muniri. Per Christum, &c.

II.

Ant: Omnes Sancti Pontifices estote memores nostri, deprecamini pro nobis Filium Dei Sacerdotem Magnum.

V. Benedicite Dominum omnes Electi Ejus.

R. Agite dies laetitiae, et confitemini Illi.

OREMUS.

Fiat Domine quaesumus super nos misericordia tua, et omnium Sanctorum Antistitum intercessione concede, ut in pastorali officio obeundo eorum experiamur suffragia, et vestigia prosequamur. Per Christum, &c.

Haec tria pietatis officia si adimpleantur, neminem praeterit quantum inde auxilii et meriti consequi possint Episcopi, quin vel expensas vel molestias sustinere cogantur. Quapropter ego has Tibi litteras scribendas duxi, dum Tibi fausta omnia et felicia precor a Domino.

Datum Romae, die 6. Aprilis, 1866.

Dominationis Vestrae Ill^mæ ac R^mæ.

Addictissimus Servus,

X. CARD. RIARIO SFORZA,

Archiep. Napolitanus.

ILLUS^MO AC REV^MO ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI.

IV. DE BARBA A CLERICIS HAUD GESTANDA.

LITERÆ ILLUS^MI AC REV^MI D. D. MATTHÆI EUSTACHII, ARCHIEPISCOPI NEO-CÆSARIENSIS IN PARTIBUS, NUNTII APOS^CI AD AULAM BAVARICAM;

AD EXCELL^M AC REV^MUM ARCHIEPISCOPUM FRISING.—MONACENCEM;

CONTRA USUM INTER VIROS ECCLESIASTICOS RECENTER INTRODUCTUM BARBAM GESTANDI.

[*Ad Titulum III., Cap. VI., num.* 151.]

EXCELLENTISSIME AC REV^ME DOMINE:

Ad aures Beatissimi Patris pervenit, in nonnullis Bavariæ Diœcesibus adesse Ecclesiasticos viros, qui novitatis, vel potius levitatis spiritu perducti, usum jamdiu exoletum barbam gestandi iterum introducere, et exemplo suo alios ad illum imitandum allicere conantur. Quidquid de anteactis sæculis dici debeat, in confesso est, modernam et vigentem Ecclesiæ Latinæ disciplinam huic usui prorsus obstare, novamque consuetudinem, ut legitime introducatur, necessario requirere assensum, saltem tacitum, Supremi Ecclesiæ Pastoris. Hic autem hujusmodi novitatem omnino se improbare declarat; eo vel magis, quod tristissimis hisce temporibus spiritus omnia innovandi

haud paucos seducat, et ex una novitate in aliam facile procedi possit. Quæ cum ita sint, placuit Sanctitati Suæ mihi in mandatis dare, ut omnibus Bavariæ Antistitibus Suo nomine significarem, ab ipsis omnimode curandum esse, non solum ut prædictus usus expresse prohibeatur, sed etiam ut disciplinæ unitas, et perfecta cum Ecclesia Romana omnium magistra conformitas in omnibus, ac proinde in habitu et tonsura clericorum, servetur, vel si opus sit, restauretur; ac qualiscumque nova consuetudo vetetur, quæ Supremo Ecclesiæ Capiti apprime cognita atque ab Ipso probata non sit.

Dum hæc Excellentiæ Tuæ Ill^mæ ac Rev^mæ, Beatissimi Patris jussu ac nomine scribo, Illam rogo, ut me de hujus Epistolæ receptione instructum reddens, mihi etiam indicare velit, quid Ex. Tua opportunum facere existimaverit, ut prædictus usus, si forte in ista Diœcesi manifestari incæpit, extemplo relinquatur, atque ut nemini unquam in mentem veniat illum introducere.

Sinceris interim observantiæ et obsequii sensibus, persevero Ex. Tuæ Ill^mæ ac Rev^mæ hum^mus ac addictissimus servus,

MATTHÆUS EUSTACHIUS, ARCH. NEO-CÆSAR.,

Nuntius Apostolicus Monac.

[Desumptum ex Pastoral-Blatt, Munster, *Junii* 16., 1863.]

V. DE MEDICINÆ A CLERICIS EXERCITIO.

EXCERPTA EX INSTRUCTIONE BENEDICTI XIV., CIRCA MEDICÆ ARTIS EXERCITIUM. Syn. Diœc. Lib. xiii., Cap. x.

[*Ad Titulum III., Cap. VI., num.* 153.]

Ecclesia, justis ac urgentibus de causis, interdicendum censuit monachis, et majorum Ordinum clericis, Medicæ artis exercitium; hæcque disciplina protracta et ampliata fuit ad clericos quoque minoribus tantum Ordinibus initiatos. Hinc sequitur necessarium nunc esse his omnibus Apostolicum Indultum, ut medendi artem valeant exercere.

Quodlibet dispensationis Indultum duo hæc requirit; justam videlicet causam, hujusque legitimam probationem; ut et Superior tuta conscientia imploratam auctoritatem suam præstare possit, et Orator obtento dispensationis beneficio uti valeat. Itaque, cum res est de Sæcularibus clericis, sacris Ordinibus insignitis, qui artis Medicæ

exercendæ facultatem implorant, pro obtinendæ dispensationis causâ, plerumque affertur civitatem, oppidum, vel pagum, in quibus Clericus artem profiteri cupit, destitui penitus sæculari medico, facultate hujusmodi satis instructo; vel si qui forte adsint laici medici, ad eum tamen numerum dicuntur non pertingere, qui ægris in civitate, oppido, vel pago, curandis sufficiat. Est et alia legitimæ dispensationis causa, desumpta ex Clerici ipsiusque familiæ egestate, quæ nonnisi honesto lucro, ex arte Medica percipiendo, levari possit.

Reliquum est, ut de probationibus disseramus, quæ ad verificandas causas in precibus expressas, requiruntur. Quicumque sit Orator Ecclesiasticus, Sæcularis, vel Regularis, nunquam oblatæ preces obsignantur, vel Breve expeditur, priusquam Episcopus retulerit de viri peritia in arte Medica, deque civitatis, oppidi, vel loci, ejusdem Medicam operam exposcentis, non affectata indigentia. In omnibus dispensationum litteris, conditionalia hæc verba inscribuntur, Medicinam scilicet exercendam *absque incisione, vel adustione.*

Quum vero Indultum clerico Sæculari, majoribus Ordinibus insignito, in eum finem conceditur, ut propriam, familiæque suæ inopiam levare possit, in litteris clausula hæc apponitur, videlicet, Indultum eousque vim habiturum, quousque Orator certos ecclesiasticos reditus, vel residentiale Beneficium fuerit assecutus.

Ecclesiastico Medico prohibetur ne quid exposcat; at integrum ipsi relinquitur sponte oblata recipere, præterquam si a vero egeno offerantur; neque enim ei permittitur quidquam a veris pauperibus, quantumvis sponte offerentibus, accipere.

Chirurgiæ vero exercitium longe difficilius Ecclesiasticis permittitur: hujusmodi enim Indultum Sæculari, vel Regulari clerico tunc tantummodo concedi consuevit, quum nullus omnino adest in loco laicus Chirurgiæ professor, qui incolis illius opera indigentibus præsto esse possit; tuncque insuper, ad avertendum irregularitatis periculum, in Rescripto, vel Brevi, inscribitur ut plurimum clausula: *Citra incisionem, vel adustionem.*

VI. Gregorii XVI. Breve ad Episcopum Heliopolitanum, Vic. Ap. Gibraltariae;

De Aedituis.

[*Ad Titulum IV.*]

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis Frater:

Dudum nos sollicitos habent, quae istic contra Ecclesiae jus, atque in tuam, Ven. Frater, tuaeque dignitatis injuriam gesta comperimus. Quae quidem eo acerbiora cordi nostro acciderunt, quod in sacrae rei detrimentum conspirasse intelleximus nonnullos e catholico populo, qui ob munia sibi demandata antecellere aliis in officio debuissent. Scilicet laïci quidam viri, cum non aliud unquam jus habuerint, quam quod ex concessione Antistitis ad Ecclesiae aedituos pertineret, insurgere ausi sunt adversus auctoritatem tuam, et decretum contemnere a te postea editum de pecuniis ob sacramentorum administrationem non exigendis; atque adeo contra sanctiones canonum, immo contra ipsam Christi Domini ordinationem, usurpare sibi rerum divinarum regimen contenderunt. Qui etiam cum nostram Propagandae Fidei Congregationem contra te frustra sollicitassent, hujus quoque auctoritate contempta, non sunt veriti appellare per summum nefas ad laïcos, eosdemque acatholicos magistratus; quorum porro interventu tu ipse, Ven. Frater, in carcerem conjectus fuisti, et ad initia usque mensis proximi ibidem detentus.

Haec cum ita contigerint, illud sollicitudini omnium Ecclesiarum, et supremo, quo fungimur, Apostolatus officio nos debere sentimus, ut e fastigio sanctae hujus Sedis vocem attollentes, illatam sacro ordini ac rei Catholicae contumeliam Nostris hisce litteris palam reclamemus. Quare auctoritate Nostra Apostolica solemniter declaramus, memoratos aedituos violasse et conculcasse libertatem sacrae potestatis, et in sanctissima ejus jura invasisse. Itaque illos, utpote manifestae reos audaciae, dignissimos se exhibuisse decernimus, in quos ad canonum normam graviter animadvertatur. Interim admonemus ipsos atque obtestamur in Domino, ut meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quae apostolicis constitutionibus, et conciliorum oecumenicorum decretis in omnes, qui talia audent, statutae ita sunt, ut

facto ipso contrahantur. Et quoniam Ejus in terris vicem gerimus, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil equidem optamus magis, quam ut, idem peccatum suum detestantes, ad obsequium et obedientiam Fraternitatis tuae sincero animo redeant.

Jam verò ad eorum munus quod attinet, neminem ignorare volumus, illud pendere omnino ex auctoritate Episcopi, nihilque ab aedituis ecclesiae geri unquam posse, nisi quod eis fuerit ab Antistite demandatum. Quod vero pertinet ad sacramentorum administrationem, erit tibi curae, ut fideles, qui sub te sunt, sedulo admoneas, divina ejusmodi munera nullam omnino temporalis pretii aestimationem recipere; sed a Dei ministris, qui ea gratis acceperunt, gratis pariter esse dispensanda: nec posse istic ullam ad tramites canonum, (cap. *Ad Apostolicam* 42, de Simonia) probabilem consuetudinem obtendi, ad pecuniae quidpiam alicujus sacramenti occasione alio titulo postulandum, quando id a te, atque a Congregatione Propagandae Fidei, ex accepta a nobis potestate, ad tuendam sacramentorum sanctitatem, jure meritoque vetitum est.

Ceterum ea nos cogitatio consolatur, quod sub inclyto gubernio serenissimae ac potentissimae Anglorum reginae haud certe metuendum est, ne ulterior tibi molestia inferatur, frausque fiat sancitae jamdiu Ultrajectino Foedere Catholicae religionis apud vos libertati: quum praesertim in florentissimo etiam Britannico regno, pro aequitate majestatis suae, Catholici eorumque Antistites libero sanctissimae nostrae religionis exercitio fruantur.

Denique, Ven. Frater, tuam istam vigilantiam, zelum, et eximiam animi firmitatem meritissimis laudibus honestamus; hortamurque in Domino, ut posthac pariter religionis causam non minori sedulitate constantiaque sustinere pergas. Nos autem, licet indigni, non desistimus Deo per Jesum Christum humillime supplicare, ut adsit tibi semper propitius in abundantia gratiae, atque in parte ista Suae vineae tuis rigata sudoribus adaugeat justitiae fruges, et tranquilla omnia faciat. Ac Nostrae in te, et fidelem, cui praees, clerum et populum studiosissimae caritatis pignus adjungimus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam tibi, Ven. Frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Majorem, die 12 Augusti, an. 1841, Pontificatus nostri anno undecimo.

VII. Instructio S. Congr. S. Officii;

De Neo-conversorum Receptione.

[*Ad Titulum V., Cap. II., num.* 240.]

Proposito dubio R. P. D. Episcopi Philadelphien. circa Professionem Fidei, ac Absolutionem hæreticorum dum convertuntur, Feria IV. die 20. Julii 1859, E^mi D. D. decreverunt dandam esse instructionem, prout sequitur.

In conversione hæreticorum inquirendum est primo de validitate Baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter conlatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peracta, adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad Abjurationem, seu Professionem Fidei. Triplex igitur in conciliandis hæreticis distinguitur procedendi methodus:

1. Si Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur Abjuratio, nec Absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum Regenerationis.

2. Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit:

(A.) Abjuratio seu Fidei Professio,

(B.) Baptismus Conditionatus,

(C.) Confessio Sacramentalis cum Absolutione conditionata.

3. Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur Abjuratio seu Fidei Professio, quam Absolutio a censuris sequitur.

Notandum vero Abjurationem, seu Professionem Fidei, aliam esse ab ea quæ habetur in Bulla Pii IV. Nam a Suprema S. C. S. Officii præscripta fuit illa, quæ adnectitur, pro conversione hæreticorum, eaque utetur Episcopus Orator, cum formula Absolutionis, quæ pariter adjungitur.

MODUS

Excipiendi Professionem Fidei Catholicæ a Neo-conversis.

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, sedet in cornu Epistolæ, (si SS. Sacramentum asservetur in tabernaculo) sin minus in medio Altaris, et coram illo genuflectit Neo-conversus; qui codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit professionem fidei, prout inferius habetur: vel si nesciat legere, Sacerdos prælegit eidem tarde professionem, ut Conversus eamdem intelligere, et cum Sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit.

PROFESSION OF FAITH.

I, N. N., having before my eyes the holy Gospels, which I touch with my hand, and knowing that no one can be saved without that faith which the Holy Catholic Apostolic Roman Church holds, believes, and teaches, against which I grieve that I have greatly erred, inasmuch as I have held and believed doctrines opposed to her teaching.

I now, with grief and contrition for my past errors, profess that I believe the Holy Catholic Apostolic Roman Church to be the only and true Church established on earth by Jesus Christ, to which I submit myself with my whole heart. I believe all the articles that she proposes to my belief, and I reject and condemn all that she rejects and condemns, and I am ready to observe all that she commands me. And especially, I profess that I believe:

One only God in three divine Persons, distinct from, and equal to, each other — that is to say, the Father, the Son, and the Holy Ghost;

The Catholic doctrine of the Incarnation, Passion, Death, and Resurrection of our Lord Jesus Christ; and the personal union of the two Natures, the divine and the human; the divine Maternity of the most holy Mary, together with her most spotless Virginity;

The true, real, and substantial presence of the Body, together with the Soul and Divinity of our Lord Jesus Christ, in the most holy Sacrament of the Eucharist;

The seven Sacraments instituted by Jesus Christ for the salvation of mankind; that is to say, Baptism, Confirmation, Eucharist, Penance, Extreme Unction, Order, Matrimony;

Purgatory, the Resurrection of the dead, Everlasting life;

The Primacy, not only of honor, but also of jurisdiction of the Roman Pontiff, successor of St. Peter, Prince of the Apostles, Vicar of Jesus Christ;

The veneration of the Saints, and of their images;

The authority of the Apostolic and Ecclesiastical Traditions, and of the Holy Scriptures, which we must interpret, and understand only in the sense which our holy mother the Catholic Church has held, and does hold;

And everything else, that has been defined, and declared by the sacred Canons, and by the General Councils, especially by the holy Council of Trent.

With a sincere heart, therefore, and with unfeigned faith, I detest and abjure every error, heresy, and sect opposed to the said Holy

Catholic and Apostolic Roman Church. So help me God, and these his holy Gospels, which I touch with my hand!

Postea, neo-converso genuflexo manente, Sacerdos sedens dicit psalmum Miserere, *sive psalmum* De profundis, *cum* Gloria Patri *in fine. Quo finito, Sacerdos stans dicit:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

Deinde Sacerdos sedet et ad Profitentem genuflexum versus, eum ab hæresi absolvit, dicens:

Auctoritate apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam[1] incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis, communioni et unitati fidelium, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Denique abjuranti aliquam Pœnitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare Ecclesiam, aut similia.

[1] In dubio gravi aut levi, utrum pœnitens excommunicationem incurrerit per hæresim professam, sacerdos hic inserat vocabulum *forsan.*

VIII. De Communione Quotidiana.

Decretum sac. Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum,

Circa Communionem quotidianam.

[*Ad Titulum V., Cap. IV., num.* 258.]

Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum Quotidianæ Communionis etiam in feria sexta Parasceve, et simul affirmari, eandem Quotidianam Communionem præceptam esse a jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, domi, imo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes sæculares aut regulares, aliique in Communione accipiant plures formas ac particulas grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Dum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit sacræ Congregationi Cardinalium Conc. Trid. interpretum, eadem sacra Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit.

Etsi frequens, quotidianusque sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: *optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent:* idque non immerito. Multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, et Dei dona parvulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis Panis esu potest constitui; et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu laicis negotiatoribus, conjugatis, quod prospicient

eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertant, cum B. Apostolus *nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi;* eos serio admoneant, tanto magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum.

In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et præparationis modo, rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur.

Proderit etiam, præter Parochorum et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi; ut cum Fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam, (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem: ut dignitate Sacramenti, ac Divini Judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; et siquando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, et judicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque sacratissimo Pane frequentius recipere cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et caritate assueverint; quibus Christum Dominum, qui se Fidelibus manducandum, et se

pretium in morte tradidit, atque in cœlesti regno se premium est daturus, precatur sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, et sumptionem largiatur.

Porro Episcopi, et Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, Communionem Quotidianam esse de jure Divino; doceant, in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis sumendam sanctissimam Eucharistiam, nec eam deferendam ullo modo in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice et cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve Missalis Rubricæ, et Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, et Confessarii, etiam regulares, aut quicunque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam regulares, facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et factâ de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum, relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

Datum Romæ, 12. Februarii, 1679.

F. CARD. COLUMNA, *Præf.*

S., Archiepiscopus Brancaccius Episc. Viterbien., Secr.

IX. LITERÆ ENCYCL.Æ S. C. DE PROP. FIDE,

DE SS. EUCHARISTIA DEFERENDA.

[*Ad Titulum V., Cap. IV., num.* 264.]

ILLUSTME AC REVME DOMINE!

Etsi sancta omnia sancte tractanda sint, propterea quod ad Deum pertineant qui essentialiter sanctus est, attamen augustissimum Eucharistiae sacramentum, sicut sacris mysteriis omnibus absque ulla comparatione sanctitate praeeminet, ita maxima prae ceteris veneratione est pertractandum. Nil itaque mirum, si tot Ecclesia diversis temporibus ediderit decreta, quibus SSmae Eucharistiae delatio pro adjunctorum varietate vel denegaretur omnino, vel ea quâ par esset reverentia admitteretur; cum nihil antiquius fuerit Ecclesiae Dei, quam ut animarum profectum atque aedificationem debito cum honore divinorum omnium divinissimi mysterii consociaret.

Haec porro prae oculis habens Sacrum hoc Consilium Christiano Nomini Propagando, cum primum intellexit in quibusdam istius regionis Dioecesibus consuetudinem, seu potius abusum, invaluisse, ut Sacerdotes SSmum Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferrent, ea tantum de causa quod in aliquem forte aegrotum incidere possent, ad Metropolitanos censuit scribendum, tum ut consuetudinem illam ab Ecclesiae praxi omnino abhorrere declararet, tum etiam ut ejus extensionem accuratius deprehenderet. Responsa Archiepiscoporum brevi ad Sacram Congregationem pervenerunt, ex quibus innotuit, multis in locis de abusu illo gravem admirationem exortam esse, cum aliqua in Dioecesi ne credibilis quidem videretur. Verum non defuerunt Antistites, qui illius existentiam ejusque causas ingenue confessi sunt.

Quare Emis Patribus Sacri hujus Consilii, in generalibus comitiis die 28. Septembris elapsi anni habitis, omnia quae ad hanc rem referebantur exhibita sunt perpendenda, ut quid SSmi Sacramenti debitus honor ac veneratio postularent in Domino decerneretur. Omnibus igitur maturo examini subjectis, statuerunt Emi Patres Literas Encyclicas ad Archiepiscopos atque Episcopos istius regionis dandas esse, quibus constans Ecclesiae rigor circa Eucharistiae delationem commemoraretur. Voluit insuper S. C., ut singuli Antistites excitarentur, quemadmodum praesentium tenore excitantur, ad communem Ecclesiae disciplinam hac in re custodiendam, quantum temporis ac locorum adjuncta, nec non inductarum consuetudinum ratio patiantur, ita tamen

ut sedulam navent operam ad veros abusus corrigendos atque eliminandos. Quam quidem in rem censuerunt Patres E^mi apprime conferre frequentem celebrationem sacrificii Missae, quo videlicet Sacerdotes facile necessitati occurrere possunt SS^mam Eucharistiam secum per multos dies retinendi.

Quae cum ita sint, hortor Amplitudinem tuam, ut in eum finem rurales aediculas multiplicandas cures, atque talia edas decreta, ex quibus delatio SS^mi Sacramenti ad urgentes tantum causas, atque ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium coarctetur, injuncta vero presbyteris stricta obligatione semper in hisce casibus Sanctam Hostiam super pectus deferendi.

Denique decreverunt E^mi Patres, ut de negotio isto gravissimo in Provincialibus Conciliiis agatur, quo nimirum Antistites eam in suis dioecesibus communem normam inducere satagant, quam augustissimum Eucharistiae mysterium decere existimaverint. Tandem Amplitudini tuae significare non praetermitto, omnia et singula quae superius decreta sunt SS^mo D. N. Pio PP. IX. per me relata fuisse in audientia diei 3. Octobris elapsi anni, eaque a Sanctitate Sua in omnibus adprobata fuisse, atque Apostolica auctoritate confirmata.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 25. Februarii, 1859.

Amplitudinis Tuae,

Ad officia paratissimus,

ALEXANDER CARD. BARNABO, *Præf.*

REV^MO D. P. FRANCISCO PATRICIO KENRICK,
Archiep^o. Balt^i.

X. SANCTAE ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS INSTRUCTIO;

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, CIRCA OBSERVANTIAM CONSTITUTIONIS S. P. BENEDICTI XIV., QUAE INCIPIT SACRAMENTUM POENITENTIAE.

[*Ad Titulum V., Cap. V., num.* 277.]

Quae Supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV., in constitutione die 1. Junii, anno 1741, edita, cujus initium est *Sacramentum Poenitentiae,* confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita

reducuntur. In primis quemadmodum jam antea sancitum fuerat, praesertim a Gregorio XV., constitutione quae sub die 30. Augusti, anno 1622, data, incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii aeque ac inquisitores deputantur judices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria jurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes hujusmodi quamprimum poterunt inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea, tertio loco, Apostolicae Sedi reservantur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique, sacerdoti cuilibet omnis facultas et jurisdictio ad sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat.[1] Et Apostolicae Sedi reservatur eorum confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV. et Benedicti XIV. constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout ac dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera, Vicario apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An constitutio Benedicti XIV. adversus sollicitantes obliget etiam missionarios Franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu, ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* jussu Pii VI. anno 1775, opportuna instructione responsum fuit; *ad 1m affirmative: ad 2m negative.* Et proxime SS^mus D. N. Pius Papa IX. decreto hujus supremae Inquisitionis, sub feria IV. die 27. Junii anno 1866 edixit, *in facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse, casus reservatos in bulla Benedicti XIV. quae incipit Sacra-*

[1] Const. ejusdem S. P. Bened. XIV., *Apostolici muneris* die 8. Februarii, 1745.

mentum Poenitentiae. Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis, absque ulla exceptione significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elangueat. At E^{mi} PP. Cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverant, eamdem constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denunciationis onere adimplendo, tum in judicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse abusus, qui sine justitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum, neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore judicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem instructionem edi mandarunt.

1. Personae sive mares sive foeminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione, vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata constitutione praecipitur, rem ad sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denunciare oportet quemcumque sacerdotem, etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem, et non praebentem absolutionem poenitenti.[1]

3. Hujusmodi denunciationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Quâ de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri.[2]

5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vero ob justam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denunciationes enim fieri debent in judicio, nempe coram Episcopo ejusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum juramento et cum expressione et subscriptione

[1] Ex declar. diei 11. Febr., 1661, confirmata in const. *Sacramentum Poenitentiae.*

[2] Ex declar. Sub diebus 20. Martii, 1624, et 1. Octob. 1626, penes Albit. de inconst. in fide, cap. 35, num. 17.

sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas, vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris.[1] Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denunciationibus præter judicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciationibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de hujusmodi consensu, quamtumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis.[2]

7. Denunciationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat Ordinarium vel sanctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores quos inter Pignatelli, consult. 104., Carena, Albitius, etc.

8. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusque ecclesiasticus ab Episcopis, (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante, absque interventu notarii. * * * Qui ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis judiciaria ratione assumendo instrui debent, ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae jurisdictioni subjecta applicare oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America, die 22. Januarii, an. 1627, declaratum fuit: *Mulieres* videlicet *sollicitatas non teneri ad denunciationem: si ministri Inquisitionis et vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.*

9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim judi-

[1] Albit. loc. cit. n. 21.

[2] Ex declar. Urbani VIII. sub fer. V. die 17. April., 1624.

ciaria forma superius enunciata examinandae sunt: et primo per *generalia*, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendo interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

10. Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis summorum Pontificum constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cujusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denunciatum procedatur perspectum exploratumque judici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim, ut testes hujusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit.[1]

11. Ea est hujus supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in judicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum juramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati, et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in judicium adducitur, et coram judice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cujusque denunciationis et examinis adjunctis, juramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout jura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum, ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris, eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa sancta Sede impertitas. Hujusmodi sententiam Episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus proferat: et

[1] Ex instruc. jussu Pii VI., anno 1775, ad Vicar. apost. Cocincinae data.

pro modo culpæ, atque omnibus attentis circumstantiis, ceteras quoque poenas reo irroget, quae in supradictis pontificiis constitutionibus decernuntur. Praeterea, si reus in judicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abjurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione: et hac quoque poena in ipsa sententia mulctetur. Notandum est, poenas hujusmodi omnes, et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum, in decreto Benedicti XIV., die 5. Augusti, ann. 1745, praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae.* Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV. statutum fuit: ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet, quam ut executioni mandetur.[1]

13. Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientiâ victi, Ordinario loci ejusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abjuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adjecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant: nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficiantur. Qui vero judiciaria forma jam praeventi, sed nondum citati, suâ sponte se sistunt; et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis, vel ex commissione Apostolica vel ex jure episcoporum proprio, tractandis majorem in modum curari et observari debet illud est, ut eaedem causæ utpote ad fidem attinentes secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni jam traditae, perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, jusjurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in jure cautum est, cap. *Statuta* fin. de haeret., in 6.; et in Clementina *multorum*, §. *Porro*, de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subjiciuntur, juramentum ab initio de veritate dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque vel aliud quodvis periculum

[1] Albit., op. cit., cap. 15, n. 13; et Bened. XIV. in privata epistola, die 11. Novemb., anno 1743, data ad Emanuelem de Azevedo s. i. presbyterum.

timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes judices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI. in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad vicarium apostolicum Cocincinae data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt; et cum si aliqua ex his omittantur, justitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine judiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset, si extra judicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii apostolici prudentia cum animarum zelo conjuncta suggeret. Jam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate jure posse ubivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione, gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quae peculiares instructiones singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam pontificiam constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque utpote ubique locorum observatu facilia, sacra haec Congregatio supremæ et universalis Inquisitionis pastorali Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Datum Romae, die 20. Februarii, an. 1867.

C. Card. Patrizi.

XI. Ex Benedicti Papae XIV. Constitutionibus;

Contra Confessarios exquirentes a Poenitentibus complicum nomina.

7. Julii, 1745, et 2. Junii, 1746.

[*Ad Titulum V., Cap. V., num.* 281.]

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei;

Ad futuram rei memoriam.

Ubi primum de perversa quadam et absurda praxi in Sacramento Poenitentiae administrando, apud nonnullos Confessarios in Portugalliae et Algarbiorum regnis introduci coepta, non sine animi Nostri dolore, nuntium accepimus, non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate tum magnitudine facerent; praetermittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorumdem regnorum ac ditionum Archiepiscopos Apostolicis Nostris literis, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero literarum, die septima mensis Julii superioris anni 1745 editarum, quas praesenti huic Nostrae Constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat:

Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres. Salutem et Apostolicam Benedictionem. Suprema omnium ecclesiarum sollicitudo, et divina Jesu Christi, omnium pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati Nostrae universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes christiani orbis populos ac nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus, atque iis praecipue regnis et locis peculiari quodam Apostolicae Nostrae charitatis studio auctoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum fides, religio, pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hostis nocere fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens; quâ ex arte non minora saepe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta esse proventura, nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliae et Algarbiorum regnis et ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum sacerdotalis virtutis vestrae commendatione praesidetis, et quibus pro singulari erga catholicam Ecclesiam atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia meritae debentur laudes, nuper

evenisse non sine ingenti animi Nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos istarum partium Confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in saluberrimo Poenitentiae Sacramento administrando invehere atque introducere coepisse; ut videlicet, si forte in poenitentes incidissent, socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii hujusmodi seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent: imo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari.

Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandae complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas et erroneas sequendo, vel veras et sanas male applicando, perniciem tam suis quam poenitentium animabus consciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno Judice constituerent. Et vero, jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est: nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint. Tristia Nos haec nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha, in iisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis generalem Inquisitorem, et Thomam de Almeyda, Patriarcham Lisbonensem, atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo atque etiam eradicando allaborasse.

Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram et ambiguam esse sinamus: notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes Nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari, tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.

Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus: supremi tamen officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostrae aperta significatione et Apostolicis insuper hortationibus Nostris intensius acuere et excitare, ut pro se quisque Vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis; neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinae misericordiae fonte illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestrae pietatis et observantiae argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima caelestium charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 7. mensis, Julii, 1745, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

Has porro Nos Litteras in forma Brevis tunc datas, iterum praesentibus Nostris confirmamus et roboramus, easque ab omnibus et singulis fideliter exacteque observari injungimus atque praecipimus.

Statuentes insuper ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali et individua, ad effectum, ut hisce Nostris praesentibus comprehendantur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere, licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem; vel ea, quae in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a quâ non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut, quae sunt a Nobis in praeinsertis literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione pravaque interpretatione salva sint et immunia; verum etiam, ne quis in Sacra-

menti Poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia umquam recedat; idcirco omnibus et singulis Confessariis utriusque Cleri tam saecularis quam regularis, quantumvis exempti et quacumque speciali et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, divini interminatione judicii, atque in virtute sanctae obedientiae, prohibemus, ne, conformiter ad praedictam reprobatam praxim, poenitentes, qui peccatum seu crimen aliquod, cujus socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali Poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis sive circumstantiis, expressionem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum aliisque etiam gravioribus poenis fore subjiciendos. * * * *

XII. Instructio S. Officii,

Super qualitate probationis requirendæ antequam secundæ nuptiæ ineantur.

[*Ad Titulum V., Cap. IX., num.* 328.]

Fer. iv., 12. Junii, 1822.

Ingentes bellorum clades, aliæque rerum humanarum conversiones, quibus nostra hæc ætas objecta fuit, frequentes adhuc suppeditant Romæ mulierum, et quandoque virorum preces, qui legali documento mortis conjugis jamdiu absentis destituti, licentiam tamen sollicitant, quâ sibi liceat ad alias nuptias transire. Jam vero Sedes apostolica, seu suprema sacra Eminentissimorum Romanorum S. R. E. Cardinalium ad hæc deputatorum Congregatio, ecclesiasticis regulis omnino insistit, ex quarum præscripto mors ex aliquot annorum decursu non præsumitur, sed probari debet: Unde Lucii III. responso (cap. *Dominus ext.*, De secundis nuptiis) a jure canonico cautum est, "ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec constet, quod ab hac (vita) migraverit conjux ejus." Qualis autem probationum ratio exigatur ex decreto *Cum alias* Clementis X., perpetuis futuris temporibus valituro, lato fer. v., 21. Augusti, 1670, in Bullarium Romanum inserto habetur, ubi S. Pontifex instructionem ponit tam in curia E. et R. D. Card. Urbis vicarii, quam in aliis curiis cæterorum ordinariorum servandam pro examine testium ad contrahenda matrimonia inductorum.

Primo ergo authenticum ipsius obitus documentum exquiri debet

ubi haberi possit. Nam hæc num. 10 et 11 præscribuntur: "Si (testis) responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore ecclesiæ in qua humata fuerunt cadavera; vel si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sunt legitimæ et sufficientes."

Ex postremis hisce verbis habetur regula hujus S. Congregationis pro casibus in quibus talia testimonia obitus authentica haberi non possunt, nempe, ut suppleri valeant aliis probationibus legitimis et sufficientibus.

Harum præcipua exsurgit e dictis testium fide dignorum, de quibus sic in eadem instructione præcipitur: "Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei qui præsumuntur melius informati, et cives magis quam cæteri; ne admittantur homines vagi, et milites nisi data causa et maturo consilio."

Ubi autem de persona testimonium ferente agitur, opportune præscribitur, ut "una cum persona testis, alia compareat cognita notario, et quæ attestatur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum." Verum in tantis, quibus sæpe hujusmodi mortis probationes premuntur difficultatibus, S. Congregatio nullam respuit, quæ aliquid ad fidem faciendam valeat, ut perspicere possit, an pluribus quandoque concurrentibus, quæ seorsim certitudinem sufficientem parere nequeunt, omnia tamen simul juncta hanc efficiant. Hinc datur locus præsumptionibus et conjecturis, quibus testium dicta confirmentur, publicæ vocis et famæ ratio habetur. Certa facta authentica probata quæ mortem supponant expenduntur. Etiam contigit, ut testium fide dignorum probe informatorum dicta, tempore non suspecto ab aliis percepta fuerint; testes autem immediati vel morte vel absentia, aut alia de causa audiri nequeant, habeantur vero dicta testium de alieno dicto deponentium, qui tamen omnibus pensatis prudenti mortis secutæ judicio satis esse censeantur.

Jam vero cum de re gravissima agatur (matrimonium enim de jure divino indissolubile esse, dogma fidei est, atque aliud matrimonium, priore conjuge vivente, esse non potest), S. Congregatio singulos casus expendit, auditis plurium theologorum et jurisprudentium suffragiis, judicium denique suum pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti, transitus ad alia vota concedi possit.

XIII. Decreta S. Congregationis Rituum,

Quoad Missam pro Sponso et Sponsa.

[*Ad Titulum V., Cap. IX., num.* 333.]

In celebratione Nuptiarum, quae fit extra diem Dominicam, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat duplex primae, vel secundae classis, etiamsi fiat Officium, et Missa de Festo duplici per annum, sive majori, sive minori, dicendam esse Missam pro Sponso et Sponsa, in fine Missalis post alias votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis, aliisque diebus Festis de praecepto, ac duplicibus primae, et secundae classis dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa. (Die 30 Decembris, 1783.)

Praefatum Decretum, SS[mus] D. N. D. Pius, Papa VI. confirmavit et ubique executioni dandum esse praecepit, die 7 Januarii, 1784.

Sacra Rituum Congregatio die 28 Februarii, 1818, "decrevit quod firma remanente dispositione praefati Decreti quoad designationem dierum, in quibus Missa votiva pro Sponso et Sponsa celebrari potest, eamdem esse votivam privatam, proindeque semper legendam sine Hymno Angelico, et Symbolo Niceno, cum tribus Orationibus, prima videlicet ejusdem Missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis, 2 et 3 diei currentis, ut in Rubric. Tit. VII., num. 3 de Commemorat., Benedicamus Domino in fine, et ultimo Evangel. S. Joannis."

Eadem Sacra R. Cong., die 20 Aprilis, 1822, declaravit, Missam pro Sponso et Sponsa non esse dicendam iis in diebus, in quibus juxta Rubricas fieri nequit de Festo duplici 2. classis, ut in "Octava Epiphaniae, et Vigilia Pentecostes;" sed tunc, sicut in Dominicis, et aliis Festis de praecepto, et duplicibus primae vel secundae classis, sola commemoratio fieri debet, et quidem sub distincta conclusione et post alias commemorationes de praecepto.

Tandem, quoad Missam pro Sponsis tempore Vetito, S. R. C. recenter quod sequitur solvit

Dubium. An facta per Episcopum licentia contrahendi matrimonium, temporibus a S. Concilio Tridentino vetitis, censeatur etiam permissa benedictio conjugum per preces et orationes in Missâ pro Sponsis contentas? Et quatenus negative, an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere?

Resp. *Negative in omnibus.* S. R. C., Baltimoren., 6 Feb., 1858.

XIV. Instructio S. Pontificis Pii Papæ IX.

Ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, de dispensationibus super impedimento mixtae Religionis quoad promiscua conjugia.

[*Ad Titulum V., Cap. IX., num.* 334.]

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex de Universi Dominici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus pro Apostolici Ministerii Sui munere, non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicae Ecclesiae de hisce Conjugiis documenta integra, et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de hujusmodi Catholicos inter et Acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit; tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus Immortalis Memoriae Benedictus XIV. loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo Dioecesana inscribitur.

Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super hujusmodi mixtae Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta haec Conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis, opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in Sanctitate Catholicae Religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti, seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali, ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et haec Sancta Sedes sartam, tectamque teneri

30

omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus, praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adjectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta Conjugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eò potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem Mixtis Conjugiis, in eorum et futurae prolis perniciem, contrahendis.

Jam vero, quod attinet ad praedictas conditiones, de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summâ, ac singulari sua prudentiâ hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum, unam, eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus, maturo examine perpensis, temporumque ratione habitâ, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de Mixtis hisce Conjugiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum Ipsi in posterum hujus Rescripti formulâ ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni curâ, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis.

Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem

conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis, firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a Conjuge Catholico, de conversione Acatholici Conjugis ab ipso conjuge Catholico pro viribus procurandâ, deque universa utrisque sexus prole in Sanctitate Catholicae Religionis omnino educanda, judicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce Conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro Matrimoniis contrahendis in Diocesano Rituali legitime praescriptum, exclusâ tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adjunctis, atque oneratâ ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua, ut iidem Sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam, eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam, majori, quo fieri potest, silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas, Sanctitas Sua declarandum esse jussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium, pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi concreditos a Mixtis hisce Conjugiis avertere, eosque accurate edocere Catholicae Ecclesiae doctrinam, legesque ad eadem Conjugia pertinentes; atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI.,[1] Pio VII.,[2] Pio VIII.,[3] et Gregorio XVI.,[4] de

[1] Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii, Exequendo nunc, die 13. Julii, 1782.

[2] Epist. ad Archiep. Moguntinum, Etsi Fraternitatis Tuae, die 8. Octobris, 1803.

[3] Epist. ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbonen: Litteris altero abhinc anno, die 25. Martii, 1830. Instructio ad eosdem Archiep. et Episcop., die 27. Martii, 1830.

[4] Epist. ad Archiep., et Episcop. Bavariae: Summo jugiter studio, die 27. Maii, 1832. Instructio ad eosdem, die 12. Septembris, 1834.

Epist. ad Archiep., et Episcop. Hungariae: Quas vestro, die 30. Aprilis, 1841.

hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec Amplitudini Tuae erant significanda, jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX., cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicae Ecclesiae doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur.

Datum Romae, die 15. Novembris, 1858.

J. Card. Antonelli.

Illus^{mo} ac Rev^{mo} Archiep^{o}. Baltimorensi.

XV. Benedicti XIV. Declaratio, cum Instructione,

Super dubiis Respicientibus Matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda.

[*Ad Titulum V., Cap. IX., num.* 340.]

Matrimonia, quae in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter haereticos ex utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum et catholicam feminam ex alia parte, aut vice versa, non servata forma a sacro Tridentino Concilio praescripta, utrum valida habenda sint nec ne? diu multumque disceptatum est animis hominum ac sententiis in diversa distractis: id, quod satis uberem anxietatis ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum praesertim Episcopi, parochi, atque illarum regionum missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta sancta Sede auderent statuere ac declarare; quum autem proxime evolutis annis in tam ancipiti gravique causa apostolicae Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui, et sua erga beati Petri Cathedram observantia, de concreditae sibi ecclesiae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae dubitationi finem gravissimis verbis ac rationibus persuaderet: Clemens XII., id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, aestimarat, sacrae Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem sacra Congregatio quam accuratissime procedere, commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis

Instructio, die 30. Aprilis, 1841. Instructio ad Archiep. et Episcop. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus, die 22. Maii, 1841.

aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus atque sententiis, quas desuper explorari sategit, petendum duxit eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot hujus almae Urbis theologos, quibus injunxit, ut rem totam eâ, quâ decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent.

At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione propter viduitatem, quae incidit Romanae Ecclesiae, donec ad summum Pontificatum feliciter evectus SS^{mus} D. N. Benedictus XIV., inter primas regiminis sui curas causae hujus cognitionem repeti jussit a memorata sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut auditis Eminentissim. Patrum sententiis ipse demum, quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Quum igitur Congregatio praefata, sub diem 13. Maii currentis anni 1741, coram Sanctitate sua fuerit habita, idem SS^{mus} D. N., spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper declarationem et instructionem exarari praecepit, quâ veluti certa regula ac norma omnes Belgii Antistites, parochi, earumque regionum missionarii et Vicarii apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab haereticis inter se in locis Foederatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servata formâ per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit, declarare: negotio mature perpenso omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque Matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque, si contingat utrumque conjugem ad Ecclesiae catholicae sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex conjugibus sive masculus sive femina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod vero spectat ad ea conjugia, quae pariter in iisdem Belgii

provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam feminam in Matrimonium ducat, sive catholica femina haeretico viro nubat: dolens imprimis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementàti ab hisce detestabilibus connubiis, quae sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis conjungant: Episcopos omnes, Vicarios apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscunque Dei et Ecclesiae fideles ministros in iis partibus degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod hujus generis Matrimonium Tridentini formâ non servata ibidem contractum jam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat: declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae novum Matrimonium inire; id vero debere sibi potissimum in animum inducere conjugem catholicum sive virum sive feminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicae Ecclesiæ pertrahere ejusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad haec declarat Sanctitas Sua, ut, quidquid hactenus sancitum dictumque est de Matrimoniis, sive ab haereticis inter se, sive inter catholicos et haereticos initis in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines dominii eorumdem Foederatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem Foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas di Barriera; ita quidem, ut Matrimonia ibi praeter Tridentini formam, sive inter haereticos utrinque sive inter catholicos et haereticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque conjux ad easdem copias sive legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam

civitatem Mosae Trajectensis a Republica Foederatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine possessam.

Tandem circa conjugia, quae contrahuntur vel in regionibus Principum catholicorum ab iis, qui in provinciis foederatis domicilium habent, vel in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Principum catholicorum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis juxta canonica juris communis principia probatasque in similibus casibus alias editas a sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit statuitque, ac ab omnibus in posterum observari praecepit. Die 4. Novembris, 1741.

A. Card. Gentili, *S. C. Concilii Praefectus.*
C. A. Arch. Philipp., *Secret.*

XVI. De Baptismo hæreticorum quoad Matrimonia.

[*Ad Titulum V., num.* 339.]

Sanctissimus, in audientia habita die 20. Decembris, 1837.—Audita relatione dubii, utrum scilicet, in praesumptione Baptismi invalide collati parti haereticae, Matrimonium cum parte Catholica a Sede Apostolica dispensata inire cupienti, conferri debeat iterum Baptisma sub conditione, dixit:

Detur Decretum latum die 17. Septembris, 1830, ut sequitur: Quaesitum erat, an Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum Baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Cui instantiae responsum fuit: 1. Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. 2. Quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum esse Baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem Matrimonii. 3. Si autem certe cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est Matrimonium.

Hisque omnibus SS[mus] superaddi mandavit: in tertio casu praefati decreti respiciente nullitatem certam Baptismi in parte haeretica, recurratur in casibus particularibus.

XVII. Instructio Sacræ Rituum Congregationis, Circa Ordinem dicendi eadem die binas Missas.

[*Ad Titulum VI., Cap. I., num.* 369.]

Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporale ponat Calicem,. et Palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat, "*Quod ore sumpsimus, etc.,*" et subinde admoto aquæ vasculo digitos lavet, dicens; "*Corpus tuum Domine, etc.,*" et abstergat. Hisce peractis, Calicem super Corporali manentem adhuc, deducta Palla co-operiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde Patena ac Palla, et demum Velo. Post hæc Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice inspiciat an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim Sacræ Species primum sedulo carptæ sint, tamen dum sumuntur, cum particulæ, quæ circum sunt undequaque sursum deserantur, non nisi deposito Calice, ad imum redeant. Si itaque Divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et superexistentibus adhuc vini speciebus, ex divino præcepto compleri debet. Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum co-operiat, uti alias fit, atque ab Altari recedat.

Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis, vel ad diem crastinum servetur, (si nempe eo rursus Sacerdos redeat, Missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel gossipio, aut stupa absorpta, comburatur, vel in sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

De quibus, facta postmodum SS^mo Domino Nostro Pio Papae IX., per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas sua resolutionem S. Congñis approbare dignata est.

Die 11 Martii, 1858,

C. Epis. Albanensis Card. Patrizi, *S. R. C. Præfectus.*

H. Capalti, *Secretarius.*

XVIII. De Fundatione Missarum in perpetuum.

Rescriptum S. C.ⁿᵉ de Prop. Fide, die 10. Dec. 1857.

[*Ad Titulum VI., Cap. I., num* 370.]

Franciscus Patricius Kenrick, Arch. Balt^{s}, ad pedes Sanctitatis V. provolutus, humiliter exponit, quamdam testamento reliquisse quingentos nummos Decessori suo, quos in rem Ecclesiæ impendit, onere imposito Missas quotannis celebrandi pro usura legitima, sc. sexaginta; nam lex statuit sex pro centum nummis solvendos, et consuetudo habet ut nummi dimidium sacerdoti eleemosynam detur. Alius quidam tercentos legavit nummos, pari conditione adjectâ, adeo ut triginta sex Missæ sint quotannis pro ejus requie celebrandæ. Cum autem onus illud perpetuum grave nimis sit, supplicat Orator, ut Beatitudo Tua suprema Sua auctoritate declaret, sufficere ut mille Missæ pro priori legato, sexcentum pro posteriori celebrentur, nulla habitâ usuræ ratione, et demptis his quæ jam celebratæ sunt; vel si visum fuerit perpetuum onus imponere, ut dignetur numerum Missarum quotannis celebrandarum ad æquum numerum reducere.

Ex Audientia SS., habita die 10. Dec., 1857, SS. D. N. Pius divina Providentia Papa IX., referente me infrascripto S. C. de Prop. Fide Præfecto, benigne concessit Archiep^{o} Oratori necessarias ac opportunas pro æquâ et congrua reductione, cauto tamen pro securitate oneris perpetui meliori modo, qui per leges vel loci consuetudines practicari solet.

Datum Romæ, &c.

Alexander Card. Barnabo, *Præf.*

Hisce Literis idem Ill^{mus} ac Rev^{mus} Antistes sua manu adjecit quæ sequuntur: "His usus facultatibus, habitâ collatione cum Consiliariis, die 1. Feb. 1858, statui, celebrandas triginta tres Missas quotannis pro N. N. anima, octodecim pro animabus N. N. et conjugis. Re autem melius perpensa, ad undecim pro priore et ad sex pro posteriore reduxi, die 18. Maii, 1863, juxta æstimationem Concilii ii. Cincinnatensis."

Juvat autem hic Decretum IV. Cincin. II. referre: "Ut certa quædam norma hac in Provincia statuatur pro fundationibus Missarum, quas pietas fidelium non raro postulat, censuerunt Patres ejusmodi fundationes, maxime quando sunt perpetuæ, cum magna cautela, ob peculiaria in quibus versamur rerum adjuncta, et nonnisi in casibus spe-

cialiter ab Ordinario approbandis, esse admittendas; eâ etiam ratione, ut pro Missâ privata fundum saltem quinquaginta scutatorum, pro cantatâ vero centum scutatorum prius existat, curante quoque Ordinario, ut conditiones fundationum ad amussim adimpleantur."

XIX. De Vino Genuino in Missa adhibendo.

Rescriptum S. C. de Prop. Fide, 10 Martii, 1861.

[*Ad Titulum VI., Cap. I., num.* 373.]

Illus^me^ ac Rev^me^ Domine!

Ex novis humani ingenii inventis, quibus aetas haec nostra ceteris antecellit, etsi commoda plus quam mediocria percipiantur, eorum tamen occasione abusus non pauci, iique in rebus gravissimis occurrere deprehenduntur. Cum igitur ex chimicae progressibus eo ventum sit, ut multa in naturae similitudinem componantur aut conficiantur, contingit frequentissime, ut in regionibus praesertim uvarum penuria laborantibus vina quaedam fabricentur, quae musto ex uvis expresso minime constant. Hinc vero plures per Ecclesiam Antistites talia recentur edere decreta debuerunt, quibus vini artefacti usus prohiberetur omnino ab altaris ministerio, quo videlicet Divini Sacrificii securitati, ut par erat, consuleretur. Quam quidem in rem, sicut in ipsa Urbe E^mus^ Sanctitatis Suae Vicarius quaedam adsignavit loca, ubi vinum de vite tanquam tale recognitum ab Ecclesiarum Rectoribus aliisque Sacerdotibus emi posset, ita aliis in locis ea Episcopi in eumdem finem statuerunt, quae pro sua prudentia expedire judicarunt.

Porro vel in ipsa America res tanti momenti Episcoporum vigilantiam non effugit, ideoque notum est Sacrae huic Congregationi, Decreta quaedam in Provincialibus Conciliis fuisse condita, ut caveretur ne quis vinum artefactum in Missae Sacrificio adhiberet. Quandoquidem vero, hisce non obstantibus, nuper a SS^mo^ Domino Nostro petitae fuerint sanationes super obligationibus Missarum in quibus bonâ fide vinum arte confectum fuerat adhibitum, idcirco comperuit Sanctitas Sua Antistitum curas aut Decreta finem intentum haud plene atque ubique locorum fuisse consecuta.

Quae cum ita sint, jussit Beatissimus Pater, ut vigilantia omnium ac singulorum Antistitum et Vicariorum Apostolicorum a S. Congregatione Christiano nomini Propagando praeposita dependentium, (praesertim illorum locorum in quibus vites vel parum vel nullo modo coluntur) suo nomine excitaretur, ad eas edendas praescriptiones

vel cautiones Sacerdotibus praescribendas, quibus omne nullitatis periculum a Sacrificio Altaris, quod supremus est religionis actus, penitus arceatur.

Quod quidem dum ad mentem SS^{mi} D. N. Amplitudini Tuae significare non praetermitto, Deum precor, ut Te diu sospitem servet incolumemque.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 10. Martii, 1861.

Amplitudinis Tuae,

Ad Officia paratissimus,

AL. C. BARNABO, *Præf.*

REV^{MO} D. P. ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI.

XX. DE ITALIS HAUD DISPENSANDIS.

RESCRIPTUM S. C. P. F., Aug. 30, 1865.

[*Ad Titulum VII., Cap. II., num.* 385.]

ILLUS^{ME} AC REV^{ME} DOMINE:

Relatum est Apostolicae Sedi abusum hunc non raro contigisse, ut videlicet Itali qui in exteras Dioeceses proficiscuntur, atque in iis peregre versantur, dispensationes obtineant super impedimento mixtae religionis. Ne unquam igitur ejusmodi factum instauretur in posterum, SS^{mus} Dominus Noster Pius PP. IX., de consilio E^{morum} ac R^{morum} Patrum Generalium Inquisitorum, censuit in Domino praecipiendum, ut omnes et singuli Episcopi, qui facultate instructi sunt dispensandi super dicto impedimento certiores efficiantur, in ejusdem usu excipi Italos, de quibus non constet Italicum domicilium omnino deseruisse.

Interea Deum precor, ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die XXX. Augusti, MDCCCLXV.

Amplitudinis Tuae,

Ad Officia paratissimus,

AL. C. BARNABO, *Præf.*

R. P. D. ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI.

XXI. Literæ Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis,

De Regularibus.

[*Ad Titulum VIII., Cap. I.*]

Universo Clero Archidiœcesis Mechliniensis.

Reverendi Domini!

Ut dubia præcaveamus, quæ occasione restaurationis ordinum Regularium exemptorum oriri possent, sequentia vobis communicare consultum duximus.

Sanctissimi Domini Nostri voluntas est, ut Regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit, exemptio conservetur, cujus utilitas, (sunt verba ejus) ecclesiasticis sanctionibus longâque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæreticorum et incredulorum in illam odio comprobata est. Proinde superiores ordinum exemptorum gaudent ordinaria jurisdictione in sibi subditos religiosos, hisque sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ, viaticum et extremam unctionem administrare possunt et tenentur. Superior cujusque domus est parochus, ipsaque domus est quodammodo parochia religiosorum in ea habitantium; quare sepultura et exequiæ eorum per superiorem in sacello vel ecclesia domus fieri debent. Si autem corpus ad ecclesiam vel cœmeterium alicujus parochiæ deferatur, pastor jus habet sepulturam faciendi ac jus suum percipiendi, licet omnino deceat, ut sinat religiosos hoc quoque ultimum obsequium defuncto fratri exhibere. Religiosis æquiparantur novitii, famuli, et commensales continui, qui sunt sub obedientia superioris.

Abstrahentes a quæstione, quæ inter canonistas controvertitur, an discipuli convictores commensalibus annumerandi sint, speciatim justisque de causis concedimus et statuimus, ut regulares, qui cum consensu nostro scholas aut collegia aperuerint, discipulos omnes sive internos sive externos, certioratis tamen prius parochis, ad primam communionem et communionem paschalem in ecclesiis vel sacellis suis admittere valeant, nec non ut discipulis in scholis vel collegiis decumbentibus sacrum viaticum et extremam unctionem administrent, ac ibidem defunctis justa persolvant.

De jure possunt Regulares in suis ecclesiis et sacellis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ministrare omnibus Christi fidelibus, excepta solâ die Paschatis: ab ordinario approbati, possunt quovis die

fidelium confessiones excipere, ita quidem ut per eas impleatur præceptum annuæ confessionis; quando autem confessionem infirmi exceperunt, tenentur parochum certiorem facere. Tandem fideles in Regularium ecclesiis et sacellis verbum Dei audire, et præcepto audiendi Missam satisfacere possunt.

Quamvis domus Regularium, in quibus, duodecim religiosi actu non habitant, maneant subjectæ jurisdictioni ordinarii, provisorie tamen et donec aliter statuerimus, concedimus Regularium superioribus, ut jurisdictione et facultatibus supra enuntiatis gaudeant, etsi dictus numerus religiosorum domum vel monasterium actu non inhabitet.

Optamus autem vehementissime, ut in diœcesi nostra inter clerum sæcularem et regularem constantur vigeat pretiosa illa animorum consensio, quâ nihil Deo gratius, nihil hominibus solet esse utilius. Omnes eidem militiæ nomen dedimus, omnes eamdem causam agimus; arcte igitur laboris simul et concordiæ vinculo nos esse conjunctos oportet.

Sicut religiosi clerum sæcularem honore prævenire debent, neque illius jura infringere vel auctoritatem minuere possunt, ita quoque parochi et vicarii, et quotquot de clero sæculari sunt, tenentur religiosas familias, tamquam manum subsidiariam ad bellandum bella Domini divinitus datam, sincera charitate diligere et in honore habere, unum corpus et unus spiritus esse debent, sicuti vocati sunt in una spe vocationis suæ (Eph. 4.), charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes (Rom. 12).

Cæterum, ut magis pateat quanta sollicitudine ecclesia hanc concordiam manutenere satagat, verba transcribimus Concilii Viennensis, quæ in corpus juris canonici, Clementinarum libro 5., tit. 6., relata sunt: "Quia una est Regularium et sæcularium, prælatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides et unum baptisma, decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti. Decet igitur, ut et prælati et alii tam exempti quam non exempti suis juribus sint contenti, et alter in alterius injuriam non prosiliat seu jacturam. Universis igitur prælatis ecclesiarum præsentis sanctionis edicto districte præcipiendo mandamus, quatenus . . . . viros religiosos . . . . charitative tractent et foveant, et sua jura et privilegia inviolabiliter iis servent." Addimus verba Leonis X., in constitutione quæ incipit: *Dum intra;* "Fratres (Regulares intellige) in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut episcopos loco SS. Apostolorum subrogatos, pro debita et Nostra ac Apostolicæ sedis

reverentia, congruo honore et convenienti observantia venerentur; . . . ipsos quoque episcopos hortamur, et per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitative tractent ac benigne foveant, seque illis minime difficiles, aut duros vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios piâque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tamquam in agro Dominico co-operatores eorumque laborum participes, promptâ benignitate recipiant, eorumque jura omni cum charitate custodiant atque defendant. Tandem remittimus ad eximiam Epistolam illustrissimi Humberti a Precipiano, Sedis Apostolicæ laudibus comprobatam, in quâ concordia Cleri et Regularium multum commendatur. (Synodici Belgici, Tomo 2, pag. 416.)

Cum sincero affectu permanemus, Reverendi Domini, Vester humillimus famulus.

Mechliniæ, 15. Januarii, 1836.

† ENGELBERTUS, *Archiep. Mechl.*

XXII. DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS SUPER STATU REGULARIUM,

AUCTORITATE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PP. IX. EDITUM; DE TESTIMONIALIBUS ORDINARIORUM LITTERIS REQUIRENDIS IN RECEPTIONE ILLORUM, QUI AD HABITUM RELIGIOSUM ADMITTI POSTULANT.

[*Ad Titulum VIII., Cap. I.*]

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, quâ semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut, antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium aperirent. Verum quamlibet moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad religiosum habitum admitti postulant. Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas præ ceteris agnoscere possunt, et sæpe sæpius ea manifestare impedimenta, quæ alios latent. Hæc animadvertens SS. Dominus Noster Pius PP. IX., audito

voto S. R. E. Cardinalium hujus Sacræ Congregationis super Statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum episcoporum, præsenti Decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando hæc quæ sequuntur, Apostolica auctoritate statuit atque decernit.

I. In quorunque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in eis emittantur vota solemnia sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quæ ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et, expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in præfatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de postulantis qualitatibus, referre debeant, de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii, eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse, hujusmodi testimoniales litteras denegare, in iisdem tamen super præmissis singulis articulis in tantum testari debere, quo ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint.

III. Omnibus et singulis Superioribus regularibus aliisque religiosis, ad quos spectat, cujuscunque gradus sint, et instituti licet exempti et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctæ obedientiæ hujus Decreti observantia districte præcipitur, et qui contra hujus Decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, pœnam privationis omnium officiorum, vocisque activæ, et perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a quâ non nisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cujuscunque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum, etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior Religiosus consequeretur, nunquam huic Decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriæ generales quantumvis amplæ apponantur. Quod si alicui Instituto expresse et nominatim dispensatio super eodem Decreto

aliquando concedi contigerit, aliis minime extendı poterit, vi cujuscunque Privilegii et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno, die prima Januarii, in publica mensa, hoc Decretum legatur, sub pœna privationis officii, ac vocis activæ et passivæ a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem hujus Decreti observantia, aliqua ratione, titulo, prætextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscunque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, statutis cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, necnon cuilibet Privilegio, licet in corpore juris clauso et Apostolicis Constitutionibus ac Decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscunque, prorsus derogat et derogatum esse declarat.

Datum Romæ, ex Sacra Congregatione super Statu Regularium, die 25. Januarii, 1848.

ANDREAS RIZZARI,
a Secretis.

Die 6. Februarii, 1848, prædictum Decretum affixum et publicatum fuit ad valvas ecclesiæ S. Joannes Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ et Curiæ Innocentianæ, ac in aliis solitis et consuetis urbis, per me Aloysium Pittori, Apostolicum cursorem.

JOSEPH CHERUBINI,
Magister Cursorum.

XXIII. DE SS. SACRAMENTO IN SACELLO, APUD QUASDAM COMMUNITATES ASSERVANDO.

[*Ad Titulum VIII., num.* 416.]

BEATISSIME PATER:

Sanctissimam Eucharistiam in domibus Puellarum Charitatis, Sororum Boni Pastoris, aliarumque religiosarum mulierum, asservandi consuetudo diu in hac regione invaluit. Patres Concilii Baltimorensis IX. nolunt hanc consuetudinem omnino tollere, quum ad bonum spirituale prædictarum Communitatum, discipularumque, et orphanarum, cujus curam gerunt, non parum conferat; neque tamen eam amplius tolerandam sine S. Sedis permissione judicant. Humillime igitur a Sanctitate Tua petunt, ut Episcopis hujus Provinciæ faculta-

tem permittendi ut SS. Sacramentum apud prædictas Communitates in congruo sacello asservetur, quando id expedire judicaverint, benigne concedere dignetur.

Ex Audientia Sanctissimi, habita die 25. Julii, 1858.

SSmus Dnus Noster Pius, divina Providentia Papa IX., referente me infrascripto S. Congregationis de Propag. Fide Cardinali Præfecto, benigne annuit pro gratia juxta petita; dummodo ante ciborium lampas semper accensa die ac nocte retineatur, et ciborii claves ab aliquo presbytero custodiantur, servatis in reliquis de jure servandis.

Datum Romæ, ex Ædib. S. Congreg. de Propag. Fide, die et anno ut supra.

AL. C. BARNABO, *Præfectus.*

XXIV. DE COLLEGIO MISSIONARIO,

BARCINONÆ IN HISPANIA FUNDANDA.

LITERÆ EMMI CARD. BARNABO, AD ILLMO AC REVMO MONTEREYENSEM EPISCOPUM.

[*Ad Titulum IX., Cap. III., num.* 450.]

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE!

Accepi Literas Amplitudinis Tuæ, die 2. Octobris ad me Parisiis datas, quibus enarras quæ circa propositum erigendi Collegium prope Barcinonam, ad Missionum Hispanicæ linguæ in istis regionibus subsidia, gesseris. Ea quidem omnia acceptissima mihi ac prorsus optima visa sunt, ejusque naturæ ipsum consilium sese prodit, quo maximum in rem Catholicam emolumentum expectandum sit. Quod itaque ex me est, idem consilium summopere laudo, ac plane probo. Studium vero Amplitudinis Tuæ in iis omnibus, quæ ad rem Catholicam provehendam spectant, et suscipio, et novis stimulis excitare quotidie magis curabo. Interea Deum precor, ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romæ, ex Ædibus S. C. de P. F., die 13. Novembris, 1867.

Uti Frater addictissimus,

ALEXANDER CARD. BARNABO,
Præfectus.

Illusmo ac Revmo Episcopo Montereyensi.

XXV. Benedicti XIV. Constitutio Gravissimum, De Missionum utilitate.

(*Ad Titulum X., Cap. II.*)

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Gravissimum Supremi Apostolatus Ministerium, quod Nobis immerentibus delatum fuit, duo potissimum requirit: primum nempe ad Sanctam Religionem amplectendam eos Populos adducere, qui illam vel nunquam susceperunt, vel susceptam infortunio misero funestoque deseruerunt; alterum vero, Religionem ipsam sartam tectam diligenter in iis locis tueri, in quibus integra Divino beneficio conservatur. Porro nomine Religionis non intelligimus ea solum, quae ad salutem obtinendam necessario fide tenenda sunt; sed etiam, quae praestari debent operibus, ut vitam moresque Christianae disciplinae consentaneos ostendamus, ac beatissimam in coelis felicitatem post hujus vitae curriculum assequamur.

§ 1. Equidem Romani Pontifices, Praedecessores Nostri, ut huic muneri satisfacerent, omni tempore Viros pietate ac doctrina praestantes elegerunt, qui Fidem Catholicam in omnes terrae partes disseminarent; quorum exemplis inhaerentes, pro tenuitate virium nostrarum, ac temporum difficultatibus, Nos pariter idem institutum retinuimus. Secundo loco, Romani Pontifices omnem curam semper impenderunt, ut morum disciplinam, et sanctitatem labefactatam ac jacentem in illis Dioecesibus excitarent, ubi solius Episcopi studium, et opera pro re gerenda satis esse non putabantur: nam vel Apostolicos Visitatores in eas Dioeceses miserunt, vel aliis remediis usi sunt, quae magis idonea viderentur. Idem consilium Nos quoque secuti sumus, quoties Fidelium corruptelae ad aures nostras pervenerunt, ut negligentiae notas, cum ante Supremum Judicem steterimus, quo possumus, studio declinemus. Etenim Vicarios Apostolica auctoritate praeditos non semel designavimus, qui Dioeceses, ubi opus esset, ad pristinam disciplinam restituerent; multas Epistolas dedimus peculiaribus Episcopis, vel pluribus simul, vel etiam universis, ad ipsorum sollicitudinem stimulandam; alia quoque consilia, ac rationes inivimus, quas hic recensere supervacaneum est.

§ 2. Post haec dissimulare minime possumus, exploratum Nobis esse, vestris in Civitatibus probos quidem homines versari, sed longe

plures inveniri perditos, qui praesertim in montanis locis, et a vestris Sedibus valde sejunctis, vitam ab omni virtute alienam traducunt; qui si a Fide non aberrant, uti confidimus, corruptis tamen moribus, ac flagitiis, in se concitant divinam iracundiam, et properant ad sepulchrum, quin antea dignos Poenitentiae fructus ostendant.

§ 3. Equidem vestra, Nostraque diligentia id magnopere postulat, ne in tam gravi negotio desides atque socordes, non sine crimine videamur. Quapropter de opportunis remediis diu cogitavimus, ac primum ad Deum Patrem luminis confugimus; preces quoque nostras ad Beatam Virginem convertimus, cujus Natalitio die has litteras scribimus; deinde vos hortandos censuimus, ut ea, quae subjicimus, pro bono vestrarum Dioecesum, executioni strenue demandetis.

§ 4. Quo tempore Nos ipsi in minoribus constituti munus Promotoris Fidei per plures annos exercuimus, cujus est, accurato semper examine virtutes ac merita illorum perpendere, qui inter Sanctos referendi sunt; quo etiam tempore per plures annos fuimus a Secretis Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui pro ratione sui muneris summopere contendunt, de medio auferre corruptelas, quae Dioeceses labefactant; insuper cum plures Episcopos doctrinae laude, ac pietatis studio praeclaros eo temporis spatio familiari consuetudine cognoverimus; ac postremo cum Sedem Anconitanam ante Pontificatum tenuerimus, ac deinde in Bononiensem translati, (cujus administrationem cum Summo Pontificatu conjunctam gerimus) in illa supra decennium morati simus, diuturna experientia edocti perspeximus, ad improbos mores corrigendos, qui vel serpere incipiunt, vel nimis jam invalescunt, vel tandem diuturnitate confirmati Dioeceses latius occuparunt, nihil magis conferre, quam alienam opem ac vires implorare, videlicet Sacras Missiones ubique indicere, praesertim in iis locis, quae magis a Civitatibus sejunguntur.

§ 5. Et profecto Viri Missionarii merito comparantur Joanni Apostolo, ejusque sociis, qui acciti fuerunt ex alia navi, ut operam suam praeberent Petro atque Andreae in mari laborantibus, ita ut non possent ob copiam incredibilem piscium retia deducere, uti constat ex evangelio Sancti Lucae, *Cap.* 5., quod Maldonatus his verbis interpretatur: *Debent Ecclesiae Pastores, cum ipsi per se aut imposito, aut suscepto oneri non sufficiunt, alios a quibus juvari possint, advocare.* Idem prorsus, ante Maldonatum, Jansenius adverterat *in Concordia Evangelica, Cap.* 25.

§ 6. Cum Fidei Promotorem egimus, virtutes examinavimus, et res praeclare gestas a Dei Famulis Juvenali Ancina Salutiarum Episcopo, Cardinali Roberto Bellarmino Archiepiscopo Capuano, Alex-

andro Sauli primum Aleriae, ac deinde Papiae Episcopo, quem Nos ritu solemni inter Beatos recensuimus; ac postremo a Sanctis Vincentio de Paulis, et Joanne Francisco Regis, quos Pontifices Decessores Nostri rite in Album Sanctorum retulerunt. Itaque, cum egregia facinora horum praestantium Virorum expenderemus, apertissime cognovimus, incredibilem gloriam tribus primis evenisse in cura animarum administranda, ob eam causam potissimum, quod omne studium posuerint, ut Sacrae Missiones in suis Dioecesibus assidue peragerentur. Duos autem, quos postremo loco nominavimus charitate erga Deum, et proximum maxime praeditos, ornatosque deprehendimus; ac potissimum Sanctus Vincentius de Paulis eam certissime probavit, eo quod Missionariorum Congregationem instituerit, et ipsemet, (donec incolumitas corporis permisit) Missiones easdem exercuerit. Joannes quoque Regis sancto charitatis igne conflagrasse palam ostendit, ob singularem alacritatem, quâ difficiles et asperrimos montes adire non dubitavit, ut ignaros populos christiana doctrina ac moribus imbueret, et ad bonam frugem traduceret, quoties ab ipso Episcopi aut ejus Praepositi id postularent.

§ 7. Illud etiam non ignoratis, in more positum esse Episcopis, ut statis temporibus ad Sac. Congregationem Concilii Tridentini Interpretem de suis Ecclesiis referant, earumque statum plane exhibeant. Itaque cum Nos ipsi Secretarii munere fungeremur, quoties in aliqua Dioecesi Missiones indictas fuisse relatum fuit, toties jussu Congregationis ejusdem, vel Summorum Pontificum, hoc consilium magnopere commendavimus in responsis, quae ad Episcopos fieri consueverunt, eosque incendere non praetermisimus, ut laudabiliter inceptum prosequerentur. Non semel etiam Episcopos redarguere jussi fuimus, qui pios Missionarios non accirent, ut languentem, sicut ipsi asserebant, in populo pietatem, et in viris Ecclesiasticis disciplinam, excitarent, et in utrisque peccandi licentiam cum scandalo junctam coercerent.

§ 8. Typis impressa est historia rerum gestarum a Benedicto XIII. de Nobis optime merito, Nationis vestrae ornamento, et Beneventanae Ecclesiae per plures annos Archiepiscopo. In lucem pariter edita fuit vita Cardinalis Innici Caraccioli, qui Sedem Aversae magna virtutis commendatione tenuit, et Episcopi de Cavaleriis, qui Troyae Ecclesiam summa pietate, ac studio religionis administravit. Si vobis ante oculos unquam proposuistis, vel in posterum eos libros proponetis, intelligetis profecto, maximos sibi, populisque sibi traditis fructus evenisse ex Sacris Missionibus, quas suis Dioecesibus compararunt. Nos quidem has historias accurate legimus, et magna cum voluptate typis evulgata vidimus ea omnia, quae Viri illi praeclarissimi saepius

Nobis explicaverant, cum adhuc in terris versarentur. Etenim Benedictus XIII. operâ Nostra, dum Pontificatum gereret, semper usus est; alios autem, quos nuncupavimus, non semel alloqui Nobis opus fuit, eisque litteras dare, quibus eorum negotia expedirentur.

§ 9. Tandem Sacrarum Missionum utilitatem ac necessitatem Nos ipsi compertam habuimus, quoties illas accivimus in Dioecesim Anconitanam, quo tempore Nobis commendata fuit; et quandiu Bononiensem Ecclesiam Nosmet praesentes administravimus; et nunc etiam curamus diligenter, ut eædem Missiones quandoque indicantur ab eo, qui juxta normam, et consilia a Nobis praescripta, vices Nostras obtinuit. Tum plane agnovimus veritati consentaneum esse, quod Paulus Segneri Societatis Jesu, Concionatoris, Scriptoris, ac Missionarii laude clarissimus, scriptum reliquit: nempe: *Missionum tempore tot Concionatores merito nuncupari posse, quot perculsi piis exercitationibus ad Poenitentiam inflammantur, suoque exemplo alios pertrahunt ad eandem virtutem exercendam: ex illis autem Missionibus magis copiosum fructum dimanare, quibus majori frequentia populus intersit; ea prorsus ratione, quâ ignis magis augetur, si plures in unum locum carbones congerantur.*

§ 10. Quocirca neque novum, neque incertum, neque a Nobis excogitatum dici potest hoc remedium, quod populi corruptelis corrigendis proponitur. Antiquum illud est, malis curandis aptissimum, et fortasse unicum, quod tot Episcopi pietatis gloria insignes magna cum utilitate suis in Dioecesibus adhibuerunt, quod Nos ipsi toties experti sumus, et Vos etiam qui procul dubio populum vobis commissum Sacris Missionibus aliquando recreastis.

§ 11. Sed, ne virtute sua careat ejusmodi remedium, preces ad Deum effundendae sunt; quippe: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Deinde seligendi sunt Missionarii doctrinae laude praestantes, quive populum diligenter instituant. Nam merito suspicamur, idque non sine lacrymis ac moerore scribimus, suspicamur, inquam, plures animas ex illis, quae Nobis, ac Vobis traditae fuerunt, ad interitum ruere, eo quod res necessarias *necessitate medii,* ut ajunt Theologi, penitus ignoraverint. Illi potissimum Missionarii vocari debent, qui postquam labes et scandala populi certo deprehenderint, ipsorum gravitatem ac turpitudinem suis Concionibus ostendant, et vehementer arguere possint. Id constat ex testimonio S. Marci *Cap.* 3., ubi Christus eligit Apostoles, *ut mitteret eos praedicare;* idem etiam desumitur ab Actis Apostolorum, C. 6., ubi ipsi praedicationem verbi, tanquam peculiare munus sibi demandatum, testantur: *Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei, et*

ministrare mensis. Idem S. Paulus docuit, 1. ad Corinth: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare;* et Epist. 2 ad Timoth: *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus, praedica verbum, insta opportune, importune.*

§ 12. At vero Missionarii suae vitae ratione atque exemplis, populum ad virtutem incendere debent. *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum,* inquit idem Apostolus ad Titum. S. Lucas in *Actis Apost.* testatum reliquit, quod Salvator Dominus: *Coepit facere et docere.* Postremo Missionarios Deo se penitus devovere fas est, nec ullam admiscere cupiditatem inanis gloriae, vel spem emolumenti, licet exigui, dum populis erudiendis incumbunt. Equidem magno fructu cumulatas fuisse accepimus Missiones, quae peractae sunt, cum S. Carolus Borromaeus Mediolanam Sedem teneret. Idem nunc etiam contingit operâ ac virtute Oblatorum, quos ille instituit, quique a S. Ambrosio nuncupantur: nam prae caeteris illud praescriptum habent, ne ulli incommodum afferant, et ne ulla causâ vel ratione unquam moveantur, ut aliquid dono accipiant, quemadmodum ab Actis Ecclesiae Mediolanensis, quae anno 1599 Typis edita fuerunt, *part.* 5. p. 841., clare deprehenditur. Ad S. Joannem Chrysostomum mentem convertite, qui *in Homilia* 46. *super Matthaeum* fatetur, universum terrarum Orbem ab Apostolis traductum fuisse ab errore ad veritatem, a veteri superstitione ad Christianam disciplinam amplectendam, non quod mortuos ad novam vitam revocaverint, sed quia solutum avaritia et omni cupiditate animum penitus habuerint: *Quid est enim, quod eos magnos ostendit? pecuniarum contemptus, gloriae despectus, ab omnibus vitae negotiis ereptio; quae si non habuissent, etsi mortuos suscitassent, non solum nullos juvissent, sed etiam seductores aestimati essent.*

§ 13. Civitas Neapolis affluit magna copia Ecclesiasticorum, qui pietate, doctrina, et pro agendis Missionibus experientia valde commendantur. Plenae sunt etiam Virorum hujusmodi, Congregationes Sedis Archiepiscopalis Patris Pavonis, et Sacerdotum, qui a S. Gregorio nomen accipiunt, qui Pii Operarii vocantur; ac tandem non desunt Domicilia Sacerdotum, qui S. Vincentii de Paulis institutum dato nomine sequuntur. Messis quidem multa est, sed Operarii sufficient, si ita distribuantur, ut populorum utilitas atque necessitas postulabit. * * *

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Majorem, die 8. Septembris, 1745., Pontificatus Nostri Anno VI.

XXVI. Literæ S. Congr. Indicis ad Ordinarios Dioecesium,

De malis libris a fidelibus avertendis.

[*Ad Titulum XI., Cap. I.*]

Illustr. ac Reverend. Domine!

Inter multiplices calamitates, quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est Pravorum Librorum colluvies universum pene orbem inundans, quâ per nefarios ac perditos homines divina Christi Religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores, incautae praesertim juventutis, penitus labefactantur, et socialis quoque consuetudinis jura et ordo sus deque vertitur, et omnimode perturbatur. Neque ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur Libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis qui minimi veneunt libellis, et per publicas, atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cujusque et infimi populi fidem simplicitatemque corrumpant.

Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc perniciem a populis sibi commissis avertant, ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis Libris de more deferunt zelo adlaborantes, ut Romanae Sedis habito judicio, et proscriptione a vetita lectione talium Librorum fideles deterreant. Neque iis difficilem se praebuit, et praebet S. Congregatio, quae quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto Christiano Orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravatur, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et expeditum super quavis causa ferat judicium: ex quo fit, ut aliquando serotina nimis sit provisio, et inefficax remedium, cum jam ex lectione istorum librorum enormia damna processere.

Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per San. Mem. Leonem XII. Mandatum editum est, sub die 26 Martii, 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum, et hisce litteris adjunctum, vi cujus Ordinariis locorum praecipitur, ut Libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

Cum autem hujus Apostolici Mandati provida constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque inco-

lumitati optime respondeat, SS^{mo} D^{no} Nostro Pio Papae IX. placuit ejus memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat (sicut pro certo habemus), gravissima mala removentur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urgeat necessitas. Ne vero quis praetextu defectûs jurisdictionis, aut alio quaesito colore Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, Eis Sanctitas Sua concessit, sicut Nomine et Auctoritate Ejus praesentibus conceditur, ut in hac re, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant. Ad Apostolicum autem Judicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum Supremae Auctoritatis sententia requiratur.

Interim Tibi, Ill^{me} et R^{me} Domine, copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precamur, et ad pergrata quaeque officia nos paratissimos exhibemus.

Datum Romae, die 24 Augusti, 1864.

Amplitudinis Tuae.

Addictissimus,

LUDOVICUS Cardinalis DE ALTERIIS,

S. Indicis Congregationis Praefectus.

Loco † Sigilli

Fr. Angelus Vincentius Modena, *Ord. Praed.*

Sacrae Indicis Congr. a Secretis.

Mandatam S. M. Leonis XII., additum Decreto Congr. Indicis, die Sabbati, XXVI. Martii, 1825.

Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis, ea quae in Regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae jussu editis, atque in observationibus, instructione, Additione, et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII., Alexandri VII., et Benedicti XIV., auctoritate ad Pravos Libros proscribendos, abolendosque Indici Librorum Prohibitorum praeposita sunt; ut nimirum, quia prorsus impossibile est, Libros omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos a manibus Fidelium evellere studeant, ac per Eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie, ac pervertantur illecebra.

XXVII. De Liberis Muratoribus;

Decretum X. Conventus Baltimorensis, A. D. 1810 celebrati.

[*Ad Titulum XII.*]

Archiepiscopus et Episcopi injungunt omnibus Sacerdotibus, qui in ipsorum Diœcesibus sacrum exercent ministerium, ut Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta non administrent iis, qui publice cognoscuntur pertinere ad societatem Liberorum Muratorum; nisi positive promittant, se non amplius adituros fore illorum conventus (*Lodges*), nec unquam professuros se ad illas Societates ullo modo pertinere. Insuper Pastores sæpe admonebunt populum fidelem ipsis commissum, ut inire consortium cum hujuscemodi Societatibus caute devitet.

Joannes, *Arch. Balt*[s].
Leonardus, *Episcop. Gortynæ.*
Michael, *Episcop. Philad.*
Joannes, *Epis. Bostonensis.*
Benedictus, *Epis. Bardensis.*

XXVIII. Rescriptum S. Congregationis Sancti Officii, Circa Societates Secretas.

[*Ad Titulum XII.*]

(Ex Archivio Ordinariatus Philadelphiensis.)

Articulus Epistolae Ill[mi] et Rev[mi] Francisci P. Kenrick, Episcopi Philadelphiensis, ad E[m] Card. Praefectum S. Cong. de Propaganda, die 26. Febr., 1848:

De Societatibus Secretis nunc judicium S. Sedis postulandum duxi: in hac quippe regione pullulant vigentque infinito pene numero. Liberorum Muratorum coetus damnatos novi, quos idcirco a Sacramentis procul esse jubemus, licet plerique profiteantur, se nihil adversus Ecclesiam moliri, et leges civiles eos immunes noxâ habeant.

Sunt, qui dicuntur Socii singulares (anglice *Odd Fellows*), qui occulto foedere conjunguntur, Muratorum instar: alii *Filii temperantiæ* audiunt, hanc colere virtutem profitentes, sed signis inter se utentes, quibus se invicem internoscant. Quidam juramentum non emittunt, sed pacto et promissione ad arcanum servandum se obligant, quamvis plerique nullum præter agnitionis indicia arcanum se habere dicant. Hos omnes leges tolerant, vel etiam sanciunt, privilegia collegiorum eis

tribuentes; et exploratum est eos nihil contra rem publicam moliri. Quod autem ecclesiae adversentur, negant plerique; quamvis enim cujuslibet sectae homines in eas recipiuntur, de religione non agunt, nisi apud Filios temperantiae scripturis sacris initio coetus aliquando perlectis, in reverentiae erga illas testimonium. Quae igitur Leo XII. S. M. de Societatibus Secretis statuit, eis applicari non posse quidam contendunt. Equidem puto eos non id sibi proponere ut religioni noceant, sed cum mores componere studeant juxta rationis lumen, et virtutes colant absque religionis subsidiis, videntur eo tendere ipsa vi sua, ut religio, quam dicunt naturalem, maximi habeatur, discrimine inter Ecclesiam veram et sectas, tamquam de rebus minoris momenti, flocci habito. Hactenus coetus omnes secretos illicitos putavimus esse, prout liquet ex Concilii Baltimorensis Quarti decretis: sed praesules nonnulli videntur subdubitare, utrum Constitutionem Leonis XII. rigidius aequo interpretati fuerimus, praesertim quum hi omnes in Anglia et Hibernia liciti censeantur, prout fert fama. Vellem idcirco instrui, utrum coetus illi pro vetitis habendi sint, qui profitentur se nihil adversus religionem moliri, vel civilem rempublicam, licet occultum ineant foedus juramento firmatum, vel alias se obligent ad arcanum.

Hisce litteris, cum nimis lente tardeque responderetur, praefatus Ill^s Praesul rei urgendae causa, sequentes sub die 24. Maji, 1848, scripsit Em^mo Cardinali Fransoni:

De Sociatibus Secretis, quae juramento vel sponsione obstringuntur, et a S. Sede nominatim non sunt damnatae, prioribus litteris judicium exquisivi, utrum illicitae censendae sint, eo ipso quod arcanum se habere profiteantur, negantes simul se adversus rempublicam vel religionem quidquid moliri. Responsum sollicitiori animo expecto, quum constet ex testimoniis Alexandri Smith, Episcopi Pariensis, qui ex Scotia nunc nos invisit, omnes licitas censeri in Scotia, sicut et in Hibernia et Anglia. Certam normam agendi oportet nobis esse, ne temere a praesulum aliorum judicio dissentire videamur.

Hisce litteris Congregatio S. Officii ita respondit:

Feria IV. die 21. *Augusti,* 1850.

In Congregatione Generali S. Romanae, et Universalis Inquisitionis, habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram E^mis et Rev^mis D. D. S. R. E. Cardinalibus contra hereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, et audito D. D. Consultorum voto, eidem E^mi et R^mi D. D. dixerunt: Comprehendi in Bullis Pontificiis.

Angelus Argenti, S. Romanae et Urbis Inquis. Notar.

Sequitur responsum Em^mi Cardinalis Fransoni, praefatae Epistolae Il^li D^mni Kenrick, Episcopi Philadelphiensis:

Ill^me et Rev^me D^ne:

Ex adjecto rescripto Congregationis S. Officii, Amplitudo Tua dignoscet, quid circa propositum dubium quoad Societates nonnullas istic institutas sit retinendum. Juvat porro animadvertere, secretum ac tenebras, quibus Societates nonnullae obvolvuntur, praecipuam esse rationem, ob quam per Apostolicam Sedem contra ipsas damnatio fuit lata: inde vero facile regula deduci poterit, ut in praxi judicium de iisdem efformetur. Precor Deum, ut Te sospitem servet, meque profiteor Amplitudinis Tuae.

Uti frater studiosissimus,

J. PH. CARD. FRANSONI, *Praefectus.*

Datum Romae, ex Aedibus S. Congñis. de P. F. die 7. Septembris, 1850.

XXIX. QUAESTIONES

PRO RELATIONE AD S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE.

[*Ad Titulum XIV., num.* 534.]

1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam institutum, si sit Regularis.
2. Amplitudo, et qualitas Dioecesis.
3. In qua Provincia sit, vel quot Provincias contineat.
4. Si Ecclesia sit Archiepiscopalis, quot, et quales habeat Suffraganeos; si vero Episcopalis, cujus Archiepiscopi sit Suffraganea.
5. An habeat Cathedralem, et propriam residentiam, et in quâ Civitate?
6. An Episcopus, habeat facultates speciales a S. Sede, et quas?
7. An habeat redditus proprios, quot, et in quo consistant?
8. Enumerentur loca Dioecesis, et eorum respective distantia.
9. Quando Visitatio Dioecesis fuerit paracta, num ad tramites praescriptionum canonicarum?
10. Quando Prov. ac Dioec. Synodi fuerint habitae.
11. An pro exercitio jurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis?
12. An habeat Capitulum, et ex quot Canonicis constet?
13. An adsint Praebendae, et quae?

14. Quale servitium praestent Canonici Cathedrali: et an etiam fungantur munere Parochi in locis Dioecesis?

15. An resideant intra fines Parochiae?

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, impediant liberam jurisdictionem Episcopi?

17. An habeat Seminarium, et ubi: quot Juvenes ibidem alantur, et quibus studiis vacent?

18. Num Concilii Trid. regulae circa Sem. serventur?

19. An ibi adsint Parochi, vel tantummodo simplices Missionarii?

20. An Parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo?

21. An eligantur ab Episcopo?

22. Quot sint Parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et cum quâ decentia?

23. An habeant fines certos, et propriam Ecclesiam: et quot Capellae inveniantur in districtu uniuscujusque Parochiae?

24. An aliquae Parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus, et quibus?

25. An Parochi habeant Sacerdotes, qui eos adjuvent in cura animarum?

26. Exprimatur numerus, et qualitas Catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numero scholae Catholicae, et quot in iis instituantur?

28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore? et quatenus negative;

29. An sint et quo numero scholae acatholicorum, et num Catholici et quo numero illas adeant?

30. Exprimatur numerus Sacerdotum indigenarum, et exterorum.

31. Eorum patria, mores, munera, in quibus se exercent, et cujus utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An hujusmodi Sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cujus expensis vivant?

33. An inter istos inveniantur Alumni Sacr. Congregationis de Propaganda Fide: quinam sint: et an satisfaciant muneri suo?

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates Sacerdotum indigenarum, qui sunt extra Dioecesim: tum etiam adnotentur loca, in quibus morantur: quid ibi peragant: et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae?

35. An sint etiam Clerici, et quot: quomodo, et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad Sacros Ordines promoveri possint?

36. An adsint Missionarii Regulares, quot, cujus Ordinis, et cujus Regionis?

37. An cuilibet Ordini sint assignati certi Districtus; et quâ auctoritate?

38. Ubi resideant, quibus Superioribus subsint, et quot habeant domos?

39. An habeant Conventus formatos, vel dumtaxat Hospitia: et in iis servetur Clausura?

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli, et in domibus privatis cum saecularibus: et praecipue cum mulieribus?

41. In quo habitu incedant?

42. An admittant ad habitum, et professionem sui Ordinis indigenas, et quâ auctoritate?

43. An Regulares habeant facultates speciales: et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant?

44. In quibus dependeant ab Episcopis?

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro Sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama?

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento Religionis?

47. An sit aliquis Monialium Conventus; cujus Instituti; quâ auctoritate fundatus; et cujus curae et ministerio subsit?

48. An ibidem observetur vita communis, et an Moniales obstringantur Votis Solemnibus, Paupertatis, Castitatis, Obedientiae, et Clausura?

49. An sint in Dioecesi piae aliquae Fundationes, seu Legata Pia?

50. An redditus pro hujusmodi Legatis rite administrentur et Canones ea de re serventur?

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserint etiam inter Catholicos, sive circa Fidem, et Ritus, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, Divini Verbi praedicationem, et cujusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae hujusmodi abusuum, et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur?

54. An a viginti circiter annis status Fidei Catholicae augeatur, vel potius decrescat: et quâ de causa?

55. Tandem attente perpendat spirituales Christianitatis illius necessitates: eas distincte referat; mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, et majorem Religionis profectum inducendum.

XXX. Indulgentiæ,

Quas Summus Pontifex, vel ab eo delegatus, benedicendo Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, Medaglie vulgo nuncupata, impertitur Christifidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, infrascripta pia opera implebunt.

Utriusque sexus Christifidelibus in primis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat Indulgentias, quae in praefata Benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis Numismatibus, Coronis, etc., secum habere, aut apud se retinere.

Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro Indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo, Coronam, Crucifixum, etc., vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

Praeterea ab hujusmodi Benedictione Sanctitas Sua rejicit Imagines sive impressas sive depictas, necnon Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, vulgo *Medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua Imagines et Icones benedicendas repraesentare Sanctos vel jam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum series, quas quis consequi potest, nec non piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra, videlicet:

Quicumque semel in singulis hebdomadis Coronam Domini, aut Beatissimae Virginis, vel Rosarium, ejusque tertiam partem, aut Officium sive divinum sive parvum ejusdem Beatissimae Virginis vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales vel Graduales recitabit; aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel, si Sacerdos est, celebrare consuevit, si vere poenitens, et Sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus Festis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes. Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purifica-

tionis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis Beatae Mariae Virginis, necnon diebus Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomei, Matthaei, Simonis et Judae, Matthiae, Sancti Josephi Sponsi B. Mariae Virginis, atque omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum plenariam Indulgentiam consequetur.

Qui eadem in aliis Festis Domini, aut B. Virginis Mariae peregerit, in quolibet eorum participet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum: qui vero quâvis Dominica vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea praestabit, Indulgentiam centum dierum.

Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consueverit Coronam aut Rosarium aut Officium B. Mariae Virginis vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, earumdem precibus, quo die id egerit Indulgentiam centum dierum acquiret.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, confessus, ac Sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen JESU ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam Indulgentiam consequetur.

Quicumque ante Missae celebrationem vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem divini Officii vel parvi B. Mariae Virginis; aliquam devotam praeparationem praemiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut aegrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut Doctrinam Christianam in Ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, toties Indulgentiam biscentum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanae alicujus Ecclesiae mane aut meridie aut vespere consuetas preces *Angelus Domini, etc.*, dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam*, vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis Psalmum *De Profundis*, aut si hunc nesciat, *Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam* recitabit, centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam, qui feria sexta devote

cogitaverit de Passione ac Morte Domini Nostri Jesu Christi, terque *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam* recitaverit.

Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *Oratione Dominica et Angelica Salutatione* devote repetitis in honorem Sanctissimae Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Jesu Christi *quinquies* devote eamdem *Orationem et Salutationem* recitet, eamdem Indulgentiam consequetur.

Omnes et singulas antedictas Indulgentias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut Fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

Declarat insuper Sanctitas Sua, concessione praefata Indulgentiarum nullo modo derogari Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices Praedecessores jam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

In distribuendis autem hujusmodi Coronis, Crucibus, etc., earumque usu, Sanctissimus Dominus Noster servari jubet *Decretum fel. record. Alexandri VII.*, editum *sub* 6. *Februarii*, 1657, nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria, etc., ut supra benedicta, quoad Indulgentias non transeant personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur ; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quâcumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias jam concessas: tum etiam praefata post Pontificiam Benedictionem vendi non possint; juxta dispositionem *Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum*, editi *die* 5. *Junii*, 1721.

Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum *fel. record. Benedicti XIV., datum, die* 19. *Augusti*, 1752, quo expresse declarat Missas ad Altare (in quo aliqua ex praefatis sive Crucifixi sive Numismatis Imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a Sacerdote hujusmodi Imaginem secum habente celebratas, vigore dictae Imaginis nullo prorsus gaudere privilegio.

Praeterea vetat ne quisquam, quem Infirmis mortis proximis assistere contigerit, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis, vigore hujusmodi Imaginis, illis impertiri audeat, sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad hujusmodi effectum in Constitutione *Benedicti XIV.* incipiente *Pia Mater*, satis provisum jam fuit.

XXXI. De Prerogativa Loci,

Sedi Baltimorensi Concessa; Decretum S. C. de Prop. Fide.

Quum Patres Concilii Baltimorensis Plenarii anno 1852 habiti, pro aliquo privilegio Sedi Baltimorensi concedendo, SS^{mo} D^{no} Nostro supplicassent; quumque in Synodo Provinciali Mense Maio, anni 1858 celebrati, Episcopi Provinciæ pariter Baltimorensis supplicem libellum iterum ad Sanctitatem Suam exarassent, quo in specie præminentiam honoris prædictæ Sedi Metropolitanæ postularunt, ut a cæteris distingueretur, ac memoriæ traderetur Ecclesiam illam, omnium ferme per Fœderatas Americæ Septentrionalis Provincias matrem extitisse, E^{mi} ac Rev^{mi} Patres S. Consilii Christ. Nom. Propagando, in Generalibus Comitiis diei 19. Julii nuper elapsi, censuerunt expedire ut Loci Prærogativa Sedi Baltimorensi concedatur, ita ut in Conciliis, cœtibus, et comitiis quibuscumque, Archiepiscopo Baltimorensi pro tempore existenti præcedentia, princepsque in sedendo locus, supra quosvis istarum Provinciarum Archiepiscopos, si qui adsint, nullâ habita ratione promotionis seu ordinationis, tribuatur.

Hanc vero S. C. sententiam cum E^{mus} ac Rev^{mus} D. Alexander Cardinalis Barnabo, ejusdem Praefectus, retulisset SS^{mo} D^{no} Nostro Pio PP. IX., in Audientia habita die 25. Julii hujus anni, SS^{mas} eam benigne approbavit, ac præsens Decretum expediri jussit.

Datum Romæ, ex Æd. dictæ S. Congregationis de Propaganda Fide, die 15. Augusti, 1858.

Al. C. Barnabo, *Præfectus.*

Cajetanus, Archie^{pus} Thebar., *a Secretis.*

XXXII. De Militibus et Nautis Americanis,

Ab Abstinentiæ lege Exemptis.

De hoc privilegio ita scribit beatæ memoriæ Franciscus Patricius Kenrick, Antistes Baltimorensis:

"Concessit Pius IX., ad preces Episcopi Buffalensis, ut Milites et Nautæ Americani ab abstinentiæ lege eximerentur universim, sex diebus exceptis: nempe feria quarta Cinerum, tribus ultimis Hebdomadis Sanctæ diebus, et in vigilia Assumptionis B. Maria Virginis, et Natalis Domini. Id intelligendum de iis qui actu inserviunt in castris, navibus, præsidiis, non autem qui ex venia absunt. Familiæ cum iis communi victu utentes eo gaudent privilegio, non item quæ procul degunt."—Theologia Moralis, Edit. Mechlin., Vol. I., p. 133, num. 37.

XXXIII. De Mixtis Conjugiis;

S. Cong. de Prop. Fide Novissima Instructio.

Illus^me ac Rev^me Domine!

Post editam instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua Conjugia, cui sub die 15 Nov., 1858, subscripsit E^mus ac R^mus D. Cardinalis Antonelli, eae ad Sacram hanc Congregationem pervenerunt notitiae, non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem Mixta Conjugia absque justa et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quae pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit laudatam instructionem non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum ejusdem literae ac spiritui contrarium alicubi detorqueri. Illa enim instructio expresse commemorat, quid catholica Ecclesia de hujusmodi catholicos inter atque acatholicos nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam *eas semper improbasse ac tamquam illicitas ac perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem;* dein vero in Ordinariorum memoriam revocat *antiquissimos Canones,* nec non *recentiores Summorum Pontificum sanctiones,* quibus *etsi aliquid de severitate canonum remissum sit, adeo ut Mixta Conjugia quandoque permittantur,* id tamen *gravibus dumtaxat de causis atque aegre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus in naturali ac divino jure fundatis;* ut scilicet *non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino debeat.*

Quae cum ita sint, mirari omnino debuit Sacra haec Congregatio, quod nonnullis videri potuerit praedicta instructione principiis, quae semper Sancta Sedes circa Mixta Connubia tenuit ac docuit, aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta instructione illa, quae tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Domino, ut clero ac fidelibus tuae subditis jurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiae doctrinam ac praxim circa matrimonia mixta tradere atque

inculcare studeas. Porro, quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum minime sufficit, ut sponsi cautiones, de quibus supra, admittere parati sint, nec non caeteras clausulas in rescriptis Apostolicae Sedis adhiberi solitas, sed omnino *justae gravesque* requiruntur causae, ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illae ideo naturali divinoque jure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quae mixtis insunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum ceteroquin haud devitandum immineat necesse est. Quod si aliquando in memorata instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, in Mixtis Conjugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione, *ut omnia rerum locorum ac personarum adjuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Apostolica circa Mixta Connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur!

Quamobrem enixe peto a charitate tua, ut quantum cum Domino poteris fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quae in iis continentur, pericula praecaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris, si eos opportune instruendos curaveris circa peculiarem quâ tenentur obligationem Ecclesiae vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi praepositis suis, qui strictissimam aeterno Pastorum Principi rationem essent reddituri, si Matrimonia Mixta non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent, verum etiam facile atque ad petentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

Precor Deum, ut Te diu sospitem servet incolumemque.

Datum Romae, ex Aed. S. C. de Prop. Fide, die 25. Martii, 1868.

ALEX. CARD. BARNABO, *Præf.*

JOANNES SIMEONI, *Secretarius.*

REV^{MO} P. D. ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI.

XXXIV. De Instituenda sodalitate precum pro Conversione Acatholicorum — S. C. Indultum.

(*Ad Titulum X., num.* 478.)

Beatissime Pater:

Episcopi Concilii Plenarii Baltimorensis I., misericordia moti erga tot animas diabolica fraude deceptas, et a via veritatis errantes, censuerunt instituendam esse Sodalitatem precum pro conversione acatholicorum in Fœderatis Provinciis Americæ Septentrionalis, sperantes fore, ut ex hujusmodi institutione non levia in fratres nostros errantes bona sint redundatura, maxime si Sanctitas Vestra illam approbatione sua decorare, ac infra memoratis Indulgentiis ditare dignetur.

1. Ut singulis confratribus et consororibus prædictæ Sodalitatis concedatur plenaria Indulgentia, quum rite confessi paschalem communionem receperint, qui quotidie sequentem orationem quocumque idiomate pie recitaverint: *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omnibus erroribus rejectis, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

2. Item plenariam Indulgentiam in mortis articulo lucrentur, cum vere pœnitentes et confessi, SS. Eucharistiæ sacramentum susceperint; vel quatenus id facere nequiverint, SS. Jesu nomen ore vel saltem corde invocaverint.

3. Ut unusquisque confratrum et consororum Indulgentiam centum dierum lucretur, quotiescumque præfatam orationem recitaverint.

4. Ut iis Christifidelibus prædictam orationem recitare nescientibus, supra enuntiatæ Indulgentiæ concedantur, dummodo tres *Pater, Ave* et *Gloria,* singulis diebus devote recitent.

EX AUDIENTIA SS^MI^, DIE 5 SEPTEMBRIS, 1852.

SS^mus^ D^nus^ Noster Pius, divina Providentia PP. IX., referente infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, supra descriptas preces Episcoporum Concilii Plenarii Baltimorensis, necnon votum E^morum^ Patrum S. Congregationis, benigne in omnibus annuit juxta petita, atque Indulgentias juxta propositum tenorem in perpetuum concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Al. Barnabo, *a Secretis.*

INDEX AD DECRETA,

ALPHABETICUS ET ANALYTICUS.

N. B.—Numeri ad articulos principaliores appositi *Paginam*, cæteri vero *Decretum* indicant.

SOLEMNIA SÆCULARIA MARTYRII

SS. PETRI ET PAULI,

Romæ habita, mense Junio, 1867.

Dum hujus Plenarii Concilii Acta et Decreta apud Sanctam Sedem trutinæ submitterentur, in Alma Urbe habitus est præclarissimus atque ingens Conventus; Episcoporum nempe fere quingentorum, Sacerdotum sexdecim circiter millium, Laicorum vero hominum pene innumerabilium; qui illuc vel ex remotissimis orbis terrarum regionibus festinarant, ut Solemnia Sæcularia martyrii SS. Petri et Pauli intimo cordis jubilo recolerent. Erant autem illi ex omnibus gentibus, tribubus, et populis; at in fide Catholica, atque in amore quo Summum Pontificem prosequebantur, inerat eis, sicut et primis Domini discipulis, "Cor unum et anima una." Porro opportunum duximus, et S. Patris Allocutionem, et Episcoporum Responsionem, necnon et S. Pontificis Replicationem, quæ ad hæc pertinent Solemnia, ad calcem hujus Plenarii Concilii referre, in perpetuam rei tantæ memoriam.

I. ALLOCUTIO S. PONTIFICIS PII PAPÆ IX.;

Ad Episcopos qui ad festa Sæcularia SS. Petri et Pauli Romæ convenerant;

Die 26. Junii, 1867, habita.

Venerabiles Fratres!

Singulari quidem inter maximas Nostras acerbitates gaudio et consolatione afficimur, cum iterum gratissimo conspectu ac frequentia vestra perfrui, vosque coram alloqui in hoc amplissimo conventu possimus, Venerabiles Fratres. Vos enim ex omnibus terrarum regionibus desiderii Nostri significatione et vestrae pietatis instinctu in hanc Urbem adducti, Vos eximia religione praestantes, in sollicitudinis Nostrae partem vocati nihil potius habetis, quam calamitosis hisce temporibus omnem in re catholica tuenda, animarumque salute curanda vestram opem Nobis ferre, multiplices moerores Nostros lenire, ac ampliora in dies vestrae fidei, voluntatis, et obsequii, erga hanc Petri Cathedram experimenta praebere. Hoc vestro adspectu recreamur

vehementur, hoc novo pietatis et amoris vestri argumento ac testimonio de illis libenter recordamur, quae usque ad hanc diem concordibus animis, non uno studiorum genere, non intermissis curis, non deterriti adversis certatim edidistis. Quae porro rerum suavissimarum memoria alte Nobis in animo infixa, semperque mansura, illud efficit, ut gratus Nostrae caritatis sensus, multo nunc quam alias ardentior atque vividior, erga universum vestrum ordinem perspicua testificatione et luculentioribus signis, palam publiceque gestiat erumpere.

Sed si haec leviter raptimque perstricta superiorum temporum recordatio Nos adeo percellit atque solatur, Vos ipsos, Venerabiles Fratres, facile intellecturos arbitramur, quâ laetitia exultet, quâ caritate flagret hodie cor Nostrum, dum iterum observantia et frequentia vestra perfruimur, qui ex remotioribus etiam catholicis provinciis Nostro desiderio perspecto, una omnes pietate et amore acti ad Nos convenistis. Nihil enim Nobis optatius, nihil jucundius esse potest quam vestro in coetu versari, vestraeque Nobiscum conjunctionis fructum capere, in iis potissimum sollemnibus peragendis in quibus omnia, quae versantur ante oculos, de Catholicae Ecclesiae unitate, de immobili unitatis fundamento, de praeclaro ejus tuendae servandaeque studio, ac gloria loquuntur. De illa scilicet admirabili unitate loquuntur, quâ, veluti quadam vena, Divini Spiritus charismata et dona in mysticum Christi corpus manant, ac in singulis ejus membris tanta illa fidei et caritatis exempla excitant, quae universum hominum genus in admirationem impellunt. Agitur enim, Venerabiles Fratres, hoc tempore, ut Sanctorum honores decernantur tot inclitis Ecclesiae Heroibus, quorum plerique gloriosum martyrii certamen certantes, alii pro tuendo Apostolicae Cathedrae, in quâ veritatis et unitatis est centrum, Principatu, alii pro integritate ac unitate fidei vindicanda, alii pro restituendis Catholicae Ecclesiae hominibus schismate avulsis pretiosam mortem libenter oppetierunt, adeo ut mirum divinae Providentiae consilium satis eluceat, quae tum maxime exempla adserendae catholicae unitatis, et triumphos Adsertorum proposuit, cum Catholica fides et Apostolicae Sedis auctoritas infestioribus inimicorum artibus conflictaretur. Agitur praeterea, ut memoriam diei auspicatissimi sollemni ritu recolamus, quo die Beatissimus Petrus et Co-apostolus ejus Paullus ante annos mille octingentos illustri martyrio in hac urbe perfuncti, immobilem Catholicae unitatis arcem suo sanguine consecrarunt. Quid igitur, Venerabiles Fratres, Nobis optabilius et tantorum Martyrum triumphis congruentius esse poterat, quam ut in eorum honoribus pulcherrima Catholicae Ecclesiae unitatis exempla ac spectacula, majore quâ pos-

sent significatione et luce fulgerent? Quid aequius erat, quam ut haec ipsa de Apostolorum Principum triumphis gratulatio, quae ad totius Catholici nominis religionem pertinet, vestro etiam adventu studioque celebraretur? Quid dignius demum, quam ut tot tantarumque rerum splendor pietatis laetitiaeque vestrae accessione fieret illustrior?

At non solum apta rebus et grata Nobis, Venerabiles Fratres, haec pietas, et concors cum Apostolica Sede conjunctio, sed praeterea tanti momenti est, ut maximi ex ea ac salutares admodum fructus sive ad comprimendam impiorum audaciam, sive ad communem fidelium et vestram singulorum utilitatem, omnino debeant existere. Ex hac nimirum Religionis oppugnatores intelligant necesse est, quam vigeat, quâ vita polleat Catholica Ecclesia, quam infensis animis insectari non desinunt: discent quam inepto stultoque convicio eam veluti exhaustam viribus et suis defunctam temporibus incusarint: discent demum quam male suis triumphis plaudant, ac suis consiliis et conatibus fidant, satis perspicientes tantam virium compagem convelli non posse, quam Jesu Christi spiritus et divina virtus in Apostolicae confessionis petra coagmentavit. Profecto si unquam alias, hoc maxime tempore, Venerabiles Fratres, omnibus hominibus pateat necesse est, ibi solum animos arctissima inter se conjunctione contineri posse, ubi unus idemque Dei spiritus omnibus dominatur; at Deo relicto, Ecclesiae auctoritate contempta, homines felicitatis ejus quam per scelera quaerunt expertes, in turbulentissimis tempestatibus misere dissidiisque jactari.

Sed si fidelium communis spectetur utilitas, quidnam, Venerabiles Fratres, opportunius ac salutarius ad incrementum obsequii erga Nos et Apostolicam Cathedram Catholicis gentibus esse potest, quam si videant quanti a Pastoribus suis catholicae unitatis jura et sanctitas fiat, eamque ob causam cernant eos magna terrarum spatia marisque transmittere, nec ullis deterreri incommodis, quominus ad Romanam Cathedram advolent, ut in Nostrae humilitatis persona Petri Successorem et Christi in terris Vicarium revereantur? Hac nempe auctoritate exempli longe melius quam subtiliori qualibet doctrina agnoscent, quâ veneratione, obedientia et obsequio erga Nos uti debeant; Quibus in persona Petri a Christo Domino dictum est "pasce agnos meos, pasce oves meas," iisque verbis suprema sollicitudo ac potestas in universam Ecclesiam credita est atque commissa.

Quin etiam Vos ipsi, Venerabiles Fratres, Vos in sacro vestro ministerio obeundo, ex hac erga Apostolicam Sedem observantia insignem fructum laturi estis. Quo enim majora vos necessitudinis

fidei amorisque vincula cum angulari petra mystici aedificii devinxerint, eo magis etiam, uti omnium Ecclesiae temporum memoria docet, eam fortitudinem induemini ac robur, quod ab amplitudine ministerii vestri contra hostiles impetus, et adversitates rerum postulatur. Quid enim aliud Christus Dominus intelligi voluit, cum Petrum tuendae fratrum firmitati praeficiens, "Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?"[1] Nimirum, ut S. Leo M. innuit, "specialis cura Petri a Domino suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis caeteris conferatur."[2] Quapropter Nos semper persuasum habuimus fieri non posse, ut ejus fortitudinis quâ praecipuo Domini munere cumulatus est Petrus, non aliqua semper in vobis fieret accessio, quoties prope ipsam Petri personam qui suis in successoribus vivit praesentes consisteretis, ac tantummodo solum attingeretis hujus urbis, quam sacri Apostolorum Principis sudores et triumphalis sanguis irrigavit. Immo etiam, Venerabiles Fratres, nunquam Nos dubitavimus quin ex ipso sepulcro ubi beatissimi Petri cineres ad religionem Orbis sempiternam quiescunt, quaedam arcana vis et salutaris virtus existat, quae Pastoribus Dominici gregis fortes ausus, ingentes spiritus, magnanimos sensus inspiret, quaeque instaurato eorum robore efficit, ut impudens hostium audacia, catholicae unitatis virtuti et potestati impar, impari etiam certamine residat et corruat.

Nam quid Nos tandem dissimulemus, Venerabiles Fratres? Jamdiu in acie contra callidos et infestos hostes pro justitiae et Religionis defensione versamur. Tam diuturna tam ingens dimicatio geritur, ut omnium quotquot in sacra militia censentur simul conjunctae vires, non justo majores numero ad resistendum esse videantur. Nos quidem Ecclesiae causam, libertatem, et jura pro supremi muneris Nostri ratione propugnantes, usque ad hanc diem Dei Omnipotentis ope ab exitialibus periculis incolumes fuimus, sed tamen rapimur et jactamur adhuc adversis ventis et fluctibus, non quidem timentes naufragium quod Christi Domini praesens auxilium timere non sinit, sed intimo sane dolore affecti ob tot novarum doctrinarum monstra, tot impie in Ecclesiam ipsam et Apostolicam Sedem commissa, quae quidem jam alias damnata ac reprobata,[3] palam nunc iterum pro sacri Nostri

[1] Luc., C. 22., v. 32.

[2] Ser. 3,. in anniv. Ass. suae.

[3] Alloc. Consist., 29. Oct., 1866.

muneris officio reprobamus et condemnamus. In hac tamen praesentis temporis ratione, et in ea quam capimus ex conspectu vestro laetitia, ultro commemorare praetermittimus tot sollicitudines, curas, angores qui cor Nostrum gravi ac diuturno vulnere excruciant ac torquent. Haec potius omnia apud altaria afferemus quae Nostris assidue oneravimus precibus, respersimus lacrimis; haec omnia Clementissimo misericordiarum Patri instauratis obsecrationibus aperiemus iterum ac revelabimus, in Eo omnino fidentes, qui Ecclesiae suae incolumitatem et gloriam tueri novit et potest, quique judicium faciens omnibus injuriam patientibus de causa Nostra et adversantium Nobis non fallente die, justo judicio judicabit.

Interim vero vos, Venerabiles Fratres, pro spectata vestra sapientia recte intelligitis, quam vehementer intersit ad occurrendum impiorum consiliis et tot detrimenta Ecclesiae sarcienda, ut quae vestrum omnium cum Nobis et Apostolica hac Sede concordia tantopere enitet, altius in dies defixis radicibus roboretur. Quin immo, hic catholicae conjunctionis amor, qui ubi semel inhaesit animis, ad aliorum etiam utilitatem late dimanat, hic profecto vos conquiescere non sinet, nisi pariter in eadem catholica concordia ac indivulsa fidei, spei, caritatisque consensione ecclesiasticos omnes viros quorum Duces estis, et universos fideles vobis concreditos una opera praestare connitamini. Nullum sane spectaculum angelorum atque hominum oculis pulchrius esse poterit, quam si in hac peregrinatione nostra, quâ ab exilio ad patriam pergimus, aemula imago referatur et ordo peregrinationis illius, quâ duodecim Israeliticae Tribus ad felices Promissionis oras conjunctis itineribus contendebant. Ingrediebantur enim omnes, singulae suis discretae auctoribus, distinctae nominibus, diremptae locis, parebantque suis quaeque familia patribus, bellatorum manus ducibus, hominum multitudo principibus; sed tamen unus erat tot ex gentibus populus, qui Eidem Deo et ad eamdem supplicabat aram, unus qui iisdem legibus, eidem Sacerdoti Maximo Aaroni, eidem Dei Legato obtemperabat Mosi, unus qui pari jure in bellorum laboribus et victoriarum fructibus utebatur, unus demum qui pariter sub tentoriis agens, et admirabili vescens cibo, eamdem concordibus votis adspirabat ad metam.

Hujusmodi vos conjunctioni perpetuo retinendae operam daturos, tot jam pignoribus vestrae fidei concordiaeque acceptis, certum omnino ac exploratum habemus. Spondet id Nobis spectata vestra integritas, ac praestans virtus, quae semper ubique sui similis, et omni periculo major effulsit: spondet illud ingens studium et ardor, qui vos ad aeternam hominum salutem curandam, et ad divinam amplificandam glo-

riam rapit atque urget: spondet id demum ac certissime spondet sublimis illa oratio, quam Christus ipse ante extremos cruciatus suos ad Patrem obtulit, Illum precatus, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in Te, ut et ipsi Nobis unum sint;[1] cui precationi fieri nunquam potest, ut Divinus non adnuat Pater.

Nobis autem, Venerabiles Fratres, nihil optabilius est, quam ut eum fructum quem maxime salutarem ac faustum Ecclesiae universae fore ducimus, ex hac eadem vestra cum Apostolica Sede conjunctione capiamus. Jamdiu enim animo agitavimus, quod pluribus etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum pro rerum adjunctis innotuit, ac illud etiam, ubi primum optata Nobis opportunitas aderit, efficere aliquando posse confidimus, nempe ut sacrum oecumenicum et generale omnium Episcoporum catholici Orbis habeamus Concilium, quo collatis consiliis conjunctisque studiis necessaria ac salutaria remedia, tot praesertim malis quibus Ecclesia premitur, Deo adjuvante adhibeantur. Ex hoc profecto uti maximam spem habemus eveniet, ut Catholicae veritatis lux, errorum tenebris quibus mortalium mentes obvolvuntur amotis, salutare suum lumen diffundat, quo illi veram salutis et justitiae semitam, adspirante Dei gratia, agnoscant et instent. Ex hoc item eveniet, ut Ecclesia veluti invicta castrorum acies ordinata hostiles inimicorum conatus retundat, impetus frangat, ac de ipsis triumphans Jesu Christi Regnum in terris longe lateque propaget ac proferat.

Nunc vero ut vota Nostra impleantur, utque Nostrae vestraeque curae uberes justitiae fructus Christianis afferant populis, ad Deum omnis justitiae et bonitatis fontem erigamus oculos, in Quo omnis plenitudo praesidii, et gratiae ubertas sperantibus collocata est. Cum autem advocatum apud Patrem habeamus Jesum Christum Filium Ejus, Pontificem magnum qui penetravit Caelos, qui semper vivens interpellat pro nobis, quique in admirabili Eucharistiae Sacramento nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; hunc Redemptorem amantissimum, Venerabiles Fratres, ponamus ut signaculum super cor nostrum, ut signaculum super brachium nostrum, atque ad altare illud, ubi ipse Auctor gratiae thronum misericordiae constituit, ubi omnes qui laborant et onerati sunt reficiendi cupidus expectat, nostras assidue preces omni cum fiducia deferamus. Eum itaque sine intermissione humiliterque obsecremus, ut Ecclesiam suam a tantis calamitatibus et omni discrimine eruat, eique laetam pacis vicem, victoriamque de hostibus donet, ut Nobis ac Vobis novas usque vires ad sui Nominis gloriam provehendam addat, ut illo igne

[1] S. Joan., c. 17., v. 21.

quem venit mittere in terras hominum animos inflammet, ac errantes omnes potenti sua virtute ad salutaria consilia convertat. Vestrae autem pietatis erit, Venerabiles Fratres, illud omni ope curare, ut crediti vobis fideles in cognitione Domini Nostri Jesu Christi in dies crescant, Eumque in Sacramento Augusto praesentem, constanti fide venerentur, redament, ac frequenter invisant, nihilque erit vestro studio curaque dignius, quam ut vigilantibus ad Ejus aram ignibus, vigilet etiam in cordibus fidelium gratus pietatis sensus, vigilet indeficiens flamma caritatis. Quo vero facilius Deus ad obsecrationes nostras aurem suam propitius inclinet, semper et enixe petamus suffragia, primum quidem Deiparae Virginis Mariae Immaculatae, quo nullum apud Deum potentius patrocinium; deinde Sanctorum Apostolorum Petri et Paulli, quorum Natalitia acturi sumus, nec non omnium Caelitum Sanctorum qui cum Christo regnantes in Caelis munera divinae largitatis hominibus sua deprecatione conciliant.

Denique Vobis, Venerabiles Fratres, ac aliis omnibus Venerabilibus Fratribus catholicarum gentium Episcopis, item fidelibus omnibus Vestrae atque illorum curae concreditis, quorum pietatis et amoris eximia semper testimonia accepimus et continenter in dies experimur, singulis universis Apostolicam Nostram Benedictionem cum omni felicitatis voto conjunctam, ex intimo corde amantissime impertimus.

II. RESPONSIO EPISCOPORUM,

Ad Allocutionem Pontificiam,

Die 1. Julii, 1867, facta.

Beatissime Pater!

Apostolica Tua vox iterum auribus nostris insonuit, nuncians novum aeternae veritatis triumphum, sanctorum caelitum gloria refulgentem, et antiquum urbis aeternae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sanguine consecratae decus, quorum martyrii memoria saecularis rediens, totum hodie Orbem Christianum laetitia afficit et fidelium mentes ad salutarem maximarum rerum cogitationem extollit.

Jucundissima Apostolici oris ad festa talia nos peramanter invitantis verba percipere minime potuimus, quin continuo subiret animum solemnium illorum memoria, quae, ante annos quinque, Tuo lateri adstantes in urbe peregimus, et grati recordaremur, quâ tunc nos benignitate et humanitate habueris, quâ nos paterna caritate fueris in

illa faustissima gratulatione complexus. Haec suavis recordatio, haec amantissimi Patris non tam jubentis quam optantis vox illam animis nostris ad Romanum iter capessendum alacritatem adjecit, quam Tibi, Beatissime Pater! satis luculenter amplissima haec Antistitum frequentia, qui tertium ad Te confluxerunt, et communis omnium pietas ac fidelis observantia declarant. Tam ingenti Antistitum numero, cui vix simile quid in praeteritarum aetatum memoria reperitur, par solummodo est Tua in nos charitas ac benevolentia, par unice obsequii amorisque in Te nostri magnitudo. Hisce autem causis vehementius hodie excitamur, ut eximias virtutes Tuas, Sedem Apostolicam novo illustrantes lumine, novo etiam prosequamur honore, et augustissimum Tuum animum graves inter, quibus premeris at non concuteris, aerumnas, iterato amoris et admirationis testimonio coram solemur.

Sed dum votis obsecuti sumus Tuis, alium etiam optatissimum nobis spectavimus fructum, ut scilicet cor nostrum tot Ecclesiae malis sauciatum paterni Tui vultus recrearemus adspectu, fraternam inter nos concordiam magis magisque roboraremus, ac communem Tibi nobisque solatii et gaudii materiem quaereremus.

Hanc vero laetandi causam Tu maximam nobis praestas, dum tot nova sanctorum nomina fastis Ecclesiae inscribens homines potenter edoces, quanta sit quamque inexhausta matris Ecclesiae foecunditas. Hanc triumphantium gloriosus martyrum sanguis exornat; hanc inviolatae confessionis candida induit virginitas, hujus floribus nec rosae nec lilia desunt. Tu, coelestia virtutum praemia mortalibus ostendens, oculos a rerum inanium conspectu ad jucundam coeli gloriam erigere doces. Tu, dum homines mirandis ingenii sui industriaeque operibus exsultant, triumphale sanctorum Dei vexillum attollens illos admones, ut, super ipsam rerum adspectabilium et gaudiorum humanorum pompam ac speciem, occulos ad Deum omnis sapientiae et pulchritudinis fontem convertant, ne ii, quibus dictum fuit, "*Subjicite terram et dominamini,*" obliviscantur unquam supremi illius praecepti, "*Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*"

Ast qui suspicientes coelestem Jerusalem, novorum sanctorum gloria gestientem, mirabilia Domini humili corde agnoscimus et profitemur, magis etiam ad haec celebranda incendimur, dum hodierna Saeculari Solemnitate immotam contemplamur petrae illius firmitatem, super quam Dominus ac Redemptor noster Ecclesiae suae molem perpetuitatemque constituit. Divina enim virtute factum cernimus, ut Petri Cathedra, organum veritatis, unitatis centrum, fundamentum et propugnaculum libertatis Ecclesiae, tot inter rerum adversitates et non intermissa hostium molimina octodecim jam elapsis plane saeculis, stet

firma incolumisque; dum regna et imperia surgunt ruuntque vicissim, stet veluti secura pharus in procelloso vitae aequore mortalium iter dirigens, tutamque stationem et portum salutis sua luce commonstrans.

Hac fide, hisce sensibus ducti loquebamur olim, Beatissime Pater! cum ante quinquennium Tuo throno adstantes sublimi Tuo ministerio debitum testimonium dedimus, votaque pro Te, pro civili Tuo principatu, pro justitiae ac religionis causa palam nuncupavimus. Hac fide ducti verbis scriptoque eo tempore professi sumus, nihil nobis potius et antiquius esse, quam ut quae Tu Ipse credis ac doces, nos quoque credamus et doceamus, quos rejicis errores, nos item rejiciamus, Te duce unanimes incedamus in viis Domini, Te sequamur, Tibi adlaboremus, ac Tecum pro Domino in omne discrimen fortunamque parati decertemus. Cuncta haec, quae tunc declaravimus, nunc denuo piissimo cordis sensu confirmamus, idque universo orbi testatum esse volumus; grato simul recolentes animo, plenoque laudantes assensu, quae a Te in salutem fidelium et Ecclesiae gloriam ab eo quoque tempore gesta fuerunt.

Quod enim Petrus olim dixerat, "*non possumus quae vidimus et audivimus non loqui,*" Tu pariter sanctum et solemne habuisti, ac nunquam non habere luculenter demonstras. Non enim unquam obticuit os Tuum. Tu aeternas veritates annunciare, Tu saeculi errores, naturalem supernaturalemque rerum ordinem atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes, apostolici eloquii gladio configere, Tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, Tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis hominibus, tum christianae familiae, tum civili societati intrepide effari, suadere, commendare supremi Tui ministerii es arbitratus; ut tandem cuncti assequantur, quid hominem catholicum tenere, servare, ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati Tuae gratias agimus, habituri sumus sempiternas; Petrumque per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annuntiamus, unoque ore atque animo rejicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa, Tu ipse reprobanda ac rejicienda judicasti. Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto Unionis unanimes definiverunt: Romanum Pontificem "*Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*"

Sed alia praeterea sunt, quae nostram in Te caritatem, gratosque animi sensus provocant. Magna enim cum jucunditate admiramur heroicam illam virtutem, quâ perniciosis saeculi machinationibus obsistendo, dominicum gregem in via salutis servare, contra seductiones erroris munire, contra vim potentium et falsorum sapientum astutiam tueri adnisus es. Admiramur studium illud fatigari nescium, quo emolumenta universae Ecclesiae, apostolica providentia Orientis et Occidentis populos complexus, promovere nunquam destitisti. Admiramur magnificum illud, quod generi hominum in pejus quotidie ruenti Pastoris boni spectaculum exhibes, ipsorum etiam veritatis inimcorum animos percellens, oculosque ad se vel invitos ipsa rerum praestantia et dignitate convertens.

Perge igitur Pastorum Pastoris vicaria potestate fungens, divini Tui muneris partes Deo confisus tueri; perge vitae aeternae subsidiis pascere Tibi creditas oves; perge sanare contritiones Israel, et agnos Christi quaerere qui perierant. Faxit Deus Omnipotens, ut, qui amoris Tui et officii sui immemores voci Tuae adhuc resistunt, meliora secuti consilia ad Te tandem redeuntes, luctum Tuum in gaudium convertant. Tuarum pastoralium curarum fructus, divina benignitate adspirante, incrementum capiant in dies; felix animarum conversio, quam Deus Te administro quotidie operatur, magis magisque amplificetur; Tuque virtutum Tuarum vi et glorioso laborum successu animabus Christo lucrifactis, prolatisque regni ejus finibus, cum Domino et Magistro vere exclamare possis, "*Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.*"

Haec immo, Beatissime Pater! salutaris ac felicioris aevi indicia conspiciuntur. Testis amor ille, quem cunctarum nationum fideles ad quaevis pro Te exantlanda parati commonstrant, dum vires corporis et animi, atque adeo vitam ipsam pro Ecclesiae juribus et Apostolicae Sedis gloria adserenda impendere ac dicare gestiunt. Testis prona illa catholicarum mentium reverentia, quae Te supremum Pastorem cupide intuetur, quae Apostolicae Cathedrae oracula laetanter excipit, iisque firmissimo adsensu et obsequio adhaerere gloriatur. Testis illa filialis animi indoles, quâ populus Christianus vestigia fidelium sequens, qui olim ad pedes Apostolorum facultates suas sponte deferebant, rerum Tuarum angustiis hucusque occurrit, et continenter eas sublevare non desinit. Haec filialis argumenta pietatis intimo pectore commoti cernimus, nunquam non operam daturi, ut sacer hic ignis in cordibus fidelium accensus foveatur et vigeat, utque tum nostro tum cleri totius exemplo animati omnes praeclaram illam voluntatem ac liberalitatem provehant, Tibique ad aeternam eorum salutem plenius procurandam temporalia adjumenta suppeditent.

Qui autem fidelium omnium erga Te pietate tantopere afficimur, Beatissime Pater! peculiaris gaudii fructum capimus ex illa fide, ex illo amore et obsequio, quo digni aeternae Urbis cives Te Patrem, Te Principem indulgentissimum complectuntur. Felicem populum ac vera sapientem! qui novit, quae sibi amplitudo et gloria ex Petri Sede in Urbe constituta proveniat, qui intelligit non alios terminos divinae erga se benignitati definitos fore, quam quos ipse sibi in sua erga Christi Vicarium observantia et in Principem Sacratissimum amore constituerit. Haec concupisce, haec sequere Romana gens; sit haec constans, sit immota pietas; sit haec Romana Urbs, quam Christianus Orbis caeterarum principem suamque lubens agnoscit, caeteris exemplo praelucens, sit caelestibus gratiis donisque florens, virtutibus opibusque beata!

Id, Beatissime Pater! Tui Pontificatus splendor effecit, quo non Urbs solum Tua, sed universus orbis illustratur, cujusque admiratio ita nos movet, ut ex illo exemplum pro sacro nostro ministerio petendum esse existimemus.

At non minus Tua vox suaviter illabens pectoris ima pervadit, quam virtutum Tuarum pontificalium imago animos nostros percellit.

Summo igitur gaudio repletus est animus noster, dum e sacrato ore Tuo intelleximus, tot inter praesentis temporis discrimina eo Te esse consilio, ut *maximum*, prout ajebat inclitus Tuus praedecessor Paulus III., *in maximis rei christianae periculis remedium*, Concilium Oecumenicum convoces.

Annuat Deus huic Tuo proposito, cujus ipse Tibi mentem inspiravit; habeantque tandem aevi nostri homines, qui infirmi in fide, semper discentes et nunquam ad veritatis agnitionem pervenientes, omni vento doctrinae circumferuntur, in sacrosancta hac Synodo novam, praesentissimamque occasionem accedendi ad sanctam Ecclesiam, columnam ac firmamentum veritatis, cognoscendi salutiferam fidem, perniciosos rejiciendi errores; ac fiat, Deo propitio, et conciliatrice Deipara Immaculata, haec Synodus grande opus unitatis, sanctificationis et pacis, unde novus in Ecclesiam splendor redundet, novus regni Dei triumphus consequatur.

Et hoc ipso Tuae providentiae opere denuo exhibeantur mundo immensa beneficia, per Pontificatum Romanum humanae societati asserta. Pateat cunctis, Ecclesiam eo, quod super solidissima Petra fundetur, tantum valere, ut errores depellat, mores corrigat, barbariem compescat, civilisque humanitatis mater dicatur et sit. Pateat mundo, quod divinae auctoritatis et debitae eidem obedientiae manifestissimo specimine, in divina Pontificatus institutione dato, ea omnia stabilita

et sacrata sint, quae societatum fundamenta ac diuturnitatem solident.

Quod ubi perspexerint principes et populi, non permittent, ut augustissimum Tuum jus, omnis auctoritatis, omnium jurium certissima sanctio, impune conculcetur; imo ipsi curabunt, ut Tua Tibi constet et potestatis libertas et libertatis potestas; adsint subsidia ad sublime Tuum, illisque ipsis summe proficuum ministerium efficaciter exercendum; nec patientur, ut vox Tua a gregibus Ecclesiae sanctae addictis prohibeatur, ne pabulo aeternarum veritatum privati misere contabescant, laxatisve apud eos obedientiae et reverentiae erga divinum in Te residens magisterium vinculis, illa quoque auctoritas, quâ reges regnant et legum conditores justa decernunt, in certissimum status civilis detrimentum labefactetur.

Haec est spes nostra, quam corde fovemus. Hoc continuum precum nostrarum est, semperque erit argumentum.

Macte ergo animo, Beatissime Pater! perge navim Ecclesiae inter medias procellas secura, ut suevisti, manu ad portum adducere. Mater divinae gratiae, quam Tu pulcherrimo honoris titulo salutasti, intercessionis suae auxilio tutabitur semitam Tuam. Erit Tibi in stellam maris, quam invicta, uti soles, fiducia suspiciens, non frustra diriges cursum ad Illum, qui per eam ad nos venire voluit. Faventes habebis caelestes Sanctorum choros, quorum beatam gloriam magno studio continuisque apostolicis conatibus exquisitam mundo exsultanti tum diebus istis, tum antehac annunciasti. Assistent Tibi Principes Apostolorum Petrus et Paulus, precibus potentibus sollicitudinem Tuam secundantes. In puppi, quam Tu nunc occupas, Petrus olim sedebat; ipse apud Dominum intercedet, ut quae navis ipsius suffragiis adjuta octodecim saeculis altum vitae humanae mare feliciter percurrit, Te duce, opimis immortalium animarum spoliis onusta, coelestem portum plenis subeat velis. Quod ut fiat, nos curarum, precum, et laborum Tuorum fideles devotosque socios habebis, qui divinam clementiam nunc quoque deprecamur, ut Tibi omni benedictione coelesti cumulato serventur augeanturque vires; ut novis in dies animarum lucris dives sit vita Tua, sit longaeva in terris, sit olim in coelis beata!

Marius Cardinalis Mattei, Episc. Ostien. et Veliternen., et S. Collegii Decanus.
Constantinus Card. Patrizi, Episc. Portuen. et S. Ruphinae.
Aloisius Card. Amat, Episc. Praenestin.
Ludovicus Cardin. Altieri, Episc. Albanen.

Nicolaus Cardin. Clarelli Paracciani, Episc. Tusculan.
Philippus Cardin. De Angelis, Archiep. Firman.
Engelbertus Cardin. Sterchx. Archiep. Meclinien.
Aloisius Cardin. Vannicelli Casoni, Archiep. Ferrarien.
Cosmas Cardin. Corsi, Archiep. Pisan.
Dominicus Cardin. Carafa de Traetto, Archiep. Beneventan.
Xistus Card. Riario Sforza, Archiep. Neapolitan.
Jacobus Maria Cardin. Mathieu, Archiep. Bisuntin.
Franciscus Augustus Cardin. Donnet, Archiep. Burdigalen.
Carolus Aloisius Cardin. Morichini, Episc. Æsinus.
Joachim Cardin. Pecci, Episc. Perusin.
Antonius Benedictus Cardin. Antonucci, Episc. Anconitan.
Enricus Cardin. Orfei, Archiep. Ravennaten. et administrator Dioecesis Caesanen.
Joseph Maria Cardin. Milesi, Abbas Trium fontium.
Michael Cardin. Gracia Cuesta, Archiep. Compostellan.
Joseph Aloisius Cardin. Trevisanato, Patr. Venetiarum.
Ludovicus Card. De La Lastra-y-Cuesta, Archiep. Hispalen.
Philippus Maria Cardin. Guidi, Archiep. Bononien.
Henricus Maria Card. de Bonnechose, Archiep. Rothomagen.
Paulus Cardin. Cullen, Archiep. Dublinen.
Rogerius Aloisius Antici Mattei, Patriarcha Constantinop.
Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrin.
Paulus Petrus Mashad, Patriarcha Antiochen. Maronitar.
Gregorius Joseff, Patr. Antiochen. Graec. rit. Melchitar.
Joseph Valerga, Patr. Hyerosolimitan.
Thomas Iglesias y Barcones, Patriarcha Indiar. Occiden.
Antonius Hassun, Primas Constantinop. Arm. rit.
Joannes Simor, Primas Regni Hungariae, Archiep. Strigon.
Aloisius Maria Cardelli, Archiep. Acriden.
Laurentius Trioche, Archiep. Babilonen.
Meletius, Archiep. Dramaten. Grec. rit.
Petrus Apelian, Archiep. Marascen. Arm. rit.
Ignatius Kalybgian, Archiep. Amasien. Armen. rit.
Petrus Riccardus Kenrick, Archiep. S. Ludovici.
Petrus Cilento, Archiep. Rossanen.
Alexander Asinari de Sanmarzano, Archiep. Ephesin.
Alexander Angeloni, Archiep. Urbinaten.
Georgius Hurmuz, Archiep. Siunien. Arm. rit.
Alosius Clementi, Archiep. Epis. Ariminen.
Felicissimus Salvini, Archiep. Camerinen.

Eduardus Hurmuz, Archiep. Siracen. Armen. rit.
Raphael d'Ambrosio, Archiep. Dyrechien.
Julius Arrigoni, Archiep. Lucanus.
Joseph. De Bianchi Dottula, Archiep. Tranen. Nazaren. et Barolen.
Eustachius Gonella, Archiep. Epis. Viterbien. et Tuscanien.
Joseph Rotundo, Archiep. Tarentin.
Gregorius De Luca, Archiep. Compsanus, Administrator Campanien.
Joannes Hagian, Archiep. Cesarien. Armen. rit.
Joannes Baptista Purcell, Archiep. Cincinnaten.
Renatus Franciscus Regnier, Archiep. Cameracen.
Maximilianus De Tarnoczv, Archiep. Salisburgen.
Beniaminus, Archiep. Neaupolit.
Elias Mellus, Archiep. Acren. et Zhibaren. Caldaeor.
Fridericus De Fürstenberg, Archiep. Olomucen.
Paulus Brunoni, Archiep. Taronen.
Joseph Matar, Archiep. Maronita Aleppensis.
Philippus Cammarota, Archiep. Cajetan.
Franciscus Xaverius Apuzzo, Archiep. Surrentin.
Cajetanus Rossini, Archiep. Epis. Melphiten. Jovenacen. et Terlitien.
Petrus Villanuova Castellacci, Archiep. Petren.
Vicentius Tizzani, Archiep. Nisiben.
Vicentius Spaccapietra, Archiepiscopus Smirnensis.
Marianus Ricciardi, Archiep. Reginen.
Carolus Pooten, Archiep. Antibaren. et Scodren.
Franciscus Emilius Cugini, Archiep. Mutinen.
Jacobus Bosagi, Archiep. Caesarien. Armen. rit.
Raphael Ferrigno, Archiep. Brundusin.
Salvator Nobili Vitelleschi, Archiep. Epis. Auximan. et Cingulan.
Alexander Franchi, Archiep. Thessalonicen.
Petrus Bostani, Archiep. Tyren. et Sydonien. Maronit.
Patritius Leahy, Archiep. Casselien.
Josephus Hippolitus Guibert, Archiep. Turonen.
Marinus Marini, Archiep. Epis. Urbevetan.
Georgius Claudius Chalandon, Archiep. Aquen.
Gregorius Szymonowicz, Archiep. Leopolien. Armen. rit.
Joachim Limberti, Archiep. Florentin.
Antonius Salomone, Archiep. Salernitan.
Philippus Gallo, Archiep. Patrassen.
Petrus Gianelli, Archiep. Sardien.
Joseph S. Alemany, Archiep. S. Francisci de California.
Franciscus Pedicini, Archiep. Baren.

Emanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustan.
Arsenius Avak-Vartan-Angiarakian, Archiep. Tarsen. Armen. rit.
Julianus Florianus Desprez, Archiep. Tolosan.
Ignatius Akkani, Archiep. Hauranan. Graec. rit. Melchitar.
Franciscus Xaverius Wierzchleyski, Archiep. Leopolitan. rit. lat.
Spiridion Maddalena, Archiep. Corcyren.
Gregorius Balitian, Archiep. Aleppen. Armen. rit.
Joannes Maria Odin, Archiep. Novae Aureliae.
Martinus Joannes Spalding, Archiep. Baltimoren.
Leo Korkoruni, Archiep. Melitenen. Arm. rit.
Carolus De la Tour D'Auvergne-Lauragais, Archiep. Bithuricen.
Joannes Hagg, Archiep. Haeliopolitan. Maron.
Miecislaus Ledochowski, Archiep. Gnesnen. et Posnanien.
Walter Steins, Archiep. Epis. Bosrensis, Vicarius Apost. Calcut.
Primus Calvus Lopez, Archiep. S. Jacobi de Cuba.
Benvenutus Monzon y Martin, Archiep. Granaten.
Joseph Berardi, Archiep. Nicen.
Petrus Alexander Doimo Maupas, Archiep. Jadren.
Athanasius Raphael Ciarchi, Archiep. Babilonen. Syror.
Georgius Darboy, Archiep. Parisien.
Antonius de Lavastida, Archiep. Mexican.
Clemens Munguia, Archiep. Mecoacan.
Paulus Hatem, Archiep. Aleppen. Graec. rit. Melchitar.
Petrus Matah, Archiep. Jazirensis in Syria.
Ludovicus Anna Dubreil, Archiep. Avenionen.
Joannes Ignatius Moreno, Archiep. Vallisolitan.
Martialis Guillelmus De Cosquer, Archiep. Portus Principis.
Laurentius Pergeretti, Archiep. Naxiensis.
Ludovicus Gonin, Archiep. Portus Hispaniae.
Melchior Nasarian, Archiep. Marden. Armen. rit.
Darius Bucciarelli, Archiep. Scopien.
Franciscus Fleix-y-Solans, Archiep. Tarraconen.
Ludovicus Haynald, Archiep. Colocen. et Baesien.
Basilius Michael Gasparian, Archiep. Cypren. Armen. rit.
Joannes Paulus Franciscus Maria Lyonnet, Archiep. Albien.
Henricus Eduardus Manning, Archiep. Westmonasterien.
Joseph Sembratowicz, Archiep. Nazianz. Graec. rit.
Paulus Melchers, Archiep. Colonien.
Franciscus Xaverius de Merode, Archiep. Melitenen.
Antonius Rossi Vaccari, Archiep. Colossen.
Aloisius Ciurcia, Archiep. Irenopolitan.

Alexander Riccardi, Archiep. Taurinen.
Joseph Benedictus Dusmet, Archiep. Catanien.
Joseph Cardoni, Archiep. Edessen.
Joannes Baptista Landriot, Archiep. Rhemen.
Carolus Martialis Allemand Lavigerie, Archiep. Julia Caesarien.
Aloisius Puecher Passavalli, Archiep. Iconien.
Aloisius Nazarri di Calabiana, Archiep. Mediolanensis.
Joannes Petrus Losanna, Episc. Bugellen.
Ignatius Giustiniani, Episc. Chien.
Raphael Sanctes Casanelli, Episc. Adiacen.
Guillelmus Aretini Sillani, Episc. jam Terracinen.
Modestus Contratto, Episc. Aquen.
Theodosius Kojumgi, Episc. Sidonien. Melchitar.
Joseph Maria Severa, Episc. Interamnen.
Fridericus Gabriel de Marguerye, Episc. Augustodunen.
Meletius Findi, Episc. Heliopolitan. Graec. rit. Melchitar.
Franciscus Victor Rivel, Episc. Divianen.
Julianus Meirieu, Episc. Dinien.
Ludovicus Besi, Episc. Canopen.
Antonius Ranza, Episc. Placentin.
Dionisius Gauthier, Episc. Emausen.
Georgius Antonius Stahl, Episc. Herbipolen.
Andreas Raess, Episc. Argentinen.
Carolus Gigli, Episc. Tiburtin.
Franciscus Maria Vibert, Episc. Maurianen.
Joannes Fennelly, Episc. Castorien.
Stephanus Ludovicus Charbonneaux, Episc. Jassen.
Petrus Paulus Lefevre, Episc. Zelan. Adminis. Detroiten.
Joannes Ilarius Boset, Episc. Emeriten.
Fridericus Manfredini, Episc. Patavin.
Nicolaus Grispigni, Episc. Fulginaten.
Guillelmus Augebeault, Episc. Andegaven.
Joseph Armandus Gignoux, Episc. Bellovacen.
Joannes Baptista Berteaud, Episc. Tutelen.
Eleonorus Aronne, Episc. Montisalti.
Cajetanus Carli, Episc. Almiren.
Joannes Franciscus Wheland, Episc. Aurielopolitanus.
Joannes Thomas Ghilardi, Episc. Montis Regalis.
Paulus Georgius Dupont des Loges, Episc. Meten.
Petrus Severini, Episc. Sappaten.
Petrus Joseph De Preux, Episc. Sedunen.

Joannes Donney, Episc. Montisalbani.
Carolus Fridericus Roussalet, Episc. Sagien.
Jacobus Bailles, Episc. jam Lucionen.
Joannes Williams, Episc. Bostonien.
Cajetanus Carletti, Episc. Reatin.
Joannes Brady, Episc. Perten.
Felix Cantimorri, Episc. Parmen.
Petrus Paulus Trucchi, Episc. Forolivien.
Stephanus Marilley, Episc. Lausanen. et Geneven.
Guillelmus Massaja, Episc. Cassien.
Guillelmus Bernardus Ullathorne, Episc. Birminghamien.
Alexius Canoz, Episc. Tamassen.
Henricus Rossi, Episc. Casertan.
Joannes Baptista Pellei, Episc. Aquaependen.
Franciscus Mazzuoli, Episc. S. Severini.
Flavianus Abel Hugonin, Episc. Bajocen.
Philippus Mincione, Episc. Mileten.
Amadeus Rappe, Episc. Clevelanden.
Joannes Corti, Episc. Mantuanus.
Aloisius Ricci, Episc. Signin.
Jacobus Alipius Goold, Episc. Melbournen.
Eugenius Bruno Guigues, Episc. Outovien.
Guillelmus De Cany, Episc. Cargianen.
Paulus Dodmassei, Episc. Alexien.
Camillus Bisleti, Episc. Cornetan. et Centumcellar.
Thomas Mullok, Episc. S. Joannis Terrae Novae.
Maria Julianus, Episc. Diniensis.
Franciscus Gandolfi, Episc. Antipatren.
Joannes Antonius Balma, Episc. Ptolemaid.
Aloisius Kobes, Episc. Methonen.
Laurentius Guillelmus Renaldi, Episc. Pinerolien.
Joannes Maria Foulchier, Episc. Mimaten.
Rudesindus, Episc. Portus Victoriae, in Australia.
Antonius Boscarini, Episc. S. Angeli in Vado et Urbanien.
Januarius Acciardi, Episc. Anglonen. et Tursien.
Antonius De Stefano, Episc. Benden.
Guillelmus Keance, Episc. Cloynensis.
Antonius Felix Philibertus Dupanloup, Episc. Aurelianen.
Ludovicus Franciscus Pie, Episc. Pictavien.
Livius Parlatore, Episc. S. Marci.
Ignatius Maria Silletti, Episc. Melphien. et Rapollen.

Petrus Simon Dreux Brèzè, Episc. Moulinen.
Joannes Ranolder, Episc. Vesprimien.
Franciscus Petagna, Episc. Castri Maris.
Petrus Cirillus d'Urix y da Labairù, Episc. Bosnien. et Sirmien.
Raphael Bachettoni, Episc. Compsan.
Georgius Strossmayer, Episc. Pampilonen. et Tudelen.
Georgius De Luca, Episc. Nursin.
Alexander Tachè, Episc. S. Bonifacii.
Joannes Mac-Gill, Episc. Richmondien.
Hieronymus Verzeri, Episc. Brixien.
Petrus Lacarriera, Episc. jam Bassae Terrae.
Ludovicus Theophilus Pallu du Parc, Episc. Blesen.
Philippus Fratellini, Episc. Forosempronien.
Aloisius Margarita, Episc. Oritan.
Joseph Arachial, Episc. Ancyran. Armen. rit.
Thomas Grant, Episc. Southwarcen.
Vincentius Bisceglia, Episc. Termular.
Mathias Augustinus Mengacci, Episcop. Civitatis Castellan. Hortan. et Gallesin.
Joannes Petrus Mabile, Episc. Versalien.
Cajetanus Brinciotti, Episc. Balneoregien.
Colinus Mac Kinnon, Episc. Arichaten.
Bernardus Pinol, Episc. de Nicaragua.
Ludovicus Eugenius Regnault, Episc. Carnuten.
Joannes Jacobus Guerrin, Episc. Lingonen.
Aloisius Sordo, Episc. Thelesin. seu Cerreten.
Bartholomaeus D'Avanzo, Episc. Calven. et Theanen.
Joannes Joseph Longobardi, Episc. Andrien.
Joannes Petrus Bravard, Episc. Constantien.
Theodorus de Montpellier, Episc. Leodien.
Antonius La Scala, Episc. S. Severi.
Jesualdus Vitali, Episc. Ferentin.
Claudius Maria Dubuis, Episc. Galvestonien.
Jacobus Stepischnegg, Episc. Lavantin.
Aloisius Filippi, Episc. Aquilan.
Jacobus Ginoulhial, Episc. Gratianopolitan.
Joseph Chaixal-y-Estrade, Episc. Urgellen.
Franciscus Joseph Rudiger, Episc. Lincien.
Joannes Loughlin, Episc. Brooklynien.
Thaddeus Amat, Episc. Montereyen.
Jacobus Roosevelt Bayley, Episc. Novarcen.

Ludovicus De Goesbriand, Episc. Burlingtonen.
Emigdius Forchini, Episc. Civitatis Plebis.
Vincentius Materozzi, Episc. Ruben. et Bituntin.
Petrus Aloisius Speranza, Episc. Bergomen.
Thomas Michael Salzano, Episc. Tanen.
Felix Romano, Episc. Isclan.
Aloisius Landi Vittori, Episc. Assisien.
Vincentius Zubranich, Episc. Ragusin.
Benedictus Riccabona, Episc. Tridentin.
Ludovicus Forwerk, Episc. Leontopolitan.
Franciscus Antonius Majorsini, Episcop. Lacedonien.
Thomas Michael Salzano, Episc. Tanen.
Innocentius Sannibale, Episc. Eugubin.
Nicolaus Renatus Sergent, Episcop. Corosopiten.
Joannes Rosati, Episc. Tudertin.
Dominicus Zelo, Episc. Aversan.
Cajetanus Rodilossi, Episc. Alatrin.
Franciscus Gallo Episc. Abellinen.
Petrus Rota, Episc. Guastallen.
Joannes Joseph Vitezich, Episc. Veglien.
Franciscus Gianpaolo, Episc. Larinen.
Franciscus Roullat de La Bouillerie, Episc. Carcassonen.
Franciscus Paulus, Episcop. S. Agatae Gothorum.
Alexius Joseph Wicart, Episc. Vallis Vidonis.
Guillelmus Vaughan, Episc. Plymouth.
Nicolaus Pace, Episcop. Amerin.
Joannes Benini, Episc. Piscien.
Joseph Del Prete, Episc. Thyateren.
Joseph Formisano, Episc. Nolan.
Claudius Henricus Plantie, Episc. Nemausen.
Ludovicus Augustus Delalle, Episc. Ruthenen.
Vincentius Moretti, Episc. Imolen.
Antonius Joseph Jordanus, Episc. Forojulien. et Tolonen.
Joannes Renier, Episcop. Feltr. et. Bellunensis.
Patritius Moran, Episc. Dardanen.
Laurentius Gilooly, Episcop. Elphinensis.
Guillelmus Emmanuel, Episcop. Moguntinus.
Joannes Farrell, Episc. Hamiltonen.
Elias Ant. Alberani, Episc. Ascul. in Piceno.
Joannes Ghiureghian, Episc. Trapezuntin. Arm. rit.
Adrianus Languillat, Episc. Sergiopolitan.

Stephanus Semeria, Episc. Olympen.
Jacobus Bernardi, Episc. Massan.
Thomas Passero, Episc. Trojan.
Claudius Jacobus Boudinet, Episc. Ambianen.
Corradus Martin, Episc. Paterbonen.
Joseph Emanuel Arroyo, Episc. De Guayana
Joseph Romero, Episc. Dibonen.
Vincentius Cina, Episc. Adramiten.
Enricus, Episc. Casertanus.
Dalmatios Di Andrea, Episc. Boven.
Vincentius Casser, Episc. Brixinen.
Philippus Vespasiani, Episc. Fanen.
Clemens Fares, Episc. Pisauren.
Franciscus Marinelli, Episc. Porphyrien.
Henricus Junker, Episc. Altonen.
Joannes MacEvilly, Episc. Galvien.
Guillelmus Clifford, Episc. Cliftonien.
Petrus Giraud De Langalerie, Episc. Bellicen.
Petrus Maria Ferrè, Episc. Casalen.
Ludovicus Delcusy, Episc. Vivarien.
Petrus Buffetti, Episc. Brictinorien.
Joseph Stephanus Godelle, Episc. Thermopylen.
Jacobus Fridericus Wood, Episc. Philadelphien.
Joannes Baptista Scandella, Episc. Antinoen.
Joseph Targioni, Episc. Volaterran.
Aloisius Maria Paoletti, Episc. Montis Politiani.
Joseph De Los Rios, Episc. Lucen.
Michael O'Hea, Episc. Rossanen.
Patritius N. Lynch, Episc. Carolopolitan.
Joseph Maria Papardo, Episc. Sinopen.
Vitalis Justinus Grandin, Episc. Satalen.
Guillelmus Henricus Elder, Episc. Natchetensis.
Clemens Pagliari, Episc. Anagnin.
Fortunatus Maurizi, Episc. Verulan.
Petrus Sola, Episc. Nicien.
Ferdinandus Blanco, Episc. Abulen.
Paulus Benignus Carrion, Episc. De Porto Rico.
Jacobus Jeancard, Episc. Ceramen.
Carolus Joannes Filion, Episc. Cenomanen.
Joannes Sebastianus Devoucoux, Episc. Ebroicen.
Ignatius Senestrey, Episc. Ratisbonen.

Riccardus Roskell, Episc. Nottinghamen.
Paschalis Vuicic, Episc. Antiphellen.
Ludovicus Idèo, Episc. Liparen.
Michael Payà y Rico, Episc. Conchen.
Jacobus Etheridge, Episc. Toronen.
Petrus Cubero y Lopez de Padilla, Episc. Oriolen.
Dominicus Fanelli, Episc. Dianen.
Joachim Lluch, Episc. Canarien. et S. Christophori in Laguna.
Ignatius Papardo, Episc. Minden.
Joannes Antonius Augustus, Episc. Apamien.
Petrus Tilkian, Episc. Brussen. Arm. rit.
Antonius Maria Valenziani, Episc. Fabrianen. et Mathelicen.
Hyacinctus Luzi, Episc. Narnien.
Thomas Grace, Episc. S. Pauli de Minnesota.
Antonius Halagi, Episc. Artuinen. Arm. rit.
Joseph Teta, Episc. Oppiden.
Joannes Baptista Siciliani, Episc. Caputaquen. et Vallen.
Franciscus Xaverius D'Ambrosio, Episc. Muran.
Michael Milella, Episc. Aprutin.
Rodesindus Salvado, Episc. Victorien.
Simon Spilotros, Episc. Tricaricen.
Felix Petrus Fruchaud, Episc. Limovicen.
Aloisius Maria Epivent, Episc. Auturen.
Joseph Lopez-Crespo, Episc. Santanderien.
Vincentius Arbelaes, Episc. Maximopolitanus.
Joannes Quinlan, Episc. Mobilien.
Petrus Joseph Tordoya, Episc. Tiberiopolitan.
Joannes Monetti, Episc. Cervien.
Alexander Paulus Spoglia, Episc. Comaclen.
Aloisius Mariotti, Episc. Feretran.
Valerius Laspro, Episc. Gallipolitan.
Aloisius Lembo, Episc. Cotronen.
Jacobus Rogers, Episc. Chatamen.
Patritius Dorrion, Episc. Danen. et Connoren.
Andreas Ignatius Schaepman, Episc. Esbonen.
Alexander Bonnaz, Episc. Csanadensis.
Sebastianus Dias Larangeira, Episc. S. Petri Flum. Granden.
Michael Domenec, Episc. Pittsburgen.
Aloisius Antonius Dos Santos, Episc. Fortalexien.
Antonius de Macedo Costa, Episc. Belem de Para.
Walterus Steins, Episc. Nilopolitan.

Claudius Maria Magnin, Episc. Annecien.
Julius Ravinet, Episc. Trecen.
Antonius de Trinitate de Vasconcellos Pereira de Mello, Episc. Lamacen.
Jacobus Donnelly, Episc. Clogherien.
Gerardus Petrus Wilmer, Episc. Herlemen.
Georgius Butler, Episc. Limericen.
Carolus Theodorus Colet, Episc. Luconen.
Eustachius Zanoli, Episc. Eleutheropolitan.
Fridericus Maria Zinelli, Episc. Tarvisin.
Aloisius De Canossa, Episc. Veronen.
Robertus Cornthwaite, Episc. Beverlacen.
Benedictus Vilamitiana, Episc. Derthusen.
Petrus Maria Lagüera y Menezo, Episc. Oxamen.
Callistus Castrillo y Ornedo, Episc. Legionen.
Silvester Horton Rosecrans, Episc. Pompeiopolitan.
Victor Felix Bernardon, Episc. Vapincen.
Augustinus David, Episc. Briocen.
Ludovicus Nogret, Episc. S. Claudii.
Antonius Boutonnet, Episc. Guadalupen.
Pantaleo Monserrat y Navarro, Episc. Barcinonen.
Joseph Fessler, Episc. S. Ippoliti.
Marianus Puigllat-y-Amigo, Episc. Illerden.
Costantinus Bonet, Episc. Gerunden.
Joannes De França Castro e Moura, Episc. Portugallien.
Joannes Gray, Episc. Hypsopolitan.
Bernardinus Trionfetti, Episc. Terracinen. Privernen. et Setin.
Franciscus Gainza, Episc. De Caceres.
Antonius Alves Martins, Episc. Visen.
Joseph Papp-Szilägyi de Illesfalva, Episc. Magno Varadinen. Graec. Rum.
Gioannichius, Episc. Palmiron. Greco-Cath.
Joannes Petrus, Episc. Costantien.
Joannes Jacovacci, Episc. Erythrensis.
Joannes Baptista Greith, Episc. S. Galli.
Nicolaus Conaty, Episc. Kilmoren.
Nicolaus Adames, Episc. Alicarnassen.
Fidelis Abbati, Episc. Sanctorinen.
Joannes Baptista Gazailhan, Episc. Jam Veneten.
Antonius Monastyrski, Episc. Premislien.
Joannes Zaffron, Episc. Sebenicen.

Joseph Nicolaus Dabert, Episc. Petrocoricen.
Petrus Marcus Le Breton, Episc. Anicien.
Joannes Claudius Lachat, Episcopus Basileen.
Joseph Pluym, Episcopus Nicopolitan.
Felix Maria Arriete, Episc. Gatitan et Septen.
Franciscus Andreoli, Episc. Callien et Pergulan.
Paulus Micaleff, Episcopus Civitatis Castelli.
Antonius Maria Pettinari, Episc. Nucerin.
Joannes Petrus Dours, Episcopus Suessionen.
Gregorius Lopez, Episc. Placentin. Compostellen.
Joseph Aloisius Montagut, Episc. Ovoten.
Joachim Hernandez y Herrero, Episc. Segobricen.
Paulus Beriscia, Episc. Pulaten.
Joannes Strain, Episc. Abilen.
Edmundus Franciscus Guierry, Episc. Danaben.
Hyacinthus Vera, Episc. Megaren.
Gaspar Mermillod, Episc. Hebronen.
Angelus Kraljevic, Episc. Metellopolitan.
Agapitus Dumani, Episc. Ptolemaiden. Graec. rit. Melchitar.
Thomas Nutly, Episcopus Midensis.
Joseph Salandari, Episc. Marcopolitan.
Franciscus Nicolaus Guellette, Episc. Valentinen.
Guillelmus Renatus Meignan, Episc. Cathalaunen.
Stephanus Ramadiè, Episc. Elnen.
Raimundus Garcia y Anton, Episc. Tuden.
Hyacinthus Maria Martinez, Episc. S. Christophori de Havana.
Henricus Franciscus Bracq, Episc. Gandaven.
Nicolaus Power, Episc. Sareptan.
Laurentius Bonaventura Sheil, Episc. Adelaidopolitan.
Aloisius Riccio, Episc. Cajacien.
Ferdinandus Ramirez y Vazquez, Episc. Pacen.
Victor Augustus Dechamps, Episc. Namurcen.
Joannes Joseph Conroy, Episc. Albanen. in America.
Joannes Marangò, Episc. Thinen. et Miconen.
Raphael Popow, Episc. Bulgaror.
Nicolaus Frangipani, Episc. Concordien. *electus.*
Joseph Romeo, Episc. Dibonen.
Joannes Lozano, Episc. Palentin.
Antonius Jordà y Soler, Episc. Vicen.
Agabius Biscia, Episc. Cariopolitan.
Stephanus Melchisedechian, Episc. Erzerumien. Armen. rit.

Carolus Philippus Place, Episc. Marsilien.
Joannes Baptista Lequette, Episc. Atrebaten.
Petrus Alfredus Grimardias, Episc. Cadurcen.
Joannes Maria Bécel, Episc. Veneten.
Georgius Dubocowich, Episc. Pharen.
Jacobus Lynch, Episc. Arcadiopolitan.
Joseph De la Cuesta y Maroto, Episc. Aurien.
Jacobus Chedwick, Episc. Hagulstadens. et Novo Castrens.
Angelus Di Pietro, Episc. Nyssen.
Joseph Aggarbati, Episc. Senogallien.
Joseph Bovieri, Episc. Montis Falisci.
Julius Lenti, Episc. Sutrin. et Nepesin.
Thomas Gallucci, Episc. Recineten. et Lauretan.
Joannes Baptista Cerruti, Episc. Savonen. et Naulen.
Salvator Angelus Demartis, Episc. Galtellein. Noren.
Philippus Manetti, Episc. Tripolitan.
Conceptus Focaccetti, Episc. Lystren.
Anselmus Faúli, Episc. Grossetan.
Joseph Rosati, Episc. Lunen.-Sarzanen.
Josephus Giusti, Episc. Aretinus.
Carolus Macchi, Episc. Regien.
Joannes Zalka, Episc. Jaurinensis.
Cajetanus Franceschini, Episc. Maceraten. et Tolentin.
Antonius Fania, Episc. Marsicen. et Potentien.
Andreas Formica, Episc. Cuneen.
Carolus Savio, Episc. Asten.
Laurentius Gastaldi, Episc. Salutiar.
Eugenius Galletti, Episc. Alba Pampejen.
Antonius Colli, Episc. Alexandrin. Pedemontan.
Augustinus Hacquard, Episc. Verdunen.
Joseph Alphredus Faulon, Episc. Nanceyen. et Tullen.
Henricus Bindi, Episc. Pistorien.
Antonius Grech Delicata Testaferrata, Episc. Calydonien. *electus.*
Franciscus Zunnui, Episc. Uxellen. et Terralben.
Petrus Georgius Di Natale, Episc. Amiden. Chaldaeor.
Leo, Episc. Rupellensis et Santonensis.
Franciscus Gros, Episc. Tarantasiensis.
Joannes Chrisostomus Kruesz, Archiabbas O. S. B. S. Martini.
Guillelmus de Cesare, Abbas Montis Virginis.

III. S. PATRIS PII PAPÆ IX.,

Ad Episcoporum Orationem Replicatio;

Die 1. Julii, 1867.

Venerabiles Fratres!

Perjucunda quidem, licet a fide et devotione vestra prorsus expectanda, Nobis fuerat nobilis illa concordia, quâ, sejuncti ac dissiti, eadem tenere, eadem asserere profitebamini, quae Nos docueramus, et eosdem, quos damnaveramus, errores in religiosae civilisque societatis exitium invectos execrari. Verum multo jucundius Nobis fuit haec ipsa discere ex ore vestro, et nunc rursum a congregatis vobis explicatius et solemnius accipere; dum iis amoris et obsequii officiis Nos cumulatis, quae mentes affectusque vestros luculentius verbis ipsis aperiant. Cur nam enim tam prono animo obsecundastis desiderio Nostro, omnique incommodo posthabito, ad Nos e toto terrarum orbe convolastis? Scilicet explorata vobis erat firmitas Petrae, supra quam aedificata fuit Ecclesia, perspecta vivifica ejus virtus; nec vos fugiebat, quam praeclarum utrique rei testimonium accedat a Christianorum heroum Canonizatione. Duplex igitur hoc festum celebraturi confluxistis, non modo, ut sacris hisce Solemniis splendorem adderetis, sed ut, universam veluti fidelium familiam referentes, praesentia vestra non minus, quam diserta professione testaremini, eamdem nunc, quae duodeviginti ab hinc saeculis, vigere fidem, idem caritatis vinculum omnes nectere, eamdem virtutem exeri ab hac Cathedra veritatis. Placuit vobis commendare pastoralem sollicitudinem Nostram, et quidquid pro viribus agimus ad effundendam veritatis lucem, ad disjiciendas errorum tenebras, ad perniciem depellendam ab animabus Christi sanguine redemptis; nempe ut e conjunctis propriorum magistrorum sententiis ac vocibus, confirmentur christianae gentes in obsequio et amore erga hanc sanctam Sedem, in eamque acrius mentis oculos intendant.

Corrogatis undique subsidiis huc convenistis civilem nostrum sustentaturi Principatum tanta oppugnatum perfidia; ideo sane ut splendidissimo hoc facto, et per collata catholici orbis suffragia necessitatem ejus ad liberum Ecclesiae regimen assereretis. Dilectum vero populum Romanum, indubiaque et clarissima ejus obsequii in Nos et dilectionis indicia meritis laudibus prosequenda duxistis; quo et alacriores ipsi adjiceretis animos, et eum vindicaretis a conflatis in ipsum calumniis, et foedam illis sacrilegae proditionis notam inureretis, qui, felicitatis populi obtentu, Romanum Pontificem e solio deturbare conantur. Et dum arctioribus mutuae caritatis nexi-

bus per hunc conventum obstringere studuistis omnes orbis Ecclesias; hoc etiam praestitistis, ut uberiore evangelico spiritu repleti ad Beatissimi Petri Principis Apostolorum et Pauli doctoris gentium cineres, fortiores inde discederetis ad perrumpendas hostium phalanges, ad tuenda religionis jura, ad unitatis studium creditis plebibus efficacius ingerendum.

Quod sane votum apertius etiam se prodit in eo communi Concilii Oecumenici desiderio, quod omnes non modo perutile sed et necessarium arbitramini. Superbia enim humana, veterem ausum instauratura, jamdiu per commentitium progressum civitatem et turrim extruere nititur, cujus culmen pertingat ad caelum, unde demum Deus ipse detrahi possit. At Is descendisse videtur inspecturus opus, et aedificantium linguas ita confusurus, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: id enim animo objiciunt Ecclesiae vexationes, miseranda civilis consortii conditio, perturbatio rerum omnium, in qua versamur. Cui sane gravissimae calamitati sola certe objici potest divina Ecclesiae virtus, quae tunc maxime se prodit, cum Episcopi a Summo Pontifice convocati, eo praeside conveniunt in nomine Domini de Ecclesiae rebus acturi. Et gaudemus omnino, praevertisse vos hac in re propositum jamdiu a Nobis conceptum commendandi sacrum hunc coetum ejus patrocinio, cujus pedi a rerum exordio serpentis caput subjectum fuit, quaeque deinde universas haereses sola interemit. Satisfacturi propterea communi desiderio jam nunc nunciamus, futurum quandocumque Concilium sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituendum, et eo aperiendum die, quo insignis hujus privilegii ipsi collati memoria recolitur. Faxit Deus, faxit Immaculata Virgo, ut amplissimos e saluberrimo isto consilio fructus percipere valeamus. Interim vero Ipsa validissimo suffragio suo praesentibus necessariam adjunctis opem Nobis imploret, Deusque ejus precibus exoratus misericordiae suae divitias in Nos universamque Ecclesiam effundat.

Nos certe amantissimi gratissimique animi sensu non extinguendo compulsi, enixe vobis adprecamur a Deo quidquid spirituali emolumento vestro, quidquid plebium vobis commissarum provectui, quidquid religionis et justitiae tutelae, quidquid civilis societatis tranquillitati benevertere possit. Et quoniam aliquot e vobis, a peculiaribus populorum suorum necessitatibus coactos, citius a Nobis discessuros esse comperimus; iis, si temporis angustiae singulos nobis complecti non sinant, in praesentiarum omnia ominamur secunda et effuso cordis affectu bene precamur. Universis vero supernorum omnium bonorum copiosique divini auxilii auspicem, simulque praecipuae benevolentiae nostrae et grati animi testem, Benedictionem Apostolicam ex imo pectore depromptam peramanter impertimus.